UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Francisci Arias, Societatis Iesv Thelogi, Tractatvs Tres spirituales

Arias, Francisco

Coloniae, 1615

urn:nbn:de:hbz:466:1-48767

Visual Library

Th. 2855.
f. III
39.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P.

FRANCISCI ARIAS, SOCIETATIS IESV THEOLOGI,

TRACTATVS TRES *spirituales.*

I. De Profectu spirituali.
II. De vera diffidentia suiipsius.
III. De Mortificatione sui.

OMNIBVS CHRISTIANAE PERfectionis assequendæ cupidis perquàm vtiles & necessarij.

NVNC EX ITALICO IN LATINVM conuersi, à R. P. Ioanne Busæo Societatis IESV Theologo.

EDITIO SECVNDA.

Liber primus Probationis Societatis Jesu Paderborna.



COLONIAE,
Apud Ioannem Kinckium sub Monoc.
ANNO M. DC. XV.
Cum gratia & priuil. Sacræ Cæs. Maiestatis.

INDEX CAPITVM

TRACTATVS PRIMI DE PROFECTV SPIRITVALI.

CAP. 1. *Declaratur, quàm gratus sit DEO homo, profectus spiritualis studiosus.*

2. *De testimonijs quibus Deus declarauit sibi gratum esse studium proficiendi.*

3. *Quantum Ecclesiæ Dei prosint homines pij in virtute proficientes*

4. *Quàm vtile & necessarium sit omnibus Dei seruis, pro dono cuique communicato in cursu virtutis proficere.*

5. *Quàm Salutare & necessarium sit in virtute proficere ad cauendum periculum tepiditatis.*

6. *Curam proficiendi conuenire non solùm incipientibus, sed etiam proficientibus & perfectis.*

7. *Quàm necessaria & salutaris sit doctrina de progressu indies faciendo in vita piè, sanctéque inchoata.*

8. *De fructu spirituali, quem haurire possunt incipientes ex hac doctrina de profectu spirituali.*

INDEX.

II. TRACTATVS DE VERA DIFFIDENTIA SVIipsius.

Cap. 1 declaratur, quantoperè profectum ſpiritualem impediat homo ſuis viribus fidens, & quæ mala inde pullulent

2. Vitio confidentiæ fieri vt pia deſideria, bonaque opera nobis pereant.

3. Vitio confidentiæ nimiæ hominem vinci à tentationibus.

4. Id confirmatur S. Euangelij teſtimonio.

5. Quomodo per inordinatam confidentiam homo actionum humanarum fructu ſpolietur.

6. De primo medio, quo acquiritur ſancta ſuiipſius diffidentia.

7. De operibus diuinæ gratiæ, & quatenus à Deo promanent.

8. Quod ex doctrina iam tradita hauriendæ ſit humilitas, qua nobis ipſis diffidamus.

9. Humilitatis & propriæ diffidentiæ fructum capiendum ex conſideratione finis,

finis, ob quem Deus omnia opera sua facit.

10. *Vanas fuisse virtutes sapientum mundi, eò quòd vera agnitione sui destituti fuerint.*
11. *De secundo medio, quo acquiritur sui ipsius diffidentia.*
12. *Notitiam experimentalem de cognitione sui capi ex propria imbecillitate.*
13. *De tertio medio, quo acquiritur sui diffidentia.*
14. *Quanti faciendum sit donum diffidentiæ sui, & quàm studiosè à DEO petendum.*
15. *Quibus notis & signis homo humilis, sibique diffidens cognoscatur.*
16. *De alijs signis per exempla Sanctorum declaratis.*
17. *Qua ratione diffidens sibi possit fiduciam collocare in operibus bonis, & intercessione Sanctorum.*

INDEX.

III. TRACTATVS DE MORTIFICATIONE, EIVSQVE FRVCTV.

PARS PRIMA.

In qua agitur de fine quem mortificationis studiosus propositum habere debet. Deinde de mortificationis vtilitatibus.

CAP. 1 *Quid sit mortificatio, & quis dicatur homo mortificatus.*

2. *De nominibus varijs, quibus in sacris litteris commendatur.*

3. *Quàm gratum sit Deo mortificationis exercitium.*

4. *Esse Deo gratam mortificationem etiam in rebus paruis.*

5. *Quòd mortificationis exercitio imitemur Christum.*

6. *Quòd mortificatio corruptioni naturæ humanæ sit data loco antidoti.*

7. *Quòd beneficio mortificationis magna parte naturæ corruptelam sanare possimus.*

8. *Exemplis ostenditur naturam corruptam per mortificationem reparari.*

9. *Rur-*

9. *Rursum alijs exemplis idem confirmatur.*
10. *Non sanari naturæ corruptelam beneficio mortificationis nisi in fidelibus.*
11. *Exemplis id declaratur.*
12. *Quod homo beneficio mortificationis satisfaciat pro peccatis, & à promeritis pœnis liberetur.*
13. *Beneficio mortificationis orationes nostras reddi efficaciores ad impetranda Dei munera.*
14. *Mortificatione obtineri puritatem, lumenque internum res diuinas contemplandi.*
15. *Mortificatione item internam pacem, & solatium spirituale animæ suppeditari.*
16. *Mortificationis ope omnes tentationes vinci, peccata futura impediri, & gratiam conseruari.*
17. *Mortificationis exemplo multos ædificari, & ad bona opera commoueri.*

PARS SECVNDA.

Quibus in rebus homo se debeat mortificare.

CAP. 1. *Declaratur, qualis sit amor proprius, qui a nobis mortificandus est, & qui sint eius effectus.*
2. *Quomodo amor proprius, cum affectibus ex-*

bus ex eo ortis sit mortificandus.
3. Quid sit propria voluntas, & vt sit mortificanda
4. Quomodo mortificandæ sint inordinatæ voluntatis affectiones, vt curiositas, nimiaque familiaritas, & id genus aliæ
5. Exercitium mortificandi propriam voluntatem quàm sit vtile.
6. De inordinatione propriæ voluntatis circa honores coercenda.
7. Quemadmodum honorum cupiditas in nobis mortificanda sit.
8. Sanctorum exemplis confirmatur cupiditatem honorum refrænandam.
9. Sanctorum exemplis declarantur media respuendi honores & laudes, qui alicui deferuntur ratione eruditionis vel doni prædicandi.
10 Quàm necessaria sit mortificatio intellectus, propriique iudicij.
11 Quibus medijs proprium iudicium mortificandum sit.
12. De mortificatione passionum partis sensitiuæ, & quæ earum natura.
13. Quibus modis mortificandæ sint huiusmodi passiones
14. De mortificatione sensuum externorum.

15. De

15. De mortificando visu, in spectandis ludis, tripudijs, & alijs rebus vanis.
16. De eodem mortificando in spectandis rebus curiosis & imaginibus inutilibus.
17. De eodem mortificando, quoad visiones & apparitiones, ne facilè eis fides præstetur.
18. De mortificando sensu auditus.
19. De mortificatione Odoratus.
20. De mortificando gustu quoad lautitiem eduliorum.
21. De eodem mortificando quoad ciborum quantitatem.
22. De mortificatione eiusdem quoad finem in cibo sumendo propositum.
23. Quibus medijs mortificanda sit inordinatio gustus.
24. De mortificando gustu in potu maximè vini.
25. De mortificatione sensus tactus.
26. De varijs mortificationum modis, quos Sancti ad mortificandum sensum tactus vsurparunt.
27 De mortificatione linguæ.
28. De mortificanda lingua, quoad detractiones.
29. De mortificando abusu detegendi arcana.
30. De alijs linguæ abusibus, vt mendaciorum,

rum, & fictionum corrigendis & mortificandis.

31. *Quomodo mortificanda sit cupiditas contendendi & rixandi.*

32. *De mortificatione linguæ, quoad verba otiosa.*

33. *Quibus medijs mortificandi sint linguæ abusus.*

PARS TERTIA.

Qua discretione debeat exerceri mortificatio, & quibus rebus impediatur.

CAP. 1. *Declaratur, quæ discretio tenenda sit in mortificationis externæ exercitio ad comparandam veram animi puritatem*

2. *Quæ fraudes beneficio dictæ discretionis auertantur in exercitio mortificationis.*

3. *Qua moderatione mortificatio instituenda sit, vt nec vitæ, nec viribus corporis ad diuinum seruitium præstandum necessarijs obsit.*

4. *Sic instituendam mortificationem, vt opera præstantiora non impediantur: & qua discretione in hac re imitandi sancti.*

5. Qui

5. *Quibus rebus impediri soleat studium mortificationis, ac primo quidem doctrina quorundam parum salutari.*
6. *Nimia sanitatis conseruandæ cura idem studium impediri.*
7. *Impediri studium mortificationis sanctorum quorundam exemplis perperam intellectis.*
8. *Quomodo facta quædam Sanctorum, quibus vel mysterium inest, vel Dei peculiari instinctu contigere, intelligenda sint.*
9. *De medijs, quibus vinci potest difficultas, quæ est in exercitio mortificationis.*
10. *De alijs medijs.*
11. *De eodem argumento.*
12. *Epilogus, & anacephaleosis totius materiæ, de mortificationis fructibus, & quanta sit hominis mortificati felicitas.*

R. P.

FRANCISCI ARIAS, E SOCIETATE IESV,

TRACTATVS DE PROfectu spirituali.

PRAEFATIO.

VT intelligatur, quàm necessarium, quantiq; momenti sit, eos, qui semel verae pietatis exercitationi se dediderũt, rectè informari, quemadmodum semel inchoatam piè viuendi rationem constanter persequantur, progressumq; indies in diuino seruitio faciant, ac media in eundem finem necessaria & salutaria vsurpent: principio declarandum est, quàm gratus sit Deo huiusmodi progressus, quantumq; commodorum tam spiritualium, quàm temporalium in Ecclesiam Christi, & Rempubl Christianam inuehere possit, ob ingentem caelestium beneficiorum copiam, qua Deus tales remunerari & locupletare solet.

CAPVT I.

QVAM GRATVS SIT DEO HOmo profectus spiritualis studiosus.

CErtum est quemuis hominem iustum, hoc est, gratia diuina præditum, quocunque tandem in gradu gratiæ sit cõstitutus, corã Deo esse admodũ gratum & acceptum. Verùm si collatio inter iustos instituatur, magnum intercedit discrimen : nec enim obscurum est eos qui diligentes, feruentesque sunt, & in dies conantur in cursu pietatis progressum facere, eaque opera imprimis exercere, quæ Deo norunt gratissima, maiore loco, gratioresque esse apud Deum, quàm sint alij multi, licèt iusti, qui de profectu parum solliciti, id tantum cauent, ne lethali aliquo lapsu diuinam maiestatem offendant. Similitudine res fiet clarior. Sit Dominus, cui famuli sint quinquaginta, mandat omnibus vt ad quotidiana ministeria Domini forisq; sint prompti, exeuntem comitentur, nihil alienum surripiant, imperata in omnibus faciant: Sed hac adiecta cautione, vt si quis notabile furtum fecerit, si in

negotijs magni momenti ipsum, vel alios graues viros fraudarit, si seruorum aliquem vulnerarit vel pulsarit, norit se capite noxam luiturum, vel in perpetuas triremes compingendum: Sin in leuioribus tantum deliquerit, etiamsi sibi eis ne bilem commouisset, vel molestiam aliquã procreasset, nõ ideò aut vita priuandum, aut domo seruitioq; abigendum, sed leuiori pœna multandũ, vt relegatione in duos tresue menses, vel stipendij consueti imminutione. Ex his igitur famulis, quadraginta nouem veriti, ne discrimen vitę incurrant, aut ædibus exturbentur, aut gratia & beneuolentia Domini excidant, multa quidem clã surripiunt, sed parui pretij; crebrò mendaciolis, alijsq; fraudibus Dominũ circumueniunt, sed leuiorib. à mutuis verberibus & puguis quidẽ abstinent, sed non à clamorib. & rixis. Vnus verò tantũ famulus est, qui studio ductus Domino placendi in omnibus, nihil omittit quod Dominum offendere possit, ne minimam quidem rem alienam in suum vsum conuertit, nullo mendacio fallit, mandata sedulò præstat, etsi tarditate aliquando delinquat, mox vbi sese collegerit, lapsum

corrigit : neque ſolum imperata facit ne Dominus ſuccenſeat, ſed etiam operam nauat, vt faciat, quicquid gratum illi eſſe cognorit, optatque exploratos ſibi eſſe intimos animi eius ſenſus, vt poſſit ea præſtare, quæ ipſi forent gratiſſima iucundiſſimaque. Iam liquet hunc vnum famulum Domino, ſi rectã rationem ſequatur, gratiorem eſſe debere omnib. reliquis quadraginta nouem, & ideò plus beneficiorum in eum conferre, quàm in reliquos. Cum igitur in Deo recta ratio ſummum perfectionis gradum obtineat, nihil mirum videri debet, ſi ex ſeruorum ipſius numero alij alijs ſint gratiores.

Omnes enim qui in gratia Dei exiſtunt, nullaq; ratione profectus habita, id modò cauent, ne per peccatum mortale ea excidant, ſunt ſimiles dictis quadraginta nouem famu is. Nam ſicut hi, licèt nihil admittere velint, vnde Dominus eorum anſam arripiat, eos vel è medio tollendi, vel amandandi ad perpetuas triremes, tamen non reformidant eum leuioribus quibuſdam erratis ad iram prouocare: Sic illi decernunt quidem nullum graue crimen

deſig-

designare, quo diuina gratia & gloria cælesti destituantur, & sempiternis inferni addicantur supplicijs, sed tamen non abstinent à peccatis leuibus & venialibus, quibus sciunt quidem offendi Deum, verùm eousque, vt propter illa tantum in Purgatorij ignem detrudantur: sed neque student bonis operibus, alioquin Deo gratissimis, vacare: multis quoque pijs inspirationibus obsequi negligunt, diuinaque consilia, quæ conuenienter suo statui magno cum fructu seruare poterant, repudiant: ac denique peccata quædam, quibus Deum non parum offendunt, licèt lethalia non sint, nonnunquam flocci faciunt.

At qui ita in gratia Dei viuit, vt omni studio conetur progressum facere in virtute, hic similis est illi vni famulo, qui non solùm Domini sui mandatis paret, verùm etiam omnia illi officia vltrò defert, quæ putat esse gratissima. Hic fidelis & diligens seruus Dei non solum operam dat cauendis lapsibus mortalibus, sed etiam venialibus, eò quòd ijs quoque offendatur Deus, & si fortè per incuriam in aliquod veniale deli-

delictum labatur, extemplò dolet & resipiscit. Aurem quoque diuinis inspirationibus, quibus Deus voluntatem suam patefacere solet, præbet, eisque obsequi conatur. Et quoniam in magno pretio habet eiusdem consilia, multa quoq; ex illis obseruat. Adhæc crebris misericordiæ, humilitatis, pœnitentiæque operibus quæ scit Deo esse pergrata, licèt nulla lege imperata fuerunt, libentissimè se exercet, vt tanto amplius diuinæ maiestatis beneuolentiam sibi conciliet.

Ex his seruis ingentem Deus in Ecclesia sua numerum habet, sed alios alijs sanctiores & prouectiores: qui oculos diuinitatis suæ conuertens in id quod ratio lexque æterna postulat, hunc seruum diligentem & proficiendi desiderio flagrantem pluris æstimat, quàm magnum numerum lentorum & tepidorum, maioremque ex huius vnius, quàm cæterorum omnium officijs & ministerijs capit voluptatem. Nec mirum. Sæpenumerò siquidem contingit vnum aliquem Dei seruum fructus spiritualis cupidum, velut quotidie maiorem semper ac-

accessionem facit ad gratiam, & amorē Dei, ita plus gratiæ consequi à Deo, quā alios quàmplurimos, qui nulla cogitatione de quotidiano fructu susceptā, languidè Deo seruiunt. In hanc sententiam B. Greg. alijque sancti exponūt illud dictum Christi: *Maius gaudium est in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia.* Volunt enim illud intelligi, non de quolibet peccatore pœnitentiam agente, sed de eo qui intimo animi sensu anteactæ vitæ errata deplorat, & magno feruore nouā vitæ rationem est ingressus. Quod si de quouis peccatore, quę multorū est opinio, intelligatur, tunc nomine *maioris gaudij*, accipi nō debet gaudiū essentiale vel principale, quod nascitur ex æstimatione & amore rei de qua gaudem⁹; (Sic enim Deo angelisq; maius gaudiū esset de iusto maiori gratia prędito, quā de peccatore pœnitentiā agente, (sed accipi debet gaudiū nouū & accidētale, quod nasci solet ex recuperatione rei amissæ Si verò hoc dictū exponam⁹ cū B. Greg & alijs de peccatore qui deserto peccādi statu, magno feruore Christianā pietatem colit, tūc collatio instituide-

Gre. hō 34 in Euang. Beda in Luc. 15. Bouau ib. S. Tho & Caiet.

debet, non cum quocunque iusto, sed cũ ijs qui languidè & negligenter Deo seruiunt: vt dicto Christi hęc subiecta sit sententia. Apud Deum meliore loco esse seruum, sedulò & feruenter officio suo fungentem, etiamsi paulò ante grauibus obstrictus fuerit peccatis, quàm nonaginta nouem iustos, lentè & frigidè saluti suæ studentes.

Id declarat S. Gregorius his verbis consideratione dignis: *Considerandum*, inquit, *nobis est fratres mei, cur Dominus plus de conuersis peccatoribus, quàm de stantibus iustis gaudium esse fateatur. Vnde hoc, nisi quod ipsi per quotidianum visionis experimentum nouimus, quia plerunque hi, qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt: stant quidem in via iustitiæ, nulla illicita perpetrant, sed tamen ad cælestem patriam anxiè non anhelant, tantoque sibi in rebus licitis vsum præbent, quanto se perpetrasse nulla illicita meminerunt. Et plerumque pigri remanent ad exercenda bona præcipua, quia valdè sibi securi sunt, quod nulla commiserint mala grauiora. At contra, nonnunquam hi, qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso dolore suo compuncti inar-*

def-

deſcunt in amore Dei, ſeſeque in magnis virtutibus exercent cuncta difficilia ſancti certaminis appetunt, omnia mundi dereliquunt, honores fugiunt, acceptis contumelijs lætantur, flagrant deſiderio, ad cæleſtem patriam anhelant: & quia ſe erraſſe à Deo conſiderant, damna præcedentia lucris ſequentibus recompenſant. Maius ergo de peccatore conuerſo, quàm de ſtante iuſto gaudium ſit in cœlo. quia & dux in prælio pius eum militem diligit, qui poſt fugam reuerſus hoſtem fortiter premit, quàm illum, qui nunquam terga præbuit, & nunquam aliquid fortiter geſſit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ poſt ſpinas vberes fruges profert, quàm eam, quæ nunquam ſpinas habuit, & nunquam fertilem miſſem producit. Sed inter hæc ſciendum eſt, quia ſunt plerique iuſti, in quorum vita tantum eſt gaudium, vt eis quælibet peccatorum pœnitentia proponi nullatenus poſſit. Nam multi & nullorum ſibi malorum ſunt conſcij, & tamen in tanti ardoris afflictione ſe exercent, ac ſi à peccatis omnibus coanguſtentur. Cuncta etiam licita reſpuunt, ad deſpectum mundi ſublimiter accinguntur, licere ſibi nolunt omne quod libet. Bona ſibi amputant, etiam

tiam conceſſa, contemnunt viſibilia, inuiſibilibus accenduntur, lamentis gaudent. In cunctis ſeipſos humiliant, & ſicut nonnulli peccata operum ſic ipſi cogitationum peccata deplorant. Quid itaque iſtos dixerim, niſi iuſtos & pœnitentes, qui ſe & in pœnitentia de peccato cogitationis humiliant, & recti ſemper in opere perſeuerant. Hinc ergò colligendum eſt, quantum Deo gaudium faciat, quando humiliter plangit iuſtus, ſi facit in cœlo gaudium, quanto hoc quod malè geſſit, per pœnitentiam damnat iniuſtus. Hęc omnia Gregorius.

Quibus verbis, quaſi cæleſti face prælata, perſpicuè declarat magno in pretio apud Deum eſſe, qui cum ſollicitudine fructum ſpiritualem colligendi illi ſeruiunt, eique plurimum arridere ſtudium & feruorem, quo conãtur in virtute progreſſum facere. Deinde eoſdem, quantumuis recenter è grauiũ peccatorũ ſentina emerſerint, & initiũ tantũ ſeruiendi Deo fecerint, cariores Deo eſſe, multis iuſtis tepidis, & ſui profectus nullam curam habentib. Quod autem ait: nullam peccatorũ pœnitentiam anteponendam vitæ iuſtorum feruentium, veriſſimũ eſt ſecũ-

dùm

dùm legem ordinariam. Dici verò non potest, quantum valeat huius doctrinæ cognitio, ad faciendum in cursu veræ pietatis processum. Quis enim si vel scintillam amoris vnicam in se hebeat, non optet Deo afferre voluptatem, quã ille maximam capit ex feruore & studio proficiendi nostro? Eius siquidem cib. lautissimus est, teste S Bern. *pasci inter lilia*, vt est in Canticis, hoc est candore & odore virturũ delectari: pasci escis, quibus libenter vescitur, profectibus nostris. *Cant. 2. Ber. se. 71.*

Si ergò profectu nostro tãtoperè oblectamus diuinam maiestatem, tamq; gratum illi opus præstamus, non est quod vel excellentiùs aliquod bonum exoptemus, vel ad maiorem gloriam aspiremus. Tantum enim bonum est, placere Deo, vt meritò S. Chrysostom. scribat in hæc verba: *Si*, inquiens, *omnino dignus fueris agere aliquid, quod Deo placeat, aliam ne require mercedem, præter hoc ipsum, quod placere meruisti. Si enim requiris mercedem, verè ignoras quantum boni sit placere Deo: Si enim scires, nunquam aliud aliquid extrinsecus mercedis aut muneris expeteres.* Quibus verbis non dehortatur nos ab expectanda bonq- *Chry. l. 2. de comp. cordis.*

bonorum operum mercede: nam & illam expectare expetereque licet, modò id imprimis propositum in animo habeamus, vt Deo placeamus: sed tantum id indicare voluit, idq; verissimè, tam excellens bonum esse, placere Deo, vt si alia nulla supperterent, non magnoperè ea requirere debeamus.

CAPVT II.

DE TESTIMONIIS QVIBVS Deus declarauit sibi gratum esse studium in virtute proficiendi.

QVando homo auctoritate & sapientia præstans crebriùs, & magna contentione quippiam ab amicis suis petit, nō obscurè indicat, se magno studio illius rei consequendæ teneri, gratissimumq; futurū si postulata cōcesserint. Sic Dominus Deus, vt declararet, quantoperè optaret nos magnos progressus facere in cursu virtutis, magnoque studio & diligentia iter semel ad cælestem Hierusalem suis cœptum nulla mora interposita prosequi, toties à dilectis suis seruis, verbisque tanto affectu & grauitate plenis id quondam

dam postulauit. Ad Abraham enim Patriarcham, cum è patrio solo eduxisset, dixit: *Ambula coram me, & esto perfectus*. Gen. 17. Ambulare coram DEO aliud non est, quàm vitam piam sanctamque instituere, non solùm secundùm hominem exteriorem, qui ab hominibus cernitur, sed etiam, idque præcipuè, secundùm interiorem, quem solus Deus intuetur: id enim est, quod Beatus Paulus vocat, *Spiritu ambulare*. Gal. 5. & 6. Postulat Deus ab Abraham, vt sanctè religioseque viuat, scilicet eo studio & industria adhibita, vt semper magis magisque proficiat, donec in perfectum Heroa euadat. Quòd verò in veteri testamento DEVS exegit ab Abraham, idem ab omnibus fidelibus, verisque Euangelij seruis exigit in nouo dicens: *Estote perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est*. Mat. 5. Quorum verborum hic sensus est. Contendite ad perfectionem charitatis, omniumque virtutum, vt tanquam filij imitemini Patrem vestrum cælestem: idque non alio modo, quàm quo potest creatura imitari quadantenus suum Creatorem.

Hoc vehemens de nostro in virtute

profectu desiderium impressit Deus cordi B. Pauli Apostoli, qui tanquã cęleste quoddam Dei organum sic locutus est ad Colossenses: *Ex eadie, qua audistis, & cognouistis gratiam Dei in veritate, sicut didicistis ab* | *Epaphra carissimo conseruo nostro, qui etiam manifestauit nobis dilectionem vestram in spiritu, non cessamus pro vobis orantes, & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapientia, & intellectu spirituali, vt ambuletis dignè, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes & crescentes in scientia DEI, in omni virtute confortati secundùm potentiam claritatis eius in omni patientia & longanimitate cum gaudio*

Col. 1.

Idem desiderium patefecit DEVS, illa voce cælitus à Sancto Ioanne audita. *Qui iustus est iustificetur adhuc, & Sanctus sanctificetur adhuc.* Luculentum siquidem hoc testimonium est, quo Deus perspicuè declarat, sibi placere, vt ne serui sui languidè iter cæleste prosequantur, sed in dies progrediantur longiùs, & in virtute proficiant, quandoquidem sua diuina & immensa maiestas dignata est reipsa tam sigillatim hoc desi-

Apoc. 22.

desiderium suum nobis detegere.

Non paruum quoque momentum habet ad stabiliendam hanc veritatem, perpendere, quanti DEVS eiusmodi seruos suos faciat, quanto in pretio, & honore habeat, vt si alij omnes qui trepidè & negligenter officium hominis Christiani præstant, cùm his conferantur, minimo vel potiùs nullo apud Deum loco esse videantur. Quamuis enim certum sit Deum Opt. maximum tam singulari, suaui ac prorsus paterna ac pia cura fouere omnes fideles gratiæ suę non expertes, vt nullam in tota hac vniuersitate, nisi erga istos prouidentiam exercere, salutem illorum tantùm promouere videatur, tamen erga eos fideles, qui feruentes sunt in diuino cultu & quotidie accessionem aliquam facere ad priores virtutes conantur, tot tantaque prouidẽtiæ, intimiq́ue amoris argumenta prodit, varijs spiritus donis eos ornando, ab impendentibus tentationibus tuendo, precesq́ue eorum & desideria exaudiendo, vt veri & germani eius filij, & dilectissimi amici esse præ cæteris existimari queant. Id verissimum est, quamuis omnis qui in

gratia Dei degũt sint amici & filij Dei, tamen hos speciales, atque imprimis percaros esse eiusdem filios & amicos.

Confirmemus rem paucis exemplis. Dubium non est inde ab Abrahæ temporibus vsque ad Moysen, hoc est, trecentis eoque ampliùs annis quamplurimos homines toto orbe terrarum, ac imprimis inter filios Israel in gratia Dei vixisse, & diem extremum clausisse: & tamen Deus perindè, atque si illorum omnium oblitus esset; trium tantum, qui sibi charissimi fuissent, nomina Moysi prodidit. Exo. 3. Nam cum ei apparuisset in deserto, dixit se appellari Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Iacob, iussitque eo nomine se apud populum Israel vocari, hoc nomen sibi fore perpetuum, eodemque omnibus retro sæculis nuncupandum. Sicut enim Reges & Principes magni huius mundi nomenclaturam sibi assumunt ab vrbibus quas maximè charas in toto regno habent: Sic DEVS nomini suo inseri maximè voluit eorum nomina, quos, dum viuerent, singulari præ cæteris iustis amore & tutela prosecutus fuisset.

Itaque

Itaque dum appellauit se speciatim Deum Abrahæ, Deum Isaac, & Deum Iacob, palam mundo declarauit, præstantes illos & sanctos viros magno loco semper apud se fuisse, eorum singularem curam habuisse, multis beneficijs & donis locupletasse, ac denique promissioni semel illis factæ, eorumque posteris, satisfacturum esse.

Verùm & declarauit hac nomenclatura se vnumquemque illorum trium in magno pretio habuisse: nec enim nominauit se Deum omnium trium simul, Abrahæ, Isaac, & Iacob, sed particulatim Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Iacob. Nec solum hoc nomen in deserto patefecit Moysi, sed & voluit illud in toto populo Israelitico, imò in toto mundo vsurpari in orationibus alijsque diuinis laudibus, vt perpetua apud omnes memoria exstaret se Abraham, Isaac, & Iacob pro singularibus suis seruis & amicis habere. Quod autem Deus illos tres tam honorifica appellatione alijs hominibus pijs prætulerit, non alia causa fuit, quã quod illo sæculo præ alijs in virtutum studio progressum fecerint, perfectiusque

que diuinam voluntatem zelando pro gloria Dei, præstiterint.

Auct. catenæ in Exo. ca. 3. Dio Cart. ibid.

Moysis æuo certum est multos homines pios; Deoque gratos fuisse: si enim in discessu ex Aegypto tam numerosus erat populus, vt sexcenta millia eorum essent, qui vigesimum ætatis annum superarant, præter fœminas omnis ætatis, & iuuenes qui vigesimum non attigerant, atque etiam præter Aegyptios, qui deserto idolorum cultu populo Dei se aggregarant; sic vt scriptura appellet vulgus innumerabile: dubitandum non est in tanta fidelium multitudine, quæ legem Dei, eiusque Sacramenta venerabatur, ac oculis suis miranda Dei opera propter ipsos patrata spectarat, copiosissimum numerum adultorum in vtroque sexu extitisse, qui immunes essent à lethali peccato, & in gratia Dei viuerent. Et tamen videmus solum Moysen, quia perfecta virtute præditus erat, cauebatque non solum grauibus, sed etiam leuibus lapsibus diuinã maiestatem offendere, atque in ijs pietatis operibus sese exercere, quæ norat Deo esse gratissima, vt in contume-

Exo. 12.

lijs

lijs & iniurijs populi fortiter tolerandis, in caritate quoque ardenti omnibus æquè inimicis atque amicis deferenda: videmus, inquam, eum omnibus alijs sanctis & pijs fidelibus à Deo ob hæc elogia prælatum. Nam cùm aliquando decreuisset totum populum ob scelera admissa funditus delere, nullo habito ad innoxios, qui in illo supererant, respectu, vel quia per ætatem ad peccandum impotentes essent, vel quia peccato cæterorum non consensissent, ob solum Moysen à cæde abstinuit, eique soli dixit: Dimitte me, vt ira mea in populum desæuiat. Quid, quæso domine, retardat te, quo minùs omnes è medio tollas! num tot innocentum turba, quæ nunquam deliquit? num Leuitæ tuæ gloriæ tuendæ studio flagrantes? Non certè, sed vnus Moyses omnipotentiæ tuæ manus cohibet, tuæque iustitiæ furorem, ne omnes disperdas, auertit. O quantum placet Deo, videre seruos suos in dies magnum in virtute facientes progressum? si tanti facit eos, qui ad veræ pietatis culmen peruenerunt.

Eliæ quoque tempore multi supererant ſerui DEI, quos DEVS in media impiorum turba beneficio gratiæ ſuæ immunes ab omni ſcelere ſeruarat, vt indicat diuina ſcriptura: & tamen vnum ex omnibus Eliam tanti fecit, vt dederit illi poteſtatem in tempora & nubes, ne imbres dimitteret in terram, ad caſtigandam hominum improbitatem, & rurſum vt ſua oratione, quando vellet, pluuiam de cœlo quaſi euocaret. Quia enim excellenti virtute præditus erat, idcircò pluris illum Deus feciſſe videtur, quàm reliquos omnes iuſtos.

3 *Reg.* 15. 17 18.

Rom. 11. *Anſ ibid. Iac.* 5.

Quo verò tempore Dauid & Salomon imperabant, tanta acceſsio facta erat ad populi Iudaici multitudinem, vt Salomon ipſe loquens cum Deo, teſtatus ſit factam innumerabilem quaſi puluerem terræ, non potuit, non maxima ſuppetere fidelium copia, qui gratiæ diuinæ compotes eſſent, & in numero iuſtorum. Et tamen quia vnus rex Dauid ad faſtigium perfectionis peruenerat, voluntati diuinæ ſedulò paruerat, magno zelo amplificandæ Dei gloriæ exarſerat, lapſus ſuos, licèt

licèt graues, voluntarijs pœnis deleuerat, gratiamque amissam recuperarat. Deus omnib. reliquis suis seruis posthabitis, Salomoni, quem vnà cum populo ob patrata scelera de medio tollere decreuerat, dixit: *Disrumpens scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Verum tamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuum: de manu filij tui scindam illud. Nec totum regnum auferam, sed tribum vnam dabo filio tuo propter Dauid seruum meum, & Hierusalem, quam elegi.* 3. Reg. 17. Similiter Ezechiam regem infirmũ mortique proximum per Isaiam Prophetã dominus sic allocutus est: *Ecce sanaui te, die tertio ascendes templum domini, & addam diebus tuis quindecim annos: sed & de manu Regis Assyriorum liberabo te, & ciuitatem hanc, & protegam vrbem istam propter me, & propter Dauid seruum meum.* 4. Re. 20.

Quis poterit dignè exprimere horũ testimoniorum mysteria? hoc est, quanto in pretio sit apud Deum homo virtute præstans, peccatorum hostis, bonorum operum ardens sectator, patiens iniuriarum, charitate in proximum flagrans, & magnus diuinæ gloriæ amplificator? Tanto enim hono-

re eiusmodi hominem prosequitur vt etiam in cōmunionē nominis sui illū admittat, vocando se Deū illius: ac ne vlla re eum contristet, etiā integro parcit regno, precibusq; eius quasi victus legi naturæ se subijcit, vt in creaturis suis fiat, quicquid illi placuerit. Denique propter illū solū facit, quod nō faceret propter multos iustos, qui imperfectè ei seruiunt: cumq; ipse infinita æternaq; sit præditus maiestate, homo verò creatura è nihilo, tamen ob solam hominis voluntatem dignatur se quodammodo exæquare creaturæ, dicens: *Protegam vrbem istam propter me, & propter Dauid seruum meum.*

CAPVT III.

QVANTVM PROSINT ECCLESIÆ Catholicæ serui Dei, qui in virtute proficiunt.

ETsi iusti omnes, & serui Dei quotquot gratia diuina non exciderunt toti mystico Ecclesiæ corpori plurimū prosint, vtpote qui partim precib. suis, partim operibus bonis à Deo singularia dona & beneficia impetrēt, quib. & peccatores conuertuntur, & iusti confer-

seruantur longè tamen ampliùs prosũt in virtute perfecti: iusti enim oẽs licèt sint viua Ecclesiæ membra, & filij lucis, hi tamen sunt veluti oculi in corpore humano, & quasi stellę quędã in firmamento, imò velut Sol & Luna, qui sunt instar quorundã oculorũ vel lampadũ totius vniuersitatis. Sic eos appellat diuina scriptura multis in locis. Nam B. Paulus in epistola ad Philip. *Sitis*, inquit, *in medio nationis prauæ & peruersæ; inter quos lucetis sicut luminaria in mundo.* Et Christus Dominus declarauit in Apocal. B. Ioanni Euangelistæ, stellas quas manu dextera gerebat esse Prælatos & Magistros sanctos, quos ibi vocat Angelos Ecclesiæ. Hi enim tanquã Heroes excellentes virtute prædĭti, doctrina sua, & imprimis exemplis vehementer excitant, accenduntque alios ad amorẽ virtutũ, sic prorsus, vt vnus ex ijs solus sufficiat ad conuertendum integrũ regnum, illudque in timore Dei conseruandũ. Quò non pertingũt suo exemplo tepidi, quamuis enim operam dent, ne animã lethali labe inquinent, tamen quia nulla cura tangũtur cauẽdorum leuiũ, nec in operib. caritatis & pœnitentiæ frequentandis sunt seduli,

Dan. 12. *Phil. 2.* *Apoc. 1.*

paucos ad amorem Dei prouocant. Nam ad conuertendos vel erigendos eos, qui in crimen mortale lapsi sunt, ordinariè opus est exemplo admodum potenti & efficaci: ad accendendos verò languidos exemplo raro & notabili: quod quia præbent imprimis homines in virtute perfecti, idcircò tantoperè permouent proximum, & Deus eis tanquam instrumentis ad excellentia opera præstanda vtitur.

Greg. l. 25. mor. ca. 7. Vnde Beatus Gregorius: *Ad renouandum spiritum mentis nostræ, valdè,* inquit, *exempla Patrum adiuuant. Si enim sanctorum opera inspicimus, illa contemplata nos succendunt, & cor nostrum torpore non constringitur, dum imitatione prouocatur.*

Iud. 2. Illustrè huius doctrinæ testimonium præbet sacra Iudicum historia, quæ refert mortuo Moyse & Iosue filios Israel permultis annis perstitisse in vero Dei cultu, sed demum dimisisse Dominum Deum Patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Aegypti. Causam verò huius rei commemorat fuisse, quod quamdiu in populo superstites fuissent aliqui de senioribus gloriæ diuinæ amplificandæ studiosi, quique oculis suis miranda Dei opera spectarant

ctarant populum in timore Dei eorum doctrina & exemplo fuisse conseruatum: quando verò illi è viuis excesserunt, nec pari virtute ornati succederent alij, à veteri Religione & pietate degenerasse. Eodem pertinet, quod diuina scriptura recenset in quarto Regum, de rege Ioa, qui primis annis regni sui, quod in quadragesimum vsque annum tenuit, piè regnauit, suoque exemplo totum populum in vero Dei cultu continuit. Causam autem huius rei tribuit sancto Pontifici Ioadæ, qui primis illis annis doctrina sua & zelo non passus est regem à via recta deflectere. Nam eo mortuo Rex subitò prævaricatus est, & populum à legitimo Dei cultu abduxit. Atque hic est admirandus fructus quem magni Dei serui efficiunt in Republica & vniuersa fidelium Ecclesia. 4 Reg. 12. 2. Par. 24.

Iusti omnes, qui in gratia Dei viuunt, licèt exigua virtute præditi, sunt tamen petræ viuæ Ecclesiæ Christi, & ædificationem huius domus, & templum spirituale Dei, eiusque conservationem, teste B. Petro, promouent. Verùm homines Dei, qui in virtute pro- 1. Pet. 2.

fecerunt, sunt huius ædificij columnæ, quæ apud Deum illud sustentant, & conseruant, atque vnitum tenent cum lapide angulari Christo Iesu capite, & principe totius Ecclesiæ, vt appellatur in diuina Scriptura. Ieremiæ prophe-

Ierem. 1. tæ dixit Deus: *Dedi te hodie in columnam ferream & in murum æreum*, id est, ingens robur & virtutem tibi in meo populo contuli, ad tuendum conseruandumque bonos, & expugnandum

Apoc 3. malos. Et S. Ioanni dixit Christus. *Qui vicerit, faciam illam columnam in templo Dei mei*: ac si diceret. Dabo illi virtutem ad sustentandum alios. Hinc liquet, quantum Ecclesiæ prosint serui Dei profectus spiritalis studiosi: Sicut enim in materiali ædificio, subtracta aliqua columna, magna pars propendet in ruinam, sic quando Ecclesiæ Dei eripiuntur serui Dei amore zeloque Dei feruidi, magna sequi solet animarum iactura, vt dum in Republica vel regno piæ consuetudines abolentur, contra verò vitia & abusus detestandi pullulant, ac cum pietate etiam vera religio in apertum discrimen, nemine resistente, vocatur.

Atque idcirco Deus, qui tantoperè quæ-

quærit ſalutem noſtram, quoties peccatis populi grauiter offenditur, & à ſua iuſtitia quaſi vindictam contra illum expoſcit, optat in medium prodire homines qui ſe iræ ſuæ opponant, & manum vltricem precibus ſuis à populi clade auertant. Quod ſæpenumerò indicauit per Prophetas. Nam cùm per Ezechielem grauiſſima ſcelera, quibus populus diuinæ iuſtitiæ furorem prouocarat, commemoraſſet, exponens deſiderium ſuum, *Quæſiui*, inquit, *de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam, & non inueni. Et effudi ſuper eos indignationem meam, in igne iræ meæ conſumpſi eos.* Non loquitur hic Dominus de quouis viro iuſto, neque enim veriſimile eſt omnes in tam numeroſo populo gratia diuina excidiſſe, ſed de viro eximia virtute ornato, vt exponit S. Hieronymus. hi ſiquidē ſunt, qui precum ſuarum, vitæque ſanctæ vi & efficacia impetum iræ diuinæ frangunt, & velut columnæ humeris ſuis totum populum ſuſtentant. *Ezech. 22.* *Hier in 5. 22. Ezech.*

Aliàs quoque cùm Deus conſtituiſſet caſtigare Hieroſolymitanos, & regnum Iudæ in manus Chaldæorum tradere,

dere, vt propter scelera quibus diuinam ipsius maiestatem irritarant, illud euerterent, & funditus exscinderent, sic locutus est ad Ieremiam: *Circuite vias Hierusalem, & aspicite, & considerate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem fidem, & propitius ero ei.*

Ierem. 5.

O quanto loco apud Deum est, quam in conspectu eius gratus homo in virtute perfectus! nam si talem aliquem etiam in medio innumerabilium improborum, qui internecionem meruerunt, conspexerit, non tamen è medio tollit, & diuinæ suæ iustitiæ manum iam in eos exertam cohibet & coercet. Vnde B. Hieronymus iure in hunc locum scribens exclamat: *Grandis amor iustitiæ, vt nequaquam iuxta interrogationem Abrahæ, & responsionem DEI pro decem viris iustis Deus liberauerit ciuitatem, sed si vnum inuenerit, iam iamque peritura Ierusalem, qui faciat iudicium & quærat fidem.*

Hieron. in c. 5. Ierem.

Multa huius rei exempla inuenimus in historia Sanctorum tempore beati Laurentij Iustiniani Patriarchæ Veneti, Deus Venetorum vrbi ob grauia scelera quæ in ea perpetrabantur, grauiter suc-

Bern. Iust. in eius vita.

ſuccenſuit. Precabatur pro ea dictus B. Laurentius inibi degens. Bellum exarſit inter Venetos & Mediolanenſes. Incolebat id temporis locum deſertum & horridum inſulæ Corcyræ finitimum Eremita ſanctus, ſpiritu vaticinandi præditus. Hunc Venetus quidam vir primarius agens in Corcyra adijt, & percunctatus eſt, num bellum illud fæliciter ceſſurum eſſet Venetis? Cui reſpondit. Deum vehementer iratum eſſe Venetis, quod ex verbi diuini prædicatione nullum fructum colligerent: eosque iampridem inſtar Sodomæ perituros fuiſſe, niſi precibus ſui ſancti Patriarchæ furor diuinus auerſus fuiſſet. Non dubium eſt tunc temporis Venetijs multos extitiſſe probos homines mediocri virtute præditos, & tamen ſolius B. Iuſtiniani, qui erat homo in virtute perfectus, Deus rationem habuiſſe videtur.

Illuſtris quoque & admodum celebris eſt ſanctitas Simeonis Sali, cuius vitã deſcripſit Leontius Epiſcopus Neapolitanus in Concilio Niceno ſecundo citatus, velut vitæ eius auctor. Hic Simeon degens Emeſæ, & Sanctitatem vitæ ſtultis operibus cælans, multa admi-

miratione digna in ſummum ſui contemptum, & in ſalutem corporalem, & ſpiritalem proximi faciebat. Nocturnum tempus in precibus, cum multa lacrymarum profuſione conſumebat. Cùm autem aliquando contigiſſet Emeſanum quendam ciuem Hieroſolymam tendentem in ſolitudinem ingredi, vt ibi ſe Abbatis Ioannis precibus commendaret: Abbas olim Simeonis ſocius, quæſiuit vnde veniret: cumque cognouiſſet venire Emeſa, in hæc verba ei reſpondit: Miror te cum Emeſæ habeas Abbatem Simeonem, ad me hominem vilem & abiectum diuertere, nã non ego ſolum, ſed etiam mundus totus indiget illius precibus.

O quàm vtilis eſt Eccleſiæ, animarum ſaluti, rebus publicis & regnis eximia vnius hominis ſanctitas, cùm videamus homines ſanctos, maxima diuinarum rerum notitia præditos teſtari quanto loco apud Deum ſint huiuſmodi homines, quotq; beneficijs Eccleſiam ſuam & omnes Reſpublicas propter ardentes eorum orationes, vitæque merita afficiat, Fideliſſimæ huius doctrinæ teſtis eſt D. Ambroſius qui hactenus dicta confirmat his verbis: *Quàm*

beata

beata ciuitas, quæ plurimos iustos habet, quàm celebrabilis ore omnium, quomodo benedicitur tota de parte, & beatus atque perpetuus eius status existimatur. Quàm gaudeo, cùm aliquos mites ac sapientes diu viuere video, cùm virgines castas, viduas graues aspicio longæuas velut quandam in canam Ecclesiæ curiam prætendant ipso quodam vultu & specie grauitatis, quod reuereantur, quod imitentur, quo, ad omnem morum gratiam colorentur. Non enim ipsis gaudeo, cùm viuendo multa subeant tædia sæculi huius, sed quia prosunt pluribus. Similiter cùm aliquis huiusmodi decidit, quamuis longa senectute, depositus afficior, quia destituitur, grex iuuenum muro senili. Addit hos sanctos homines, tam viros, quàm mulieres peccatoribus & alijs exigua virtute præditis constitutos esse à Deo in lege veteri quasi ciuitates refugij, in, quas cùm delinquunt, se recipere possint ac tandem concludit in hæc verba: *Denique perituræ vrbis, aut malorum imminentium, vel futura labis hoc primum indicium est, si decidant viri consultores, vel etiam grauiores fœminæ. Hinc primùm ingruentiũ porta aperitur malorum.* Hucusq; S. Amb. Vnde intelligimus quãti interfit Ecclesiæ Christi, si fideles, qui

Amb. l. 2. de Cain & Abel c. 3. & 4.

qui Christianæ pietati semel operam dare cœperunt, conentur in ea indies maiores facere progressus & ad omnium virtutum perfectionem contendere.

CAPVT IV.

QVAM VTILE ET NECESSARIUM sit omnibus Dei seruis pro donis à Deo cuiq; communicatis in cursu virtutis progressum facere.

QVamuis omnibus Dei seruis ad amplectendum toto pectore hoc proficiēdi studium satis esse deberet, quod tam gratum sit Deo, tamq; fructuosum toti Ecclesiæ: tamen quia magnopere refert scire, quæ commoda ex eodem fonte redundent in ipsos, breuiter exponemus, quàm vtilis & salutaris sit cuiq; iusto amor & cura proficiendi; quamque perperam sibi consulat, qui curam illam negligit. Ad iter autem in via cęlesti rectè instituēdum, plurimum valet integra & plena peccatorum, & grauitatis eorum notitia, occasionum quoque & tentationum ac laqueorum, quibus anima nostra ab ini-

inimico irretiri solet. Hoc verò beneficio ornare solet imprimis DEVS omnes profectus spiritualis studiosos. Quamdiu enim homo in cursu pietatis languidior est, nec nisi grauibus lapsibus cauendis inuigilat, licèt non ignoret, quæ sint peccata grauia, omnibusque manifesta, tamen alia multa loco peccatorum non habet: quædam etiam grauiora æstimat leuiora, occasiones item nonnullas ac tentationes, vnde procliuis est ruina in scelera, periculi latentis ignarus, pro nihilo ducit: denique licèt lapsus quosdam sciat esse lethales & mortiferos, tamen non ponderat quantum inde exurgat damnum, quamque grandis noxa sit infinitam Dei maiestatem offendere. Vt primum verò pigritiæ laqueos disruperit, & diligenter cœperit vacare veræ pietati, declinando ab omni malo, quod tale esse cognorit, bonaque omnia, quæ grata Deo esse sciuerit, perficiendo, DEVS mox oculos animæ eius aperit, luceque admirabili collustrat, qua cernat multa quæ antè non aduerterat, notetque peccata & tentationes, & præcipitia eorundem, quæ nunquam antea notarat. ac demum tantum non miratur, hominis

minis vitam tantis obnoxiam esse periculis, ingenueque agnoscit quantam quisque salutis suæ curã habere debeat, diuinumque in omnibus implorare auxilium.

Atque hoc est quod diuina scriptura his verbis significat: *Iustorum semita, quasi lux splendens procedit & crescit vsque ad perfectum diem.* quasi diceret: sicut lumen prima diei aurora exiguum est, augescenteque die crescit, donec ad perfectionem, quam in meridie habet, peruenerit: sic vita iustorum in primis initijs lumen exiguum habet ad cognoscenda bona & mala, sed procedente tempore cum incremento virtutum accessionem facit ad priorem lucem, donec pertingat ad claram cognitionem æternitatis, in qua Deus clarè in suo ipsius lumine conspicietur. Hoc beneficium à Deo communicari omnibus profectus sui studiosis confitetur S. Isidorus, dum ait peccata, quæ incipientibus videntur leuia, ijs qui in virtute profecerunt videri grauia, & idcirco eos non solum à vanis iuramentis, sed etiam à simplici mendacio abhorrere: prouectiores verò non modò cauere mendacia, sed magno studio quoque defu-

Prou. 4:

Isid. l de sum. bon. c. 10.

Bonau lib. 1. Pharet. c. 31.

defugere colloquia ociosa. *Sic. B. Isidor.*

Vt verò maiori desiderio flagremus proficiendi in ista bonorum malorumque notitia, quam Dominus communicare solet suis dilectis, audiamus quomodo B. Augustinus alicubi depingat hominem ex peccati statu tam perfecte ad veram conuersionem morum traductum, vt omnes, qui illum ante nouerāt in admirationem rapiantur, & Deum collaudantes dicant. Qui quondam erat tam impius & sceleratus, modò quomodo Deo seruit, quàm innocēs factus est. Subiungit enim, illum hominem, etiāsi à peccatis discedat, quæ cognoscit, non tamen effugere omnia peccatorum pericula & occasiones, quia eorum, sicut & multorum aliorum vitiorum scientiam nondum est consecutus, sed neque animaduertere & notare ea posse, nisi proficiendi cupiditate teneatur: hoc enim clarius & scandala & pericula à quouis pio perspici, quo plus proficere conatur, & vbi viderit exclamare ad Deum: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Quod ideò clamat, quia optat liber esse à peccatis, & in numerum eorum referri, qui nec peccant, nec amplius peccare possunt.

Aug. in psal. 119. in verb. Sagittæ.

Ab

Ab hoc beneficio, quod Deus confert proficientibus, manant innumera alia beneficia diuina & munera. Quemadmodum enim huiusmodi serui Dei progressum faciunt in agnitione odioque peccatorum, atque etiam in lumine rerum cœlestium, sic etiam maiores indies accipiunt vires ad benè agendum, Deo conatum adiuuante. Vnde fit, vt qui initio viribus spiritalibus defecti difficultatem magnam & pugnam in multarum virtutum exercitatione sentiebant, post progressum aliquem factum magnam in ijsdem experiantur & facilitatem & dulcedinem: quod sanè non ex ipsorum operum, sed solius cordis mutatione euenit, quippe cui robur maius ad benè agendum accedit. Idem affirmat Propheta Isaias, cum ait: *DEVS sempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ: non deficiet, neque laborabit, nec est inuestigatio sapientiæ eius. Qui dat lasso virtutem, & his qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat. Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aqui-*

Isa. 40.

aquilæ, current, & non laborabunt, ambulabũt, & non deficient.

Hæc est magna illa fortitudo, hæc cordis generositas & vigor, quem DEVS communicat in cultu veræ pietatis progredientibus: auget enim in illis rerum spiritalium gustum, bonæ conscientiæ puritatem & gaudium, in ærumnis patientiam, in verbis & exemplis efficaciam, amorem & gratiam in adiuuandis proximis, accumulat ijsdem cœlestia sua dona & charismata, atque cum gratia & amore diuino copiosissimam notitiam mysteriorum donorumque diuinorum. Etenim hominem iustum in seruitio diuino proficere, aliud non est, quàm donis ac beneficijs è manu DEI acceptis bene vti, & gratiam aliquam pro tanta clementia & misericordia diuinæ maiestati repẽdere, vt hac grati animi significatione noua beneficentia nos dignos reddamus. Id significauit Dominus, cùm in parabola quadam commemorat, hominem quendam nobilem conuocatis decem seruis, singulis dedisse decem minas, & dixisse: *Negotiamini, dum venio*: haud secus enim Deus fidelibus suis seruis dona confert, man- Luc. 19.

datque vt ijs rectè vtantur ad salutem suam & proximorum. Deinde idem nobilis, illi, qui negotiando vna mina decem minas acquisierat, iussit dari omnes minas eius, qui nihil negotiando acquisierat: sic Deus sua dona & beneficia, nouis cumulat in ijs, qui benè veteribus fuerint vsi, & progressum aliquem eorum auxilio fecerunt. Vnde & concludit totam parabolam hac admiranda sententia: *Dico vobis, quia omni habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem, qui non habet, & quod habet auferetur ab eo.* quasi diceret: Quicunque bonis & beneficijs diuinis rectè fuerit vsus, eum Deus pluribus maioribusque afficiet beneficijs; qui secus, eum ijs, quæ habet, spoliabit.

CA-

CAPVT V.

Quàm salutare & necessarium sit in virtutum studio proficere, ad cauendum periculum & incommodum tepiditatis.

VVlgata Sanctorum sententia est, non progredientes in pietatis cursu retrogredi, & quæstus in vita spiritali facti iacturam facere. Existimant nimirum ex incuria & negligentia proficiendi mox sequi multorum bonorum operum, quæ facere tenemur, neglectum: & contra in multa peccata, quæ cauere tenemur præcipitem lapsum, ac consequenter pristinum ardorem in vita piè sanctèque transigenda, paulatim excidere, & gradum fieri ad ea peccata, quibus gratia & amicitia diuina prorsus ab animo nostro depellatur. Confirmat hanc sententiam beatus Gregorius his verbis: *Admonendi sunt qui inchoata bona minime consummant, vt cauta circumspectione considerent, quia dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerant cœpta conuellunt. Si enim quod videtur gerendum,* Greg. Past. p. 3 c. 35.

sollicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum decrescit. In hoc quippe mundo humana anima quasi more nauis contra ictum fluminis condescendentis, vno in loco nequaquam stare permittitur, quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non subleuat, ipsa operandi remissio contra hoc quod operatum est pugnat. Hæc Gregorius. Ex quibus verbis facilè intelligitur, quanti referat, seruum Dei dare operam quotidiano in virtute profectui.

Verùm quàm necessarium sit eidem magno studio contendere ad maiorem perfectionem, quantoque periculo retrogrediendi se exponat qui id negligit, præclarè exprimit Sanctus Bernardus: *Non habemus,* inquit, *hic manentem ciuitatem, aut ascendas necesse est, aut descendas, si attentas stare, ruas necesse est. Minimè pro certo est bonus, qui melior esse non vult. Et vbi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus.* Et in alio loco ait: *Sic mihi, inquis, viuere volo, & manere in quo perueni: nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis quod esse non potest. Quòd si Chri-*

Bern. ep. 91. ad Abbates.

Idē ep 252. ad Garinum

sto

sto currente gradum sistis, non Christo appropias, sed te magis elongas; timendumque tibi est, quod ait Dauid. Ecce qui elongant se à te Domine peribunt. Sic Bernardus. Esto, non semper, aut gratia diuina, aut pristina bonitate destituatur, qui proficere desinit, tamen viam quasi parat ad lapsum, & quia lapsui proximus est, idcircò S. Bernardus dixit eum desinere esse bonum Etsi enim negligentia proficiendi subinitium non exæquet lethalem noxam, quæ penitus gratiam tollat, tamen partem aliquam de bonitate adimit, & paruus quidam lapsus est. *Psalm. 72.*

Neque sacra Scriptura conticuit, in quantum periculum & lapsus, & iacturæ omnis lucri spiritualis sese isti per incuriam suam conijciant. Nam quodam in loco: *Qui mollis*, inquit, *est & dissolutus, in opere suo frater est sua opera dissipantis.* Sensus est, qui in bono inchoato non proficit, suaque opera bona non facit studiosè & perfectè, similis est illi, qui omnia abijcit quæcunque lucratus est. Et alibi eadem scriptura ita loquitur. *Pigredo immittit soporem, & anima dissoluta esuriet*, quasi dicat, vt bene declarat S. Gregorius. Sicut pigredo *Prou. 31.* *Prou 12.*

Greg. 3 p. pastor. admon. 16. facit vt homo sine necessitate obdormiscat, & ignauia in operando facit vt homo patiatur famem, aliarumque rerum inopiam: Sic torpor in vita spirituali in anima excitat soporem quendam spiritualem, quo homo quasi omni bonorum operum, consolationumque spiritualium ac cœlestium sensu destituitur, & solas sectatur voluptates terrenas. Vnde fit, vt ei neque meditari, neque loqui de Deo libeat, non solitudinem, non orationem, non sacram ametlectionem, nullamque capiat ex virtutum exercitatione delectationem; sed contra totum se dedat cupiditatibus rerum caducarum, oculosque & aures pascat vanis & curiosis colloquijs, vnde procliuis est lapsus in crimina, quæ hominem penitus ab amicitia & gratia diuina diuellunt.

Atque hæc est pœna formidabilis, quam Christus cuidam tepido comminatus est in Apocalypsi, dicens: *Vtinam frigidus esses, aut calidus, sed quia tepidus es, incipiam te euomere.* Calidum vocat, teste beato Gregorio, qui sedulus & ardens est in vita pia & sancta: frigidum verò, qui obnoxius quidem est peccato mortali, sed magna

Apoc. 3.

gna spe tenetur euadendi illud. Tepidum autem appellat, qui cœpit seruire DEO quidem, sed languidius in suscepto semel pietatis cultu progreditur, nec operam dat, vt faciat in virtute progressum. Qua expositione significat, etiamsi maior culpa sit frigidi, quam tepidi, eius grauitate spectata, tamen tepido maius quodammodo impendere periculum, si eorum rationem habeamus, quæ solent eiusmodi hominibus tandem euenire. Nam frigidus in peccato mortali existens, spem de se præbet, si conuersus fuerit, magnæ in diuino seruitio diligentiæ & feruoris. Videmus enim multos magnos peccatores in magnos sanctos iam olim commutatos. Cæterùm de tepido metus est verus & probabilis, eum cum omni gratia exutum iri, qua semel amissa tam cæcum futurum, & obstinatum in malo, vt difficillimè in viam reuocari possit, non quòd ex parte DEI potestas aut voluntas eum sanandi desit, sed quia ex parte sua tam longè absit à desiderio postulandi à Deo auxilij: atque etiam tam imbecillis, vt postulare non velit, aut valeat.

Quare non loquitur loco citato Dominus de quocunque peccatore fridigido, sed de ijs, qui peccatorum suorum grauitate perculsi magna humilitate, & dolore animi conantur emergere è malorum profundo, vt verbis illis hæc sit subiecta sententia Vtinam feruens & sedulus esses in meo seruitio : aut quia non es, Vtinam vel tantam profectus, vel salutis spem præberes, quantam præbent multi peccatores, quam tamen non præbes : imò quia tepidus es & negligens, magno in periculo versaris, ne & mea gratia in hac vita, & æterna gloria in altera excidas. Hæc damna sunt propria eorum, qui in vita piè sancteque inchoata progressum facere negligunt, hæc pœna ingrati animi : nam quemadmodum gratitudinis est, beneficijs acceptis bene vti, & fructum aliquem ex illis decerpere: (cuius fructus hæc merces est, vt Deus ob grati animi significationem nouis donis & muneribus pro immensa sua liberalitate priora sua beneficia cumulet, vti supra dictum est) sic summæ ingratitudinis est, abuti beneficijs diuinis, nullumque ex ijs fructum carpere. Vnde sequitur, vt talibus DEVS iuxta culpæ gra-

grauitatem paulatim omnem beneuolentiam, omniaque spiritalia auxilia subtrahat, ac denique omnibus gratiæ ornamentis spoliet, detrudat pro ingrati animi meritis ad eas pœnas, quas promeruit seruus inutilis: qui cum talento accepto negotiari noluit, cui Dominus sustulit talentum, æternisque tenebris eum in prædam abiecit.

CAPVT VI.

CVRAM IN VIRTVTE PROFICIENDI conuenire non solùm incipientibus, sed etiam proficientibus, & perfectis.

POsset fortè aliquis in eam inclinare sententiã, vt arbitretur proficiendi studium ijs tantùm necessariò incumbere, qui initium fecerunt Deo seruiendi: sed non est ita, cùm ad omnes prorsus fideles id pertineat: imò quò quis maiori studio profectus faciendi ardet, hoc perfectionẽ in omni virtute maiorem se assecutum demonstrat, hi siquidem sunt, qui summa quadam fame & siti proficiendi laborant, qui omnia media & remedia in-

dagant non solum legibus præcepta, vt de fugiendo quouis genere peccatorum, de obseruatione Decalogi diligenti & sedula, verùm etiam libera, & per modum consilij proposita, vt eo citius ad culmen perfectionis attingant. Etenim, quamuis verum sit homines sanctos cognoscere suum in virtute profectum, nunc quia, vt habet sanctus Gregorius, quotidie vitam suam suspecti examinant, & mores præsentes cum præteritis conferentes, deprehendunt se à multis peccatis & animi perturbationibus liberatos, virtutum quoque opera tam interna, quàm externa multò promptius, quàm aliàs, cùm & voluntas & vires spirituales abessent, exercere. Nunc etiam, quia sancti agnoscunt quot quantisque donis cœlestibus à Deo ornati sint: (auctore enim Spiritu sancto nôrunt quæ à Deo illis donata sunt teste Apostolo) Inter quæ dona non minimum locum tenet, ardens in proficiendo desiderium, nõ tamen idcircò pluris se æstimant, quàm priùs, sed potius minoris, maiorique contemptu seipsos persequuntur, & in dies maiori zelo ad perfectionem aspirant.

Greg. lib. 25. mor. c. 6.

2. Corint. 2.

Causa

Causa huius rei est: quòd quò homines pij & sancti maiores processus in virtute faciunt, hoc à Deo plus lucis accipiunt ad agnoscendos defectus suos, eorumque grauitatem quam ante non cognoscebant. Et quemadmodum hominis vilitas & miseria est immẽsa quędam abyssus, eò quòd obnoxius sit peccato, & de nihilo conditus, sic magis magisque proficit in cognoscenda vilitate sua atque miseria, ipsoq; nihilo qꝑ ex parte sua habet. Et sicut proficiendo in virtute, amplius quoq; proficit in sui cõtemptu, sic quoad sanctitatem maiorẽ prouehitur, hoc humili⁹ de se sentit. ita affirmat S. Gregor. non semel: cùm scribit seruos Dei, quò per bona opera propinquiores fiunt Deo, hoc clarius animæ suæ maculas conspicere, & suam indignitatem, eoque amplius semetipsos arguere & abominari, non solùm propter defectus & lapsus suos, quos animaduertũt, sed etiam, quia probè nôrunt multas restare noxas, quas solus Deus in ipsis cognoscat. Qua etiam de causa, vt idem S. Doctor perhibet, piè ordinauit De⁹, vt serui sui perfecta virtute pręditi contra suam voluntatẽ adhibeantur Ecclesiæ gubernaculo, cogãturque

Greg libr. 9. mor. c. 19. & lib. 15. ca. 21. & l. 21. c. 4.

Greg. 5. mor. c. 4.

turq; conuersari cum proximis, vt dum alios ad perfectionem verbo & exemplo cohortantur, in suorum defectuum notitiam veniant, atque ita & melius se cognoscant, & submissius de se sentiant. Vnde sæpenumerò fit, vt vbi se existimabant maximam pietatis iacturam facturos, & demolituros quicquid ante ædificassent, ibi misericordiæ diuinæ beneficio accessionem magnam faciant ad virtutes, & bonis spiritalibus supra modum locupletentur.

ADHAEC eiusdem lucis beneficio, vti augescit profectus in sanctis, sic clarius potentiam & bonitatem Dei infinitam omniaque eius attributa & perfectiones, ac quantò honore & reuerentia dignus sit, cognoscunt: Vnde sequitur, vt se quoque accuratius cognoscant, & humilius de se deinceps sentiant, quandoquidem liquidius cernunt, quàm longè absint à perfectione, quam habere debent, quotquot DEO cum dignitate & fructu spiritali seruire concupiscunt. Id sanctus Augustin. significare voluit, cùm scripsit: *Multùm in hac vita ille profecit, qui quàm longè sit à perfectione iustitiæ, proficiendo cognouit.* Vnde fit, quòd tam parui se faciant,

Augstu l de sp. r. & lit c. 36.

ant, vt se tanquam puluerem terræ despiciant, quemadmodum confitetur S. Gregorius, dum ait, sanctos homines, quo in cognitione Dei ampliùs proficiunt, hoc plus se contemnere, haud secus quasi nihil essent, vel propemodum nihil. *Greg. lib. 25. mor. c. 2.*

Hinc verò etiam id sequitur, pios, dum plus proficiunt, maiore porrò desiderio flagrare fructum faciendi, tum quia perfectius cognoscunt se esse ad id obligatos, tum quia vires ampliores in eam rem adepti sunt à Deo, cui intelligunt hunc conatum suum esse gratissimum. Etenim cur, quæso, homo iustus non teneatur studio proficiendi in Dei seruitio, qui puris animæ suæ oculis, & infinitam Dei bonitatem, & misericordiæ maximæ testimonia, & eximium amorem, quo se prosequitur, perspicit? qui scit se hoc studio incredibilem cōciliare voluptatem diuinæ Clementiæ? eoque vberiorem, quo constantius in eadem voluntate persistit. Quomodo non conetur omnem lapidem mouere seruus DEI ad perfectionem omnium virtutum consequendam, qui potest claro & præsenti iudicio, omni animi

perturbatione excluſa plenè æſtimare valorem, vel vnius gradus in amore diuino? neque enim pretium eius aliud eſt, quam ipſe Deus, quem amore acquirimus, & amore poſſidemus. Deinde, qui non ignorat hunc amorem eſſe theſaurum infinitum, omnis menſuræ, limitumque expertem, cùm in amore Dei nullus ſit modus, neque menſura. Et qui ſcit, quo in virtutum ſchola plus profecerit, hoc maiorem in amore illo acceſſionem faciat, ac proinde firmius per gratiam & gloriam Deo perfruatur, quem beneficio amoris poſſidemus? Qui oculi, talia contuentes, non delectentur tanta pulchritudine? Quòd cor, hæc ſentiens, & deguſtans, non ardeat tanti boni deſiderio?

Egregiè hunc profectus ſpiritualis prouentum intelligebat ſanctus Rex Dauid, cùm diceret: *Et dixi nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelſi.* Ille poſt multos annos in cultu pietatis exactos, cùm ſedulò diuina beneficia ſibi collata perpendiſſet, occaſioneſque, quas habuiſſet numen diuinum colendi: tamen tandem ingenti animo & fiducia hic decernit, à nouo inchoare vetera

Pſal. 76.

pieta-

pietatis officia, nouoque ardore perficere, ac simul ingenuè confitetur hoc studium suum non à se, sed à sola potenti manu Dei proficisci. Multos annos impenderat in seruitio diuino, & tamen iam fatetur se primum incipere: nam vt in hæc verba Ambrosius Ansbertus scribit, profectus in virtute, quem faciunt electi, nō est aliud, quam initium seruiendi Deo, & quotidie dicuntur incipere, quia omnib. temporis momentis virtutem virtuti solent adiungere. *Ansb. in c. 12. Apocal.*

Milites boni, vbi semel initium fecerint congrediendi cum hoste, etiam si hostem irruere videant, terga non vertunt, sed pergunt fortiter dimicare, quamdiu præsidia sociorum non desunt, & spes magnorum affulget spoliorum. Nautæ quoque, dum mare transmittunt, contra aduersos, & obluctantes fluctus cursum suum retinent, donec in portum tranquillum perueniant. Si id homines faciunt ob caducarum, & temporalium rerum quæstum, quanto æquius serui DEI, qui iter cœleste ingressi sunt, nullis difficultatibus, ærumnisue reuocari ab instituto semel cursu debent,

bent, sed potius de virtute in virtutem progressum cõtinenter facere, cum adiutorem habeant CHRISTVM verum Deum, qui suppeditet vires ad iter continuandum, merita quoq; suæ passionis offerat, in quibus confidant. Deinde auxiliatores habeant omnes sanctos, qui pro ipsis intercedant. Denique firmissima maximaq; spe nitantur victoriæ, & præmij cælestis omnibus victoribus promissi.

AEquum & iustum est, vt ducem ea in re sequamur S. Paulum Apostolum, qui post tantos labores pro religione Christiana propagãda exantlatos, post tot merita in cælis collecta, tamen nihil illa pendenda putauit, vt aspirare posset ad sublimiora. Ita enim alicubi loquitur: *Philip. 3.* *Fratres, ego me non arbitror comprehendisse. Vnum autem: quæ quidem retrò sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora extendens meipsum, ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei.* Quæ retro sunt, inquit Beatus Chrysostomus, appellat præteritæ vitæ bona opera: *Priora* verò vocat opera deinceps à se ad gloriam Dei futura, vt hac ratione se inflammet ad reliquum vitæ tempus maiore & ar-

Chryst. in c 3. ad Philip.

& ardentiore ſtudio tranſigendum, eoque magis, quo à meta & brauio propiùs aberat, & certior ſpes affulgebat palmæ cæleſtis aliquando confecto vitæ curriculo obtinendæ.

Atque hæ ſunt rationes, quæ vehementer commouere poſſunt omnium ſeruorum Dei animos, tum incipientium, tum etiam eorum, qui in cultu pietatis maximum progreſſum fecerunt. Sunt tamen & nonnullæ aliæ rationes, his perſimiles, quas ſummatim hic perſtringemus. Eas ſanè æquum eſt, vt omnes ſedulò perpendamus, vt vi & efficacitate earundem animati impigri in profectu promouendo perſiſtamus. Principio ergò, cum Deus ſit is, qui eſt, hoc eſt maieſtatis bonitatiſque immenſæ, totaque perfectione ſua infinitus, merito illi quoq; debetur infinitus cultus, infinituſque honor & gloria: Cùm autem tantum cultum, tantumque honorem illi deferre non poſſimus, neque enim capaces ſumus virtutis infinitæ, prorſus æquum eſt, vt quicquid ſeruitij & gloriæ pro virili noſtra poſſumus, conuenienter viribus ab ipſo Deo nobis conceſſis, illius maieſtati deferamus, atque ideo

in dies

in dies illi noua officia, nouosq; honores cum omnium virtutum incremento exhibere conemur.

Amor, quo DEVS nos amat, & ab æterno amauit, infinitus est: quia hic amor est ipsa diuina essentia. Rationi itaque admodum consentaneum est, vt quoniam amorem infinitum illi rependere non possumus, saltem amorem non coêrceamus certis limitibus, sed in dies eundem exercitio orationis bonorumque operum augeamus, & quasi carbonibus accendamus, quibus diuini amoris flamma accendi, & conseruari solet. Præterea cum beneficia ex hoc infinito amoris fonte profecta sint magnitudine immensa, & multitudine innumerabilia, singillatim autem beneficium nostræ redemptionis, quo omnia opera à CHRISTO facta, omnia verba ab eo enunciata, omnes pœnæ pro nobis toleratæ, ac denique omnia gratiæ, spiritaliumque charismatum dona comprehenduntur: extra omnem controuersiam est, non posse nos dignas tantis beneficijs gratias rependere, ac proinde æquissimum est, vt saltem, quantas animi

animi noſtri capere poſſunt, gratias referamus, beneficia accepta ſemper benè vſurpando, & fructum aliquem ſalutarem ex eis eliciendo, deinde diuinis eius mandatis ac conſilijs obſequendo, hæc enim eſt gratiarum actio, & ſatisfactio, quam ab omnibus profectus ſui ſtudioſis poſtulat. Et quoniam quicquid hactenus à nobis factum eſt, exiguum quiddam eſt, ſi conferatur cum dignitate meritorum, iure exigit quoque, vt quotidie in bono omnium iſtorum beneficiorum vſu, & præceptorum conſiliorumque obſeruatione incrementum ſumamus.

DEVS adhuc lege ſua ſanctiſsima tantam animi puritatem, cordiſque munditiem nobis imperat, nempe vt nulla eam vel lethali, vel veniali culpa inquinemus, quantam certè, quæ imbecillitas noſtra eſt, aſſequi non poſſumus: quis enim audeat dicere, ſe immunem ab omni ſorde peccati? Quare minimum cenari debemus, vt ſaltem in ſingulos dies, quoad fieri poteſt, animam noſtram, à peccatis, in quæ fortè incidimus, per pœnitentiam expurgemus, reſeruando propoſitum per ſtudium, & feruo-

feruorem bonorum operum, de cæte-ro diligentius omnis generis peccata fugiendi.

Gtatiæ etiam internæ venuſtas & dignitas, quàm in hac vita, bonorum operum exercitatione ab eadem ipſa gratia profecta, cõſequimur, tanti pretij eſt, vt verbis exprimi nequeat: præmium quoq; gloriæ, quòd bonorum operum merito in vita æterna debetur, tam nobile eſt, & ſublime, vti omnem humanam intelligentiam longiſſimè excedat. Vera igitur prudentia & ſapientia extorquet à nobis, vt cum ſollicitudine quotidie in bonis operibus proficiamus, bonaque vitę merita ardentibus deſiderijs Deo placendi multiplicemus: vt ſic maior in nobis ad gratiã diuinam acceſſio fiat, quæ locupletet & exornet animam noſtram, remunerationemq; æternæ gloriæ cumulatiorem reddat, cuius beneficio & Deum amplius glorificabimus, & perfectius conſpectu eius in cælo perfruemur. Tempus ſiquidem huius vitæ, in quo ſolo mereri aliquid poſſumus, breue eſt, & hora mortis, quæ omnem merendi facultatem abſcindit, tam incerta & anceps eſt, vt meritò maxi-

mam

mam iacturam feciſſe dicendus ſit, qui vel minimam temporis particulam ſine aliquo boni operis fructu tranſmiſerit, quandoquidem quolibet puncto temporis bene impenſi, gratiæ acceptæ theſauros ipſamque gloriam æternam adaugere poſſimus.

CAPVT VII.

Quam neceſſaria & ſalutaris ſit doctrina de progreſſu in dies faciendo in vita piè ſanctéque inchoata.

QVISQVIS probè cognouerit, quam neceſſarium ſit ijs, qui DEO ſeruire cœperunt, proficiendi ſtudium, quam gratum ſit diuinæ maieſtati, quamque Eccleſiæ ſanctæ fructuoſum, facilè intelligit quam neceſſaria quoque, & ſalutaris ſit doctrina de eodem argumento inſtituta. Neque enim dubium eſt, ſummè neceſſarium eſſe atque vtile, ſiue viuis ſermonibus, ſiue libris ſcriptis fideles cohortari, vt à peccatis mortalibus abſtineant, quæ hominem

nem à Deo separant, mediaque præscribere, quibus, vbi lapsi fuerint, Deo reconcilientur. Sed neque minus necessarium est & vtile eos fideles, qui iã abstinent à talibus peccatis, cœperuntque seruire Deo animare, vt in virtutum studio benè inchoato progressum indies maiorem facere conentur, præsidiaque illis suggerere ad hoc institutum prosequendum salubria. Perexiguus enim boni operis fructus in nobis existeret, si simulatque initium feciſſemus seruiendi Deo, mox in vetera vitia, vel etiam grauiora, relaberemur: & iam ex diuinis scripturis, Patrumque Sanctorum dictis supra ostendimus, eos qui post inchoatam sanctam vitam non cõtendunt ad maiorem vitæ perfectionem, in manifestum periculum se conijcere regrediendi, & in pristina peccata relabendi. Ac vt concedamus aliquos in tepiditate sua persistere, nec fieri mox deteriores, tamen perspicuè antè probauimus, si spectemus & ampliorem Dei gloriam, & Ecclesiæ salutem, paucos seruos Dei in virtutum studio prouectos, pluris faciendos, quam multos languidos, & negligendos.

Cæte-

Cæterum, vt ij, qui fundamenta cultus diuini iecerunt, in ædificio suo spirituali persistant, & in Ecclesia Christi multi numerentur, quibus cordi sit progressum facere in virtutum schola, necessarium est, vt in concionibus, & exhortationibus, quæ ad populum habentur, sæpenumero tractetur de adiunctis ad profectum spiritualem idoneis. Et quia in cœtu fidelium multi esse solent, qui non admodum firmum propositum faciunt deserendæ vitæ peruersæ, scincereque deinceps seruiendi Deo, seriò & sedulo agatur de ijs, quæ commouere eos possint ad detestanda peccata lethalia, & ingrediendam vitam inculpatam. Et rursum, quia in eodem non desunt alij, qui firmiter decreuerunt Deo seruire, sæpe seriò agatur de ijs, quæ eos permoueant ad amplectenda CHRISTI consilia, vtpote ab æterna sapientia profecta, & ad vsurpandam orationem mentalem, mortificationem, piorum librorum lectionem, ad exercendas quoque virtutes humilitatis, secundum perfectissimum earum gradum, denique ad cauendas occasiones omnes, & pericula peccandi. His enim

medijs gratiam diuinam conſeruamus, & fructum in ſeruitio diuino facimus.

Speciatim autem neceſſarium eſt in ijſdem concionibus tradere documenta ad cauenda delicta venialia opportuna: nam inter omnia præſidia ad fouẽdam augendamque gratiam atque virtutes in eorum animis, qui cœperunt ſeruire DEO, principem facile locum tenet, ſtudium aſſiduè à lapſibus venialibus mentem expurgandi, eo quod eam debilitent, & diſponant ad lethales. Id ſi in concionibus præſtandum eſt, in libris quoque, qui ad fructum ſpiritualem animorum eduntur præſtari debet, vt ſicut certi exſtant, qui data opera conſcripti ſunt ad extrahendos homines è peccatorum ſordibus, & complectendum ſtudium virtutum: ſic non deſiderentur alij, qui data opera doctrinam tradant congruentem ijs, qui iam virtutum viam ingreſsi ſunt, & indies ad perfectionem maiorem aſpirant. Hoc doctrinæ in Eccleſia neceſſariæ diſcrimen, ex diſſimili fidelium diſpoſitione natum declarat S. Pau-

Heb. 5. 6. lus ſcribens ad Hebræos, cùm ait, quoſdam fideles *eſſe parvulos, quibus lacte*

opus

opus sit, non solido cibo, indigereque *vt deceantur, quæ sint elementa exordij sermonum Dei*, hoc est prima doctrinæ Christianæ principia, quæ sunt: Pœnitẽtiam agere, peccata mortalia fugere, vsurpare Sacramenta ad salutem necessaria. Addit hos *expertis esse sermonis iustitiæ*, hoc est, vt exponit Beatus Anselmus, doctrinæ quæ conuenit perfectis, vel vt Cardinalis Caietanus, doctrinæ quę agit de profectu in virtute, & addit esse alios fideles in Ecclesia similes hominibus prouectæ ætatis, qui indigent cibo solido, hoc est, doctrina, quæ tradat modum faciendi progressum in studio virtutum, perueniendique ad earum culmen, & perfectionem caritatis: Nam, inquit, sicut lac præbetur infantibus, non vt sit perpetuus eorum cibus, sed tãtum ad breue tempus, donec adolescãt, & solidioris cibi capaces sint, sic fidelibus initio conuersionis traditur doctrina, quæ eos permoueat ad peccatorum mortalium odium, postea vero cùm cœperint serio seruire Deo, sublimior doctrina eis proponitur de progressu in omni virtute faciendo.

Anselm. & Caiet. in c. 5. ad Heb.

Quamuis autem perdifficile sit mul-

tis hominibus persuadere, vt peruersam vitam deserant, & ad Deum ex animo conuertantur: tamen non minus difficile est persuadere multis seruis Dei, qui iam cœperunt seruire Deo, vt porrò in cœpto cursu progrediantur: imò longè videtur difficilius, quia ad faciendum principium seruiendi Deo, sufficit vnus contritionis actus. firmũque propositum à noxa mortali abstinendi, quod quidem vnico temporis momẽto, post vnicum verbum bonum auditum concipi potest: verùm ad proficiendum, & perseuerandum in vita sancta, opus est longa exercitatione in omni virtute, diuturnaque & constanti pugna aduersus vitia, passiones, & tentationes inimici. Et experientia quotidiana docet multos esse, qui incipiant Deo seruire, paucos autem, qui in studio inchoato perseuerent. Sic confitetur S. Bernardus, & confirmat S Bonauentura, *Multo*, inquiens, *facilius reperies multos sæculares conuerti ad bonum, quã vnum quempiam de religiosis transire ad melius. Rarissima auis in terris est, qui de gradu, quem forte in religione semel attigerit, vel parum ascendat.*

Bern. Ep. 96. Bon. in pharet. lib. 4. c. 27.

Cùm ergo hic labor in seruitio diui-

no

no proficiendi ex vna parte tam necessarius, & salutaris sit vnicuique & toti mundo : ex altera verò parte difficile quidem, sed nō minus vtile, & necessarium, vt exstent libri de hoc argumento conscripti, inter optimos offerimus hunc præsentem tractatum, cum desiderio maiorem Dei gloriam, & salutē animarum eius lectione procurandi.

CAPVT VIII.

De fructu spirituali, quem haurire possunt, incipientes seruire Deo, ex hac doctrina de ratione proficiendi in virtute.

AD finem huius tractatus vna adhuc cōmonefactio occurrit necessaria ijs, qui aut inceperunt, aut certè cogitârunt incipere dare operam veræ pietati, nempe hæc. Vt qui piam viuendi consuetudinem iamdudum inierunt, si fortè incidant in conciones aut libellos, quorum sermo in eo vertitur, vt auditor vel lector auocetur à peccatis lethalibus non inde ansam capiant alicuius tepiditatis, & arbitrentur, nec sibi longius esse progrediendum, cùm certè, vt diximus, lon-

gius progredi debeant, hoc est, etiam à leuioribus lapsi hi, qui lethales non sint, cauere, & optimis operibus Deo, gratissimis, etiamsi sub pœna æternæ damnationis mandata non sint vacare. Et contra, qui vel iam primum inchoarunt, vel inchoare cogitarunt sanctam viuendi rationem, non ilicò terreantur, vel animum despondeant, si incidant in conciones vel libellos, quibus studium in virtute proficiendi, & ad culmen perfectionis contendendi inculcatur, existimantes nimis arduã & difficilem esse virtutũ viam, & quam centesimus quisque mortalium vix assequi possit. Neque enim ille in virtute progressus proponitur tanquam ad salutem consequendam prorsus necessarius, sed tanquam valde vtilis, & salutaris. Qui enim ad hanc perfectionem vitæ contendunt, puriorem à peccatis conseruant animum, & securiorem sibi reddunt suam salutem, & maiorem gratiam, gloriamque apud Deum promerentur: deinde in hac vita ampliore pace, & consolatione, quam Deus mũdis corde impertit, perfruuntur, & aliorum donorum spiritualium penè innumerabilium, quæ Deus communicare

solet

solet omnibus in virtute proficientib. participes fiunt, vt supra diximus, & deinceps latius exponemus.

Itaque non habent, quod idcirco de sua salute desperent: hunc verò fructũ ex hac consideratione carpere possunt, vt sese humilient, submissius de se sentiant, dum animaduertunt se tam longe abesse, à pietatis officijs, quæ diuinæ maiestatis excellentia meretur: totoque pectore gaudeant non deesse Deo in Ecclesia pios seruos, qui cum tanta perfectione vitæ Christianæ illi seruiant, gratiasque agant, se illum sensum & notitiam consecutos: nam lætari de profectu & perfectione aliorum, propter gloriam, quę inde in Deũ redundat, est quodammodo participem fieri & profectus & perfectionis ipsorum. Deinde & alium fructum inde carpere queunt, nempe vt magno studio & sollicitudine in precibus suis ad Deum fusis ob oculos ponant suam imbecillitatem, enixeque petant efficacem voluntatem, & robur spiritale in diuino suo seruitio proficiendi, ac certò confidant, quod si in oratione constanter perseuerarint, se donum ex liberali, & misericordi eius manu acceptu-

ros, studiumque proficiendi, quòd iam apparet arduum & difficile, & primo aspectu terret, facile & suaue futurum, ac ex cogitatione, quòd in dies in bono tam ineffabili, vt est amor Dei, maiorē semper accessionem facere poterint, incredibilem capturos voluptatem.

Considerare siquidem debent hanc viuendi rationem non viribus hominis naturalibus perfici, sed diuinis à Christo Domino collatis. Ille enim omnibus proficiendi studio ardentibus libenter & perliberaliter gratiam suam communicat, qua res arduas reddat faciles, amaras, dulces, & graues leues. Considerent etiam in Christi Domini nostri Ecclesia semper fuisse, & adhuc esse innumeros homines in omni sexu & statu, in virtutum cultu admodum proiectos, qui eandem aliquando difficultatem, quam illi nunc experiūtur, in colenda vera pietate senserint, sed quia cum ingenti fiducia erga Christum iter illud spiritalis progressus ingressi sunt, eodem propitio, & adiuuāte, admodum planum & iucundum esse deprehenderunt.

Consideret & quilibet sigillatim, quæ Deus ipsi bona contulerit, quam mul-

multa aliter se habuerint, quam iam habeant, quomodo olim multa vitia amârit, quæ iam horreat, quomodo olim, ne minimam quidem orationem facere, nec missam, vel concionem audire sine distractione animi potuerit, nunc autem voluptatem etiam capiat, ex orationibus faciendis, & officijs diuinis, concionibusq; audiendis. Itaque sicut Deus hæc in ipso operatus est sine vllo suo merito, cùm longissimè à salute abesset, eumq; à peccato ad gratiam, à morte ad vitam pertraxerit, & à carnalibus desiderijs ad obsequendum diuinis inspirationibus, prorsus considēdum est, quòd multo magis eum deducere possit è bono statu in meliorem, adiuuante diuina gratia.

Hac tentatione terroris, & trepidationis inanis pulsatus quoque fuit Augustinus initio suæ conuersionis, eamque dictis considerationibus expugnauit. Principio videbatur illi nimis ardua puritas legis Euangelicæ, & maximè perpetuæ continentiæ obseruatio, animumque despondebat, se non posse pertingere ad tam glorioſam carnis victoriam. Cùm igitur timidus & desperabundus in illa cogitatio-

Aug. l. 8. conf. c. 11.

ne hæreret, sedulo expendere cœpit in Ecclesia Christi non modo extitisse, & esse graues & fortes viros, qui grauissimis pœnitentijs corpora sua castigarent, & ad culmen omnium virtutum peruenissent, perpetuamque castitatem coluissent, vti erat S. Antonius, & alij eius imitatores, verum etiam innumeros adolescentulos, virgines, & viduas, ac teneræ ætatis puellos, & puellas, qui perpetuam continentiam custodirent, alacresque ad vitæ Euangelicæ perfectionem contenderent, ac tandem cor eius sic illum alloquebatur. *Tu non poteris quod isti, & istæ? an verò isti & istæ in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo suo. Quid in te stas, & non stas? Proijce te in eum, noli metuere, non se subtrahet, vt cadas. Proijce te securus, excipiet te; & saluabit.* Considerabat nimirum sanctus ille mutationem, quam Deus in Ecclesia fecerat, & quotidie faciebat conuertendo magnos peccatores in heroes sanctissimos. Atque hæc contemplatio omnem languorem illi ademerat, formidinemq; inanem discusserat, ingentem quoque animum illi addebat proficiendi de virtute in virtutem, firmissimam spem dabat Christum

sibi

sibi affuturum. Sic ipse fatetur in alio loco his verbis:

Exempla seruorum tuorum, quos de nigris lucidos, & de mortuis viuos feceras, congesta in sinum cogitationis nostræ vrebant, & absumebant grauem torporem, ne in ima vergeremus, & accendebant nos validè, vt omnis ex lingua subdola contradictionū, flatus inflammare nos acrius posset, non extinguere. Atque hi sunt fructus, quos homines considerati hauriunt ex hac doctrina, quæ tradit rationem in virtute proficiendi.

Atque illi quidem, qui viuo desiderio ardent sui profectus, (quibus hæc doctrina admodum est necessaria, nec paruo numero reperiuntur in Dei Ecclesia) ex illa hauriunt certam & perspicuam notitiam perfectionis cuiusq; virtutis, ac media, quibus comparentur, tum robur eas opere ipso exercendi, dum vniuscuiusq; virtutis dotes cōsiderantur, & remedia contra tentationes tepiditatis, atque arma ad repellendos virtutis hostes, lumen quoque ad cognoscendas fugiendasque imposturas, quibus Satan conatur impedire profectum nostrum in diuino seruitio, ac demum, in quo natura profectus spiritalis

ritalis consistat. Quibus verò non inest illud viuum proficiēdi desiderium, ex hac doctrina discunt humilitatem, & confusionem sui, vt diximus, qui fructus tam præstans est, vt Deus propter illam sæpè communicet viuum desiderium proficiendi.

Vt verò ex lectione huius libri similes iam dictis colligi queant fructus, rogamus Christianū lectorem, vt cum desiderio proficiendi illum perlegat: nec enim dubitamus, Deum Optimum Maxim. necessaria præsidia ei suppeditaturum, vt ad maiorem suæ diuinæ maiestatis honorem & gloriam aliquando reipsa, quod ex animo desiderauit, exequatur.

TRA-

TRACTATVS DE VERA DIFFIDENTIA sui ipsius.

Qua homo suis viribus diffidens, omnem omnino fiduciam in Deo collocat, bonorumque operum præsidio, quatenus Deo, eiusque fauore & gratia nituntur Cuius confidentię beneficio, & profectus spiritualis acquiritur, & ad omnium virtutum perfectionem ascenditur.

PROOEMIVM.

QVoniam in priore Tractatu cohortati sumus omnes fideles ad profectum spiritualem, conueniens est, vt in hoc secundo agamus de vera sui ipsius diffidentia. Nam simulatque homini Christiano verarum solidarumque virtutum pulchritudine & perfectione allecto semel persuasum est, vt operam det profectui spirituali animæ suæ, mox incipit manum tam san-

sto operi, cum desiderio eas pectori imprimendi, adhibere. Vt verò labor hic tam pretiosius, tamque diuinis oculis gratus salutarem sortiatur exitum, Deus primæ lectionis loco illi inculcat sui ipsius, omniumque humanarum virium diffidentiam, vt hoc fundamento iacto vnus deinde coloribus in eius animo pulcherrimum omnium virtutum chorum, qui non est aliud, quam viua infinitæ suæ pulchritudinis effigies, depingat. Variis autem mirabilibusque eam in rem vitur mediis, persuadet nimirum in virtutum negotio diffidentiam sui summo in pretio habendam: viuas inspirationes immittit, vt prorsus sibi diffidat, luce noua, & extraordinaria illustrat, vt imbecillitatem suam, suumque, vt ita loquar, nihil penitius agnoscat, atque ita omnem confidentiam in solum Deum proiiciat. Eundem in finem tam grauibus tentationibus eum exagitari sinit, vt experientia ipsa discat se iis vincendis imparem, diuinoq; intelligat opus esse subsidio.

Quòd si his mediis, cætroquin suauibus, nihil efficiat, aggreditur asperioribus, & maiori cum periculo coniunctis, vt dum sinit eum labi in graue aliquod delictum, vt agnoscens fæditatem lapsus resipiscat, ac discat, non suæ amplius fidere industriæ.

Verùm,

Verùm, quia medium hoc infaustum est, & lacrymis potius, quàm laude dignum, non vsurpat illud Deus, nisi quando homo suauioribus, salubrioribusque impelli non potest in istam sui diffidentiam, ac interdum etiam, vt occultam quandam in eo superbiam castiget, vt postea dicemus. Non absimilis est DEVS in hac re sapienti architecto, qui ædificaturus ingens & peruenustum templum primum locat fundamenta, cui tantam molem securè imponere deinde queat: sic enim Deus in animo hominis exstructurus elegantißimum templum, in quo cum voluptate commoretur, virtutum scilicet omnium domicilium primò iacit fundamentum, hoc est, diffidentiam sui, vt securè deindè reliquam virtutum structuram, donec ad perfectionis fastigium educatur, imponere possit. Cum qua doctrina non pugnat, quod beatus Augustinus, alijque sancti perhibent humilitatem esse omnium virtutum fundamentum: diffidentia enim sui est prima & prius humilitatis actus, sic prorsus, vt ratione diffidentiæ nomen fundamenti illi imprimis competat.

Aug. de ver. d. ser. 10. S. Th 2. 2. q. 61 a. 5. ad. 2.

Atque hic miranda se prodit Dei prouidētia, quod hunc diffidentiæ sui spiritū, omnibus mundi sapientibus ignotum, non eruditis magnoque ingenij acumine præditis, qui magnificè de se sentiunt, communicet, sed ijs tan-

tùm qui ſyncere, poſito omni faſtu, cum profectus ſpiritalis deſiderio illi ſeruire, etiamſi plebei, & litterarum ignari ſint, inſtituerint: idque tam manifeſtè & perfectè facit, vt liquidò appareat Doctorem eorum non fuiſſe de terra, ſed de cælo, non hominem mortalem, ſed DEVM: qui vt ſolus creauit animas de nihilo ad ſuam imaginem & ſimilitudinem: ſic volens eaſdem reformare ad eandem ſui imaginem, ipſe eas interius docet, quæ nullus hominum docere poteſt. Cæterum, quia Deus operatur in creaturis ſuauiter, hoc eſt, conuenienter ad ipſorum naturam, vult hominē, quoniam libera voluntate præditus eſt, ſuam quoque operam ad erigendum virtutum ædificium, iaciendumq; fundamentum liberè accommodare, ſecumque operari: vnde ſequitur, diſceſſum hominis à ſtatu peccati, & conuerſionem ad DEVM, eſſe non ſolùm DEI opus, ſed etiam eiuſdem hominis. Poſt conuerſionē verò peractam, progreſſum eiuſdem in curſu virtutum ſic eſſe opus DEI, vt etiam ſit opus eiuſdem hominis. Qua de cauſſa B. Paulus ſic alloquitur fideles: Dei agricultura eſtis, Dei ædificatio eſtis, vt indicaret, quid quid in illis tanquam in templo, vel agro laboratum vel ædificatum eſſet, id opera DEI perfectum. alibi vero eos hortatur vt ipſi quoque in ædificando templo ſancto laborent, vt ſignificaret

1. Cor. 3.

Epheſ. 2.

nostram quoque industriam diuinæ operationi adiungendam.

Itaque cum opus sit liberi nostri arbitrij cooperatione, vt aliquis diffidentiæ illius gustus cordi à Deo imprimatur: vtile sanè, immò necessarium est exponere, in quo diffidentia illa consistat, & quibus medijs à Deo obtineri possit, quod spero me, diuina adiuuante gratia, hoc Tractatu perfecisse. Quia verò virtutis cuiusque natura & accuratius cognoscitur, & perfectius acquiritur, quando vitium ei contrarium nobis benè est perspectum & exploratum, idcirco de confidentia nimia sui illi contraria, proximè agendum erit. Id enim verissimè de humilitate, eiusque actibus dicitur, eam ex sui contrarij notitia clarius cognosci. Idcirco enim humilitas omnium virtutum fundamentum dicitur, quod radicitus è corde humano euellat superbiam, quæ omnium virtutum capitalis hostis est. S. Tho. 2. 2. q. 61. a. 5.

CAPVT I.

Quantoperè profectum ſpiritualem impediat homo ſuis viribus fidens, & quæ mala inde pullulent.

CErtiſſimum eſt inter omnia virtutum, mediorumque quibus acquiruntur impedimenta maximum, pernitioſiſſimumque, & quaſi cæterorum radicem eſſe inordinatam confidentiam ſui: in quam eo procliuiùs labimur, quo certiùs nobis conſtat nos libero arbitrio præditos, noſtræque voluntatis & induſtriæ voluntario concurſu ad conſequendam virtutum perfectionem, earumque actiones exercendas, opus eſſe, hinc enim fit vt nimium ſæpè viribus & conatibus noſtris tribuamus, & plus æquo in animo efferamur, ac tandem in tetrum ſuperbiæ flagitium, eiusque damna grauiſſima incidamus. Vnde diuin-

Scri

Scriptura in Prouerbijs : *Qui*, inquit, *confidit in cogitationibus suis, impiè agit*, id est, qui viribus suis præfidens conatus suos exequi molitur, impietatis in Deum scelus committit. *Prou. 21.* Et alibi in eodem libro dicit: *Qui confidit in corde suo, stultus est*: ac si diceret Qui fidit suo iudicio, suisque consilijs, cordis proprij indicibus, non solùm errat, sed etiam ingentem stultitiam prodit. *Ibid. 28.* De hoc quoq; peccato Spiritus sanctus dixit per Ieremiam: *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum. Erit enim quasi myrica in deserto, & non videbit cùm venerit bonum: sed habitabit in siccitate in deserto in terra salsuginis & inhabitabili.* *Ierem. 17.* Cuiusmodi penitus est qui fiduciam omnem collocat in suis, vel alterius creaturæ viribus: neque alium sortietur conatuum suorum exitum, quàm vt ab omnibus diuinis præsidijs desertus, nullo edito fructu spirituali detrudatur in ignem æternum.

Quod sanè vitium eò magis pertimescendum est, quò minus agnosci consueuit, eò quòd spirituale sit & occultum: deinde quia lapsus in illud nulli pudori, vt alia multa, est obnoxius

xius, tum quia homo natura sua in illud propendet: Quotus enim quisque est, qui non se suaq; magnifaciat deniq; quia consentaneum videtur quodammodo rationi, licèt falsò Quare operæ pretium facturi videmur, si huius peccati prauitatem, & detrimenta tam temporalia quàm spiritualia, quæ ex illo ceu fonte, filijs Adæ contigerunt, patefaciamus: prætermissis tamen exemplis eorum qui palam impij & scelerati extiterunt, & quia nimium confisi fuêre suæ potentiæ, publicè pudefacti

1. Reg. 17. & castigati sunt à Deo. Qualis fuit ille fortissimus gigas Goliath, qui cùm solus perterrefacere, totosque fugare posset exercitus, tamen quia plus nimio robori suo armisque fidebat, ab adolescenti pastorculo solo baculo & funda instructo victus & occisus est.

Iudith c. 2. Qualis erat potentissimus belli dux Holofernes, qui cùm plus æquo copijs suis, artique bellicæ confideret, diuino iudicio in potestatem vnius fragilis feminæ venit, quæ caput eius à ceruice resecuit, & totum eius exercitum dissipauit. Qualis erat magnus ille Chaldæorum monarcha Nabuchodonosor,

Dan. 4. qui cùm potentiæ suæ nimium fideret,

vti

vti signficauit cùm oculis in vrbem Babylonem coniectis, diceret: *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* illicò de cœlo vocem audiuit, qua simul regno & ratione priuatus est, iussus inter bestias & feras versari, fœnumque, ac si bos esset, comedere. Qualis erat & Rex Iuda Asa, qui quoniam perfugium suum habuit ad Regem Syriæ, cum bello superatus est ab hostibus suis, infeliciter depugnauit, sicut exprobrauit illi Hanani Prophera, dicens: *Quia habuisti fiduciam in Rege Syriæ, & non Domino Deo tuo, idcirco euasit Syriæ Regis exercitus de manu tua.* Idem quia *nec in infirmitate sua quæsiuit Dominum, sed magis in medicorum arte confisus est*, vt ibidem dicit Scriptura, *dormiuit cum Patribus suis.* 2. Par. 16.

Prætermissis ergo his & alijs similibus hominibus, quorum arrogantiam, nimiamque confidentiam sui non dubium est fuisse Deo ingratam & exosam, agemus tantùm de ijs, qui licèt probi fuerint, bonumque scopum in negotijs alioquin licitis propositum habuerint, tamẽ idcirco subinde graui-

de-

deliquerunt, quòd passi sint per nimiam incuriam occultè hunc confidentiæ morbum in animum irrepere. Cogitamus enim hic documenta tradere ijs, qui iam virtutis studium sunt complexi.

CAPVT II.

Vitio confidentiæ nimiæ fieri vt pia desideria ac proposita, & bona opera nobis pereant.

DEus hominibus suggerit salutaria desideria & vota vitæ emendandæ, cauendi peccata in quæ aliàs incidêre, virtutum opera legibus imperata præstandi inspirationibus consilijsque diuinis obsequendi. Vnde, qui elatus fuit & superbus, apud animum suum proponit se velle humiliter alijs subesse & cedere, nec amplius lapsus suos excusare. Qui impatiens, se qualemcumque iniuriam sibi illatam æquo animo toleraturum, neque vllo asperiore verbo contra proximum vsurum. Qui in precibus deuotus, audiendique vel le-

legendi & meditandi verbi Dei fuit ſtudioſus, proponit ſe edendi bibendique cupiditatem refrenaturum, oculos à rerum vanarum aſpectu cohibiturum, mortificandæ carni & voluntati ſuæ, hoc illove genere pœnitentiæ vel humilitatis, vacaturum: & tamen paulò poſt omnium horum piorum propoſitorum à Deo inſpiratorum obliuiſcuntur, & nihil prorſus præſtant, imò oblata occaſione minimæ tentationis omninò contrarium faciunt.

Cuius rei cauſa eſt, quòd pia illa deſideria non attribuuntur fonti, è quo manarunt, nempè diuinæ liberalitati, ſed ſibi, exiſtimantque ſe ſua induſtria & ſtudio poſſe perficere, non auxilio diuino: idque crebrò contingit homini nihil aduertenti eò quòd natura per peccatum corrupta magna vi eum inclinet ad confidentiam ſui, vt quicquid boni vel cogitat, vel facit ſibi adſcribat. Vnde quia homo incurius non obſeruat huiuſmodi naturæ corruptæ motus, nec cum humilitate eis reſiſtit, imprudensque delabitur in conſenſum, fit vt incidat in noxam inordinatæ confidentiæ ſui, damnaque

iam

iam dicta incurrat, hoc est, vt pia desideria & vota euanescant, & tentationes occurrentes præualeant.

Huius noxæ & damni, quod ex ea sequitur, monuit nos Spiritus sanctus, dicens: *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus, ne elidatur virtus tua per stultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo.* Quibus verbis Deus hominem hortatur, ne nimium confidat desiderijs cordis sui, nec sinat se instar tauri, quod animal superbum est, impetu perturbationum in transuersum rapi, sed humiliter potius illis resistat, ne pariter & boni propositi dono, & diuina gratia destituatur, atque ita omni virtutum bonorumque operum fructu spolietur.

Eccles. 6.

Habemus huius rei, exempla notabilia in diuinis litteris. S. Petrus nocte extremæ cœnæ firmissimè proposuerat se nulla ratione in animum admissurum vel scandalum, vel cogitationem de negando Christo, immò potius vitæ suæ periculum aditurũ, sic vt toto pectore diceret: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo* & tamen paulò post propositi immemor, capto Christo aufugit, & ter

Matth. 26.

ter cum negauit. Cuius lapsus non alia sanè causa fuit quàm quòd nimium suis fuerit confisus viribus, vt liquet ex verbis quibus se omnibus Apostolis prætulit, dicens: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor*, & cùm Christus ei affirmatè prædiceret. *Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis*, excluso omni imbecillitatis metu audacter respondit se potius moriturum, quàm negaturum

Quod accidit B. Petro, cùm esset adhuc imperfectus, nondum scilicet, plenitudine Spiritus sancti in eum delapsa, id vsuuenire solet quotidie fidelibus, vt idcirco bonis propositis non faciant satis, quòd plus æquo præfidant suis viribus, ob hoc enim vitium subtrahit illis Deus auxilium efficax, cuius beneficio perficere illa poterant, si fiduciam omnē in Deo collocassent. Sic docēt S. Chrysostomus & Theophylactus, dum agunt de Apostolorum atque imprimis sancti Petri lapsu. Exemplum huius rei singulare habemus in diuina Scriptura de Rege Amasia bellum gesturo contra Idumæos: Nam cùm supra trecenta millia suorum, de Israhel cen-

Chrys. ho 23. in Matth. Theopyla. Marci 14.

centum talentis argenti alia centum millia armatorum conduxisset, venit ad eum Propheta à Deo missus, & ait:
2. Paral 25. *O Rex ne tecum egrediatur exercitus Israhel, non est enim Dominus cum Israhel. Quòd si putas in robore exercitus bella consistere, superari te faciet Deus ab hostibus. Dei quippe est & adiuuare, & in fugam conuertere.* His verbis quia rex paruit, & copias Israheliticas dimisit, victoriam, decem millibus Idumęorum cæsis, obtinuit, quam certè non obtinuisset, si viribus copiarum suarum confisus, & non Dei in pugnam perrexisset.

Aduertant ergo serui Dei, vt quoties senserint animum pio aliquo desiderio vel proposito tangi, pro Dei dono diuinitus collato illud recipiant:
2. Cor 3. nam, vt ait sanctus Paulus, *non sumus sufficientes cogitare aliquid boni à nobis quasi ex nobis, sed omnis sufficientia* bonum cogitandi vel loquendi *ex DEO est*, deinde propositum illud magni faciant, & cum grati animi significatione, se non suis viribus, sed Dei auxilio completuros expectent. Deus enim, teste eodem Apostolo, qui
Philip 2. *dedit velle, dabit & perficere pro bona sua voluntate.* Quem ad-

admodum enim inops mendicus, cui ne obolus quidem suppetit in crumena, tamen sperat, nō industria sua, sed liberalitate piorum Christianorum victum quotidianū, si humiliter petat, non defuturum; sic quilibet Christi seruus pio aliquo desiderio flagrans, confidere debet bonitati diuinæ, se reipsa illud expleturum, si cælestis gratiæ eleemosynam ad hoc postulet, sæpè offerendo Christi, passionisq; eius merita, si sanctissimæ Virginis Mariæ & sanctorum patrocinia imploret, ac dicat cum Dauid: *Opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige.* Et, *Esto mihi in deū protectorem & in domū refugij.* respice in orationes nostras & desideria: respice in faciem Christi tui, cuius meritis confidimus nos impetraturos, quod postulamus. Psal. 89 Ps. 30

CAPVT. III.

Vitio confidentiæ sui hominem vinci tentationibus.

Quod diximus de piorum desideriorum executione, dicēdum quoq; est de tētationibus, quas

homo quidē vincere conatur, sed cre brò post inchoatam pugnam ab illis vincitur: non alia de causa, quàm quia solis viribus suis nixus pugnam fuit aggressus. In libris Iudicū diuina scrip tura commemorat: Deum tam grauiter succensuisse quibusdam viris è tribu Beniam in quod vim intulissent cuidam mulieri coniugatæ, vt mandā rit reliquis vndecim tribubus, vt totā tribum Beniamin ob hoc scelus patra tum, è medio tollerent. Quadraginta hominum millia ex vndecim tribubus repentè coacta sunt aduersus vigi ti quinq; millia tribus Beniamin. Bellum erat iustū, mandato nempè Dei indictum, dux belli item à deo decretus, & tamen primo congressu viginti octo millia, altero verò decem & octo millia è filijs Israhel ab hoste cæsa sūt. Quæ verò causa fuit huius tam inexpectati euentus, vt fortiores, ac à Deo ad pugnam amandati, cedant imbecillioribus? Scriptura ipsa causā manifestat, dicēs: *filios Israhel & fortitudine et numero cōfidētes aciē direxisse.* Quā cū clade admoniti agnouissent, conuenē re in domū Dei, fidentes fleuerunt coram.

Iud. 20.

tam Domino, ieiunârunt vsq; ad vesperã, & obtulerũt holocausta, atq; victimas; atq; ita cõfisi Deo, nõ viribus suis, tertiò hostẽ inuasere, & victoriã retulêre, trucidatis viginti quinque hominũ millibus: sic vt è tota tribu non nisi sexcenti remanserint superstites, quibus vitam condonârunt.

Idem prorsus contingit in conflictu spirituali. Hostes nostri sunt, princeps tenebrarum, mundus, & propria caro, contra quos confligendum est. Bellũ à parte nostra iustum est, & mandato Dei indictum, nec desunt nobis arma, & magna ad pugnãdũ subsidia, & tamẽ sæpenumerò succumbimus, & in mortem noxæ pęnęq; æternæ miseri detrudimur. qua verò de causa? quia iuduſtriæ nostræ cõfisi, nõ diuino auxilio arma corripimus. Id præclarè animaduertit S Basilius *Qui seruiũt Deo, inquit, à damone frequẽtib⁹ et varijs tẽptationibus agitãtur, tristitia, & diffidentia de Deo, vt bona inchoata deserant, vt non perseuerent, vt existiment se Deo charos non esse, vt locum, societatẽ, rationẽq; viuẽdi, cũ alio seueriore cõ-*

Basilius instit. de vita perfectã.

mutent, in qua damon nouit plura fore ad labendum pericula. His aliisq; id genus tentationibus speciem boni præ se ferentibus Dæmõ seruos Dei aggreditur. Quos verò vincit? Eos, inquit, *vincit, qui plus æquo cõfidunt sibi. Vnde,* addit, *vidimus multos, magna virtute prædi-*

Simon de Cassia. lib. 4. c. 6.

tos, & testimonio aliorũ probatos, quos malignus spiritus per nimiam istam cõfidentiam præcipites egit. Hucusq; Basilius. Quare non dubitauit quidam sanctus vir, & in virtutum studio exercitatus asseuerare, quoties seruus Dei pietatis amans à tentatione vincitur, id euenire, vel quia ante tentationem non implorauit diuinum auxilium, aut quia viribus suis fidens depugnauit. Id verò exponit his verbis consideratione dignissimis. *Non orandum est de tra tentationem ne eueniat, sed ne decipiat, aut inuoluat, cum venerit. Si verò tentatio ex vehementia quempiam subuertit, aut antè, ne subuerteret, humiliter non fuit oratum, aut talis superbia in anima insidebat, quæ per casum tentationis propellenda erat.*

Colligamus fructum ex hoc cælesti documento, & contra animæ nostræ hostes

hostes viriliter dimicemus, eorũque tentationes: diffidamus viribus nostris, quia ob imbecillitatem suam nihil sine auxilio diuino, vt diximus, efficere possunt contra tam potentes inimicos, nihil enim in hoc mundo est, quod eorum potentiam exæquet: expectemus autem & robur & victoriã à potentissimo Deo, confidendo in eius præsidio, idq; propter Iesu Christi merita, qui tanquam homo & Saluator promeruit nobis vires ac gratiã ad vincendum: tanquam verò Deus, creator, & prima causa eandẽ largitur, & prouocat nos ad pugnam & victoriam dicens: *In mundo pressuram habebitis sed confidite, ego vici mundum.* ac si diceret: Ego vici, vt vox vincere tis, promerẽdo vobis gratiam & auxiliũ. Id confitetur & S. Paulus, & quasi summo beneficio affectus ęterno Patri gratias agit dicens. *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrũ Iesum Christum.* Neq; satis est illi affirmare, Deum esse, qui nobis manũ per merita Iesu Christi præbet ad expugnandum tentationes & peccata, sed, quod eo amplius est, Deum vincere &

Ioan. 16.

1. Cor. 15.

2. Cor. 2.

triumphare per nos in Christo saluatore nostro, vt indicet, quã purè ad autorem Deum referendæ sint omnes victorię: ille siquidẽ ipse est, qui & robur suppeditat, & reipsa ad pugnã & victoriam per nos concurrit, & libertatem ac voluntatem, quæ ad vincendũ necessaria est, suggerit, ac deniq; & gratiam, qua opùs habemus ad vincendum, cum merito impertit.

Narrat diuina scriptura filios Israhel è tribu Ruben, Gad & Manasse, cũ dimicarent contra Agarenos, eorumq; cõfœderatos numero & viribus potẽtes, victoriam reportasse, causamq; addit, quod non confisi viribus suis Deũ inuocârint cũ pręliarẽtur. Idem commemorat de Machabæis, qui cùm manu pugnãtes, corde inuocabãt Deum, exiguis copijs magnos hostium debellabant exercitus. Haud secus confligẽdum nobis est in bello spirituali, nempè diffidẽdo omninò viribus nostris, omnemq; fiduciam in Deum proijciẽdo: nec solùm ante pugnam, sed in ipso quoq; pugnæ æstu diuinum implorandum est auxilium, vt possimus

1. Paralis.

1. Mach. 5.

dice-

dicere cum S. Paulo *Omnia possum* Philip. 4.
non in me, sed *in eo qui me confortat.*
Magno solatio esse debet homini fideli, sic à Deo statutum esse, vt vincat ipse non suis solis, sed Dei quoque viribus: & sic mandatum, vt vires suas, quatenus suas, contemnat, totamque fiduciam in viribus Dei collocet.

Nam si respiciamus ad vires nostras, quamuis paruus labor in pugna subeundus esset, cum imbecilli hoste certando, tamen exanimaremur, & deficeremus: si verò respiciamus ad vires diuinas, quæ certis limitibus circumscriptæ non sunt, sed in infinitum augescere queunt contra potentissimos quosque inimicos semper confidere possumus nos victoriam consecuturos.

QVOCIRCA, quò copiosior fuerit hostium numerus, maioreque industria & labore opus fuerit, hoc certius credere debemus, potentiora affore nobis à Deo ad vincendū præsidia & adiumenta, & factum vt loquitur Apostolus, *cum tentatione*

Cor, 10. *prouentum, vt possimus sustinere.* Hic modus pugnandi contra tentationes, diffidendo viribus suis, vehementer & magna exaggeratione commendatur ab omnibus sanctis, qui luce diuina illustrati lõga experientia didicére, id vnicum efficacissimum q; esse antidotum ad expugnandas quascunque tentationes, ac etiam ad impetranda præsentissima à Deo auxilia, atq; imprimis donũ summæ fiduciæ in Deum: quod nulli nisi sibi diffidenti concedi solet. Vnde sanctus Abbas Serapion apud Cassianum agens de remedijs tentationum affirmat: *impugnationis extinctionẽ à seruo Dei spiritaliter & iugiter esse poscendam: impossibile namq; est,* inquit, *de qualibet passione triumphum quempiam promereri, priusquã intellexerit industria vel labore proprio victoriã contra ipsius semet obtinere non posse, ùm tamen vt valeat emundari, necesse sit eum diu noctuq; in omni cura & sollicitudine permanere.* Et venerabilis Richardus de S. Victore eandem doctrinã confirmans in hæc verba scribit. *Impossibile est quempiam de seipso triumphare posse, donec experimento didiceris*

Cass. collat. 6. cap. 7.

Rich. in Cant. c. 21.

dicerit propria virtute se non posse obtinere triumphum. Declarans autem, quomodo hac diffidentia sui, homo perueniat ad puriſſimam fiduciã Dei, cũm qua, vt loquitur Chriſtus, omnia homini ſunt poſſibilia, addit. *Quantũ fideles de ſe diffidunt, tantum in animo ſpei adiutorio confidunt, & quantũ de ſe infirmantur, tantũ fortes ſunt & potentes in Deo.*

CAPVT. IV.

Confirmatur, quod dictum eſt, ſacri Euangelij teſtimonio.

DOCTRINAM iam traditam Chriſtus in Euangelio admiranda quadam ſimilitudine, tali Magiſtro digna, ob oculos poſuit. *Omnis*, inquit, *qui venit ad me, & audit ſermones meos & facit eos, oſtendã vobis cui ſimilis ſit: ſimilis eſt homini ædificanti domum, qui fodit in altum, et poſuit fundamentum ſuper petram, inundatione autẽ facta illiſum eſt flumẽ domui illi, & non potuit eam mouere: fundata enim erat ſuper petram. Qui autem audit, & non facit, ſimilis eſt homini ædificanti domum ſuam ſuper ter-* Luc. 6

ram sine fundamento : in quam illius est fluuius, & continuò cecidit, & facta est ruina domus illius magna. Pro fundè effodere terram ad ædificandā domum homo dicitur, quando firmiter in animo cōstituit audire verbum Dei, & toto pectore diuinis obsequi præceptis, sic prorsus, vt non solùm lingua profiteatur se seruiturum Deo, opteteq; seriò esse in numero bonorum, sed vt intimo corde decernat potius iacturam facere omnium, quàm minimū prævaricari dei præceptū. Tunc verò fundamentum locat in petra soli da, & domum super illam erigit, quando in suis bonis propositis, atque eorundem executione, & reliquis piæ vitæ exercitijs, non confidit viribus suis, sed diuino auxilio: nā teste Apostolo, *Christus petra & fundamentum est.* Quid verò hinc sequitur, quando homo omnem fiduciam in Christo collocat, non in viribus suis? nempe, vt magni licet tentationum diabolicarū & calamitatum fluctus irruant in illū, grauiterque concutiant, nō possint tamen illum vel minimum de statu virtutis deijcere.

1 Cor. 3. 10.

QVI

QVI verò aures præbet verbo diuino, & ædificat super terram sine fundamẽto, est Christianus qui vacat quidem operibus bonis, & ex ijs quasi spiritale ædificium erigit, sed duo negligit, vel quod firmum & constans propositum non faciat quauis occasione abstinendi à peccatis, vel nimium fidat suæ industriæ, & nõ diuinę gratię, quod est ædificare nõ iacto solidio fũdamento. Quid verò hinc cõsequitur? vt multis licet pijs operibus ornatus & instructus, tamen minima tentatione impendente cum magno suo damno, & proximi scandalo in peccatum lethale corruat, vt omnium præteritorum bonorum iacturam faciat. Qua de re Caiet. in hunc locum scribẽs, sic loqui tur. *Hic describi vides ruinam hominis, qui congeriem operum suorum ædificauit super non integrum, seu non firmum vsq; ad intima cordis penetrans propositum, perseuerandi in omnibus, vel propositum non fundauit super Christum: hoc est, non est fiducia eius innixa super Christum, sed super viribus proprij animi. Vtroque enim modo deest verum fundamentum. Propter primum* Caiet. in S. Luc.

siquidem deest profunditas, & propter secundum deest petra.

Hæc æternæ sapientiæ doctrina, magna reuerētia & gratiarum actione amplectenda est, & diligentissimè exercenda, tum cauendo huius hominis defectus, qui licet fide, multisq; bonis operibus instructus esset, tamē firmo non peccandi proposito destitutus erat, & vt non fuisset, tamen suis viribus conatibꝰq; plus nimio tribuebat: tum etiam imitando sapientis veriq; Dei serui exemplum, qui exstruens fabricam boni operis, sanctæq; vitę, cū firmissimo proposito in eâdem persistendi omnem fiduciā coniecit in omnipotentem Deum, & filij eius Christi virtutem & auxilium.

CAPVT. V.

Quomodo per inordinatā confidentiā, qua homo vtitur in actionibus humanis suo fructu spolietur.

OMNES homines, qui desiderio alicuius boni consequendi tenentur, debent ad illud consequendum suam quoq; industriam & laborem conferre, quantum ratio naturalis

turalis & lex diuina postulauerit: nam neq; diffidentia sui, neq; confidentia in Deo, media & auxilia humana excludunt, imò potius exigunt, vt homo faciat quod in se est, vt si velit à Deo sustẽtari, ipse etiam, quoad vires ferent, in eundem finem laboret: & si velit proximi voluntatem ad benè faciendum à Deo inflecti, ipse quoq; & precibus & rationibus, alijsq; medijs necessarijs proximum ad idem præstandum cõmoueat. Sic si ad solidarum virtutum opes aspiret, medijs quoq; ad id necessarijs, vt meditationibus pijs, pœnitentijs, eleemosynis, inuocatione Sanctorum, & proborum hominum institutione vtatur. Magni siquidẽ refert, vt homo medijs necessarijs, quibus vtitur, non inordinatè confidat, sed fiduciam omnem proijciat in Deum, eiusque bonitatem, certò persuasus, quemadmodum voluntatem & facultatem impertiuit illa media vsurpandi, sic etiam vim & efficaciam fructuosè illa tractandi collaturus sit. Quam rem exponẽs S. Basilius in hanc sentẽtiam scribit.

Bas. in const. monast. c. 16.

Necesse est in omnibus actioni-

bus nostris, vt omnem fiduciā in auxilio diuino collocemus: quātocunque enim studio & industria vsi fuerimus, nihil tamen sine illo effecerimus. quā, quā nec suppetet nobis illud auxiliū, si conatum nostrum subtraxerimus. Itaque ad cōsequendam veram virtutē, opus est pariter & solicitudine nostra, & præsidio celesti, quod etiam cū ipso bonorum operū exercitio augescit. Refert propheta Isaias, ingentem infidelium exercitum ad oppugnandam Hierosolymam coactum, qui creditur fuisse Nabuchodonozoris temporibus Sedechiæ regis. Hierosolymitanos verò ipsos, ad defensionem se cō parasse, congregando piscinæ inferioris aquas, ad muniendū murum domos destruendo & inter duos muros ad aquā piscinæ veteris lacum faciendo, & tamen Deum hanc eorum industriā & laborem improbasse & redarguisse, atque eos tandē in manus hostiū tradidisse, vt ab illis vel mactarē tur, vel in captiuitatem abducerentur. Qua verò de causa? Quia scilicet, in industria illa tua humana omnes spes suas defixerant, nec ad preces, vel

Isa. c. 22.

ad

ad auxiliū diuinum confugerant. *Lacum feciſtis*, inquit, *inter duos muros, & nō ſuſpexiſtis ad eum qui fecerat eū & operatorem eius de longè non vidiſtis.*

Quando verò media humana non ſufficiunt, Deus, ſi ad illum confugiamus, defectū eorum ſupplet, vti fecit regi Ezechiæ, quando eum Senacherib cum potentiſſimis Aſſyriorum copijs obſedit nam cum obturaſſet cunctos fontes extra vrbem, ne hoſtibus ſuppeteret aqua, refeciſſet muros, turres extruxiſſet, ac vniuerſi generis armaturā & clypeos inſtauraſſet, nec tamen omnis hæc induſtria ſatis eſſet ad ſuſtinendam hoſtilium copiarum vim: Deus quod deſiderabatur diuinitus ſuppleuit. miſit enim in ſubſidiū angelum vnicum, qui vna nocte centum octoginta millia hoſtium è medio ſuſtulit: Quæ verò cauſa fuit, vt Deus non eadem ratione ſuccurrerit Sedechiæ, cum tamen ijsdem medijs, quibus Ezechias, ad ſui defenſionem vſus fuerit? nempè, quia Sedechias omnem confidentiam ſuam poſuerat in hu- 2. Par. 32.

humanis viribus, non item Ezechias. Hic enim vt primum animaduertit in quanto discrimine Hierosolyma esset, contulit se ad templū, cilicio indutus, preces Isaiæ prophetæ pro se postulauit, populumq; totum ad orationem inuitauit, & hortatus est, vt fiduciam suam conijcerent in Deum, dicens, *Nolite timere, nec paueatis regem Assyriorum, & vniuersam multitudinem quæ est cum eo: multo enim plures nobiscum sunt, quàm cum illo: cum illo enim est brachium carnium, nobiscū Dominus Deus noster, qui auxiliator est noster, pugnatq; pro nobis.*

CERTE si pro aliquo dono diuino à Deo impetrando hoc documento vti debemus, speciatim debemus pro acquirendis veris & solidis animi virtutibus, vt nempè industriæ nostræ, siue iusti, siue adhuc peccatores simus, non nimium confidamus, vt ieiunijs nostris, vigilijs, meditationibus, orationibus, alijsq; laboribus & afflictionibus: hæc enim opera secundùm naturam suam considerata, hoc est, quatenus opera hominis, vim nullam vel efficaciam habēt nisi à gratia auxilioúe di-

uino

nino illis cõiuncto, vt benè docet Cassianus ex sanctorum Patum sententia. *Aiunt*, inquit, *Patres non posse ad purum quempiam carnalibus vitijs emundari, nisi vniuersum laborem suum atq; conatum ad tantæ perfectionis finẽ intellexerit non posse sufficere, nec eam nisi miseratione Dei & adiutorio comprehendi, &c.* Cass. monast instit. l. 1. c. 13. & 15.

O quantam iacturam lucri spiritualis faciunt homines, quòd hanc artem non fideliter exerceant, vsurpando, scilicet, media ad consequendas virtutes necessaria, atq; imprimis hanc diffidẽtiam sui, & cõfidentiam in Deum firmissimam. Multi siquidem serui Dei, qui sanctioris vitæ initium fecêre, vigilijsq;, ieiunijs, diuturnis precibus & meditationibus, caritatis quoq; operibus segnauiter exercuêre, tandem gratia diuina excidêre, & in magnas calamitates incidêre, nõ alia de causa, quã quod plus æquo industriæ suæ tribuissent. Ita Ambrosius in epist. ad Demetriadem testatur, *Multi*, inquiens, *seruientes Deo, & in lege eius die ac nocte meditantes, crucifixerunt carnem suam cum desideriis, & concupiscentijs* Amb. ep. 84.

omniũ &

omniumq; illecebrarũ incẽtiua domuerunt, non damnis victi, non persecutionibus fracti, non prosperitatibus depranati, mundum istum nec dilexere obsequentem, nec timuere terrentẽ. Tã tam itaq; firmitatem, & tam sublimem propositum qua impugnatione diabolus posset adoriri, nisi vt quibus non potuerat persuadere vitiorum amorem, immitteret laudis cupiditatem, & inde nouissima instrueretur tentatio, vnde nocuit prima deceptio? Hucusque Ambrosius. Atque hoc est, quod diuina scriptura toties repetit in Prouerbijs dicens, *Contritionem præcedit superbia & ante ruinam exaltatur spiritus.* Et alibi: *Superbum*, inquit, *sequitur humilitas: & humilem spiritu suscipiet gloria.*

Prou. 16. prou. 29.

NEQ. repetit sacra scriptura toties eandem sentẽtiam sine ingenti mysterio, cum nihil in illa otiosum sit. nempè vt intelligamus, quàm magnum, quamque necessarium sit hoc documentum. & verò dignissimum quod semper ob oculos versetur, & mẽte sedulò ponderetur ab ijs, qui cæperunt Deo seruire, vt si velint gratiam diuinam

nam, aliaq; spiritalia dona conseruare & adaugere vsq; ad claram Dei visionem, diligenter caueant hoc præcipitium confidentiæ sui, vnde tam multi turpissimè corruerunt, omnemque operam collocent in exercendis medijs quibus ad veram & solidam diffidētiam sui peruenitur. De quibus medijs deinceps agemus, ac tandem quæstionem illam dissoluemus. An posita omni fiducia principaliter in Deo, possimus, saltem secundariò, aliquam fiduciam ponere in bonis operibus, nostroq; studio & diligentia, atque alijs medijs humanis?

CAPVT. VI.

De Primo Medio, quo acquiritur sancta sui diffidentia, quod est rectè intelligere bona omnia esse à Deo

PRIMVM medium est, probè intelligere bona omnia, sine naturam eorum & virtutem, siue actiones & effectus spectes, esse à Deo. Quod vt clarius cognoscatur, notandum est: inter res & bona naturalia censeri, primò essentiã omnium creaturarum, tum facultates vel potentias cuiq; naturalis

naturæ proprias, demum actiones naturales & necessarias ab ijs profectas, quorũ duo priora solius Dei sũt, tertiũ Dei est & creaturarum. Idcircò autem omnes rectribuũtur Deo, quia de nihilo omnes creauit, sicut & de nihilo quotidie animas hominum creat, & in initio mundi creauit materiam, ex qua conflata sunt corpora, quæ in dies generantur. Deinde, quia creaturas omnes semel de nihilo conditas, deinceps semper conseruat, non secus, vt docet Beatus Augustinus, & S. Thomas, ac ratio ipsa euincit, quàm si continenter non noua, sed continuata actione produceret. Et idcircò, si vel vno momento Deus suspenderet cõseruandi actionem, mox omnes in nihilum recederent. Exemplum huius rei habemus in lumine aëris, quod à sole, simulatq; ort' est, producitur, & toto die cõseruatur: quod cõseruare aliud nõest, quàm incẽter lumẽ producere, sic vt quouis momẽto faciat, quod fecit primo, cũ nouũ lumẽ produxit. Itaque homines tãtus Deo debet gratias pro hoc cõseruationis dono, ac si in singula momẽta de nouo à Deo cõderetur, quàdoquidem

Aug. l. de gen. ad litt. S. Thom. 1. p. q. 9. a. 2, & q. 104. a. 1.

dem quolibet puncto temporis tantũ à Deo beneficium accipit, quantum primo, quo creatus est.

Sunt deinde in homine actiones quædam liberæ, ad quas se porrigit & facultas eius naturalis, sed interuenien te generali Dei concursu: Qui concur sus, cùm creaturæ ex iustitia nõ debea tur, gratiæ nomine appellari posset. ta mẽ quia ad vniuersalem prouidentiã nõ hominis modò, sed omnium etiã creaturarum pertinet, ac naturæ, ordini, & moderationi totius vniuersitatis, haud secus quã hominis integritati brachium, quodammodo debetur, inter naturalia potius dona numeratur. Ad has actiones, pertinent omnia quæ ad vitam sustentãdam, & virtutes morales exercendas adhiberi solent, vt est familiæ gubernatio, educatio liberorum, iustitiæ, & misericordiæ opera non admodum difficilia. Quæ licet viribus humanæ naturæ fiant, Deo tamen attribui queunt & debẽt, non solùm, quia ipse impertiuit nobis naturam & vires illa faciendi, sed etiã quia ad singulas actiones nostras concurrit, sic prorsus, vt quemadmodum

Soto. l. 1. de natura & g. c 2. Vega l 4 c. Trid. c. 7. & q. 22. & 14. de iust. f.

S. Th. 1. 2. q 102, a. 1. & 2. Bonau. 1. sent d 28. a. 1. q. 8.

creatura

S.Th.con. gent l.3. c. 4.& c 70. creatura suum esse, quod semel in prima creatione accepit, retinere non potest, nisi conseruatione Dei quasi iugiter producatur, sic nullæ actiones nostrę diu subsistere possent, si deus auxilium concursus sui subtraheret.

HANC doctrinam confirmat, tum ratio ipsa, tum diuina scriptura. Ratio quidem; quia nullæ causæ inferiores quicquam efficere possunt sine opera superiorum, vt liquet in conuersione cælorum ab ortu in occasum, & motu locali elementorum: si enim primum mobile à motu cessaret, & hæc necessariò cessarēt. Cū ergò Deus sit inter efficientes causas omnium princeps, nulla certè creatura quidquam agere potest, nisi eius nutu & impulsu: ac proinde nec homo quicquam cogitare, vel velle potest, nisi Deus illud cogitare per intellectum, & velle per voluntatem eius operetur. Scriptura verò: quia Isaias propheta disertè confitetur, omnia opera nostra in nobis Deum operari. Et eadē de causa omnes creaturarū actiones attribuit Deo: Si pluat enim, dicit Deū pluisse:

Isa. 26.

Psal. 27.

Ps. 28.

si

si tonet, Deum tonasse: si infantulus in vtero materno formatus, Deum formasse. Similiter de actionibus à libero arbitrio pendentibus loquitur, vt si quis ab aliquo percussus sit, dicit à Deo percussum, si afflictus & occisus ab hostibus suis, dicit à Deo occisum: nam de Rege Sennacherib à filijs suis trucidato sic alicubi loquitur. *Deijciam eum gladio in terra sua.* Vnde liquet omnes actiones nostras bonas in auctorem Deum, vt primũ fontem & causam earum, referẽdas. malas verò & impias, etiamsi quoad culpam nisi in solùm hominem referri queant, tamen referri debere in Deum, quatenus entitatem quãdam habent, & vt sunt pœnæ à Deo inflictæ. Hæc doctrina vera & certa consideratione dignissima est, tum vt ex omnibus bonis diffidentiam nostri ipsorũ discamus, tum vt ea, quantumuis naturalia & à libera hominis voluntate profecta Deo auctori transcribamus, eique soli omnem eorum gloriam tribuamus: mala quoque pœnæ omnia congruenti patientia excipiamus quippe cũ non nesciamus ea siue

Iob.10.
4.Reg.19.
Isa.37.

pœ-

per media naturalia siue voluntaria, s
ue cum culpa nostra, siue citra culpam
euenerint, à misericordi Dei manu pr
fecta.

CAPVT. VII.

De operibus gratiæ, & quatenus à De pro manent.

PRÆTER actiones naturales l liberas, quas viribus humanis e ercere possumus, sunt alię in ho mine, quæ vires naturæ lōgè excedū vt gratia hominem iustificans, ac De gratum reddens, virtutes infu ę, & do na spiritus sancti, quæ gratiam cons quūtur. Tum actualia & specialia Dei auxilia, inter gratias gratis datas nume randa, quorum subsidio Deus homi-ni suppeditat vires ad exercēda opera pia & salutaria, ac vitę æternæ meritoria. Atq; hæc Dei dona sunt, quia solus Deus illa vel per se, vel per sacramē ta, & Christi Domini nostri merita in nobis operatur. quæ quidem ita sunt opera Dei, vt non sint hominis, licet quędam eorum, homo sine antegressa libera dispositione & præparatione, quando rationis capax est, nō accipiat.

Ino

In actionum quoque supernaturalium numero censentur omnes liberæ hominis actiones, quas sola naturæ vi fretus exercere nequit, licet reuera, DEO cooperante, ipse quoque eas exerceat. Nam ad eas DEVS non solùm concurrit, vt ad naturales, concursu generali, sed alio speciali, vt communicando gratiam, & virtutes diuinas, quæ sunt dona nobilissima solo infinito Christi merito parta, & hominem supra omnem naturam humanam euectum diuinæ naturæ consortem faciunt. Deinde conferendo actualia auxilia, quæ intellectum, & voluntatem euehunt ad percipienda, & complectenda ea, quæ suopte motu non poterant. Quæ dona homo cum viribus suis promereri non possit, accepta ferre debet solis CHRISTI meritis: etsi iam iustificatus earum augmentum promereri queat.

Haud secus Dei sunt omnes actiones, quibus homo meretur aut præmium gloriæ, aut gratiæ, virtutumque infusarum augmentum, quippe cum omnem vim valoremque à Spiritus sancti gratiâ, qua iusti, & DEO grati,

efficimur, accipiant, atq; etiam à Christi meritis, quæ beneficio fidei nobis applicantur. Sed & amoris diuinia actio, qua DEVM super omnia tanquam vltimum finem supernaturalem in clara visione ipsius, quæ nostra beatitudo est, diligimus, opus DEI censenda est, cum præsupponat gratiam & charitatem infusam à Deo profectam.

Hanc doctrinam tradunt diuinæ literæ, & fide Catholica credendam decernunt sacra Concilia. Eò enim spectant illa verba Christi apud B. Ioannem. *Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere*: nam si de se loquitur tanquam Deo, liquet hominem nullam actionem naturalem vel liberam posse sine cooperatione Dei exercere: si verò de se loquitur, tanquam homine, vti verè facit, sensus est: nihil Deo gratum, vel vitæ æternæ meritorium facere potestis sine mea gratia, & meritorum meorum communicatione, vt enim viti intimè coniuncti sunt palmites, sic fideles iusti per fidem & charitatem vniti sunt Christo. Deinde cum quidam ab eo

Ioann. 15.

per

percunctarentur, quemadmodum facere possent opera Dei? respondit. *Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille*, id est, in Iesum Christum filium Dei viui, ab æterno Patre missum pro salute hominum. Et paulo post subiungit. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit illum*, quasi diceret: nemo potest abstinere à peccatis, & pœnitentiam agere, fideque & charitate se mihi vnire, nisi à Patre meo singulare illi adsit subsidium, vt cordi eius ista inspirentur. His alijsque testimonijs sacra scriptura secundum indicat modum, quo nostra bona opera peculiari quadam ratione dicuntur opera & dona DEI, quia, videlicet, facta sunt cum gratia supernaturali, vel cum speciali DEI auxilio: vnde vel dispositiones sunt ad iustificationem secundum Concilij Tridentini decreta, vel etiam gloriæ æternæ merita.

Eph. 2.

C. Trid sess. 6. c. 5 can 3.

Præter hæc multa alia opera bona liberi arbitrij viribus cum solo generali Dei concursu homo præstare potuisset, si integritatem naturæ suæ per lapsum non amisisset, at postquam gratia & iustitia originali per peccatũ excidit,

C. Tri. sess 6. c. 13 Aug. l. 2. con. 2. ep. Pelag 4. 5.

S. Tho. 1.2. *q.* 109. *a.* 8. & 9. *Bonau.* 2. *se. d.* 28 *q. vl. Soto de nat.* 2. *gl.* 1 *c.* 22. & 23. *rega de iustif.* 9 & 12. & 12.

cidit, specialibus diuinæ gratiæ auxilijs opus habere cœpit, quæ Deus nemini ea postulanti subtrahit. Cui doctrinæ congruit, quod Sancti Doctores sacræ scripturæ lucem secuti docent, hominem semel in peccatum mortale lapsum, etsi quædam opera moraliter bona liberi arbitrij facultate præstare possit, non posse tamen diu perseuerare in eo statu, quin in alia labatur, nisi diuinam gratiam imploret, cuius beneficio iuuetur, ne peccato consentiat. Similiter tradunt, hominem iam iustificatum, sola gratia habituali instructum, non posse opera quædam admodum ardua & difficilia præstare, magnisque tentationibus reluctari, nisi præterea specialibus à Deo fulciatur auxilijs, & consequenter addunt, nec posse diu in

C. Trid. sess. 6. *can.* 22.

accepta gratia sine ijsdem auxilijs, vti & decretum est in sacro Concilio, perseuerare.

Hinc verò liquet, quam parum possit natura, quamque necessaria sint ei dona, & auxilia supernaturalia. Ex hac doctrina quiuis Christianus discere debet, si in peccatum mortale lapsus fuerit ilico per pœnitentiam esse resurgẽdum, ne ruat deinceps in grauiora, du-

riorem-

rioremq; in se damnationem accersat, Deinde dādam operam diffidentiæ sui: & in omnibus ad diuinum numen, vt iam dicemus, recurrendum.

CAPVT VIII.

Quòd ex doctrina iam tradita haurire debeamus humilitatem, qua sanctè nobis ipsis diffidamus.

MAgno beneficio affectum se arbitrari debet homo Christianus, si agnoscat omnia bona opera sua tam naturalia, quam gratuita esse Dei opera. Hinc enim discit, à quo efficax subsidium petendum ad eadem ritè præstāda, nempe à Deo, à quo omne datum optimum, deinde discit, quam gnauiter petendum sit, quippe cum perpetuo in omnibus actionibus diuina cooperatione, siue generali naturæ, siue particulari gratiæ indigeamus, tum vt bene fiant, tum vt sine defectu in illis perseueremus. Ita confitetur sapiens, cum ait: *Vt sciui, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum, adij Dominū, & deprecatus sum* Sap. 8.

Bas. in reg. interrog. 17. *illum, & dixi ex totis præcordiis meis*, sub continentiæ autem nomine comprehendi, quamuis aliam perfectam virtutem tradit Beatus Basilius. Itaque homo in omnibus operibus, quæ ad gloriam Dei facere cogitat, ac in omnibus virtutibus, quas acquirere conatur, agnoscere debet, esse dona Dei, & sine auxilio peculiari diuino nihil eorum posse nos præstare, quòd egregiè explicauit Beatus Cœlestinus Papa in Epistola quadam, ad Galliæ Episcopos data. *Quòd ergo tempus*, ait, *interuenit, quo eius non egeamus auxilio? In omnibus actibus, causis, cogitationibus, motibus, adiutor & protector o. audius est. Superbum est enim, vt quicquam sibi humana natura præsumat, clamante Apostolo. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed contra principes & potestates aeris huius.*

Cœlest ep. ad Gal. episc. c. 9

Ephes. 6.

Ex eadem cogitatione homo discit, & submissè de se sentire, & se contemnere, quemadmodum humilitas vera postulat: omnia verò bona opera non in suam temporalem & fluxam, sed in DEI vnius gloriam referre. Nec iniuria. Omnia enim bona sua à Deo habet, à se autem nihil nisi ipsum nihil, è

hil, è quo conditus, & peccata, quorum solus homo auctor est, iuxta illud Dei dictum apud Prophetam Oseam. *Perditio tua ex te Israhel, tantummodo ex me auxilium tuum.* Vnde Beatus Augustinus alicubi cum Deo colloquens. *Aperuisti mihi oculos lux, & excitasti, & illuminasti me, & vidi, quoniam tentatio est hominis vita super terram, & quod gloriari non valeat ante te omnis caro, nec iustificetur omnis viuens, quoniam si quid boni est, parui vel magni, donum tuum est, & nostrum non nisi malum est. Vnde igitur gloriabitur omnis caro? nunquid de malo? Hæc non est gloria, sed miseria. Sed nunquid gloriabitur de bono, nunquid de alieno? Tuum, Domine, est bonum, tua est gloria.* Appellat hic Sanctus Augustinus proprium hominis, quicquid habet à se, & non à Deo, vt est peccatum: bonum verò hominis facit alienum, hoc est, Dei: etsi enim bonum quoque hominis sit, à Deo tamen est profectū. Itaq;, inquit, si homo rectam de se sententiam ferat, boni operis gloriam omnem conferre debet in Deum, sibi autem tantùm optare pœnam peccatis promeritam toto pectore dicēdo, cum Apostolo: *Regi sæculorum immortali, in-*

Ose. 13.

Aug in soli. c. 5.

1. Tim. 1. Baruch. 1. & 2.

uisibili, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorũ, nobis autem, vt Propheta loquitur, *confusio faciei nostræ* pro peccatis nostris.

Quòd si quis dicat, hominis opera omnia quidem esse Dei dona, tamen hominem quoque ipsum libertate arbitrij cooperari Deo, tanquam causam secundam primæ, instrumentum cum principali agente: vt ita sit, expendat apud animum suum ipsam quoque libertatem, imò & actionem liberam, qua cooperatur, esse à Deo, vt suprà dictum est. quòd verò ex parte sua facit, exiguum quid esse, & quamuis multum foret, tamen id totum deberi DEO, tum quia eius creatura est, tum quia multis beneficijs ab eo est affectus. Quare & in omnibus operibus bonis non suam, sed solius Dei venari debet laudem & gloriam, quòd nisi fecerit, in eum quadrabit sententia, quam Christus fulminauit in eos, qui in operibus suis humanam aucupabantur gloriam. *Amen dico vobis*, inquiens, *receperunt mercedem suam.* Vnde Beatus Gregorius agens de quinque virginibus fatuis, seriò admonet auditores suos, his verbis: *Hodierna sancti Euan-*

Aug præfat. Psal. 31. Matth 6. Greg hõ. 12. in Euang.

gelij

gelij lectione compellor dicere, vt & bonas, quæ agitis, cum magna cautela teneatis: ne per hoc, quod à vobis rectum geritur, fauor aut gratia humana requiratur: ne appetitus laudis subrepat, & quod foris ostenditur, intus à mercede euacuetur. Ecce enim Redemptoris voce decem virgines, & omnes dicuntur virgines, & tamen intra beatitudinis ianuam non omnes receptæ sunt, quia earum quædam, dum de virginitate sua gloriam foris expetunt, in vasis suis oleum habere noluerunt

Christus quoque alibi grauiter in Scribis & Pharisæis insectatus est idem vitium aucupandi laudes humanas in operibus bonis. *Omnia*, inquiens, *opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus rabbi.* Et huic vitio tribuit idem Christus, quòd in se non crediderint. *Quomodo*, inquiens alibi, *vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?* Nempe ad credendum Euangelio opus erat humilitate intellectus, & voluntatis, qua præpararetur cor, quia ergo ni- Matth. 23.

mia honorū cupiditas occludebat portam humilitati, consequenter occludebat & fidei.

Verum est quidem hominem homini debere aliquando honorem, conuenienter cuiusque statui, & virtuti, iuxta illud Beati Pauli: *cui honorem, honorem*. Et. *Honore inuicem præuenientes*, quibus verbis hortatur, vt quisque primus sit in honorando proximo: nec expectet, donec honoretur ab alio. Quæ res aliquando est præcepti, aliquando consilij. At hæc obligatio, quæ communis est omnibus, nascitur à caritate, quam Deus nobis commendauit. Vt ergo lege charitatis omnes obligamur ad diligendum honorandumque proximum propter Deum: Sic lege humilitatis obligamur, vt honorem illum non quæramus, nisi propter Deum, qui auctor & finis est omnium operum bonorum, ad cuius gloriam omnia referri debent. Idem dicendum est de honore, qui homini defertur ad dignitatem, vel officium, quòd gerit in Republica, vt sicut lege iustitiæ homo obligatur, vt tales honoret secundum gradus excellentiam, sic lege humilitatis intelligat se obligatum non

Rom. 12. 13.

acce-

acceptari illum propter suum commodum, sed propter commodum Reipublicæ, eumque totum referat ad honorem Dei, vt sequenti capite clarius exponemus.

CAPVT IX.

Eundem humilitatis, & propriæ diffidentiæ fructum capi debere ex consideratione finis, ob quem Deus omnia opera sua facit.

NOn ea solùm ratione homo tenetur omnia sua bona opera referre ad diuinã gloriam, quòd sint Dei dona, sed etiam quia Deus, teste diuina scriptura, omnia opera facit propter suum honorem, & gloriam. *Creauit*, inquit, *cunctas gentes in laudem, & nomen, & gloriam suam.* Et. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* In omnibus diuinis operibus est commodum, & honor. Commodum Deus in hac vita voluit

Deut. 26.
Prou. 16.

cedere homini, gloriam & honorem sibi. Vnde cùm declarasset, se omnia facere propter suam gloriam, adiunxit se eadem facere ad commodum hominum. *Si*, inquit, *eleuatis oculis ad cælum videas Solem & Lunam, & omnia astra cœli, ne errore deceptus adores ea, & colas, quia ea creauit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.* Eadem ratio est de alijs Dei operibus, & maximè de bonis operibus iustorum, quæ cum inter opera eius maximè emineant, ea maximè vult in gloriam suam referri. Qua in re sapientissimè sanè pro immensa sapientia sua facit: nam cum sit infinitè perfectus, nullam ex nostris operibus vtilitatem capere potest, nec accessionem vllam facere ad suã perfectionem. Etsi crescere extrinsecus quodam modo possit in hominum cordibus, quatenus ab illis agnoscitur, laudatur & glorificatur: vnde & imperat homini, vt opera sua bona in hunc finem dirigat. Quoniam verò homo natura imperfectus est, & semper maiorem accessionem facere potest ad perfectionẽ gratiæ, virtutum & meritorum, idcirco omnem bonorũ operum fructũ cedere

Deut. 4.

vult

vult homini, vt eorum beneficio fiat & melior, & perfectior, & vita æterna dignior, atque id angeli declararunt, cùm in ortu Christi cecinerunt. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Nomine enim *Pacis*, intellexêre omnem perfectionem internam, quam homo potest in hac vita exoptare. Luc. 2.

Quando ergo homo Christianus huic ordini diuino insistit, vt in actionibus suis, primariò spectet gloriam Dei, vt ille agnoscatur & laudibus celebretur; secundariò verò quærat etiam fructum suum, hoc est, perfectionem animi in virtute & meritis, ac quicquid necessarium vel vtile esse potest ad felicitatem æternam, tunc verè glorificat Deum, & animam suam saluat, idque vberiori quæstu, si illum ipsum fructum referat ad diuinam gloriam, hoc est, si ideò contendat ad perfectionem sui, vt inde amplior Dei redundet gloria. Tanto enim Deus desiderio ardet promouendæ salutis humanæ, vt quo quis in operibus suis studiosius gloriæ diuinæ amplificationem, suis neglectis commodis sectatur, hoc maiorem apud Deum gratiam promereatur:

tur: quando verò & commodum ſuum, & humanam ſimul aucupatur gloriam, ordinem conſtitutum peruertit, & in Deum iniurius eſt, atq; ideò non ſolùm excidit bonorum operum, quorum gloriam Deo non detulit, mercede; ſed etiam, ſicut fur, cui non ſolùm adimitur præda, ſed etiam mortis ſupplicium decernitur, ad tenebras exteriores detrudetur. Deo enim gloriam ſuam eripere notabilis admodum rapina eſt, teſte S. Auguſtino in hæc verba alicubi cum Deo colloquente: *Tuum Domine eſt bonum, tua eſt gloria. Qui enim de bono tuo gloriam ſibi quærit, & non tibi quærit, hic fur eſt & latro, & ſimilis eſt diabolo, qui voluit furari gloriam tuam.*

Aug in ſolil. c. 15.

Quòd non eò dico, quaſi homo, quoties gloriam humanam aucupatur in ſuis operibus, peccatum mortale committat, ſæpè enim committit tantum veniale. Vnde ſanctus Thomas in ea verba, quæ Chriſtus, vt homo, dixit apud ſanctum Ioannem: *Ego non quæro gloriam meam, eſt qui quærat & iudicet.* ſcribit ſolum Deum poſſe quærere gloriam ſuam citra vllam culpam, homines verò non poſſe, niſi in Deo. cumque ſemper culpam homo com-

Ioan. 8.

mit-

mittat, si secus faciat, nonnunquam committit & lethalem, vti quando ex superbia operibus suis bonis non alium finem propositum habet, quàm sui nominis famam & honorem. Quare semper magnoperè cauenda est hæc ordinis peruersitas, nam hoc vitium, præter culpam quam annexam habet, magnam vim habet, auctore sancto Augustino, ad detrudendum hominem in alia peccata, & maximè in nimiam fiduciam sui. Et sanctus Thomas scribit peccatum vanæ gloriæ esse periculosum, non solùm propter grauitatem culpæ quam habet in se, sed quia disponit ad peccata grauiora, vti ad præsumptionem tantam sui, vt tandem omnibus bonis internis homo spolietur.

Aug. ep. 64.

S. Tho. 2. 2. q. 132. a. 8. ad. 1.

Fortè quæret aliquis, vsurpetne iniquè Dei gloriam, qui laudes humanas probet vel acceptet, vt plus possit proximo prodesse, cultumque diuinum amplius promouere? Respondeo cum Sanctis, quando humanus ille honor vel laus quæritur aut acceptatur propter vtilitatem quę v. g. ex institutione, vel concione, aliaue id genus functione in proximum cum maiori Dei gloria

ria redundat, tum non priuatum, sed publicum Dei honorem quæri. Nam sicut æger, qui medicinam à qua naturaliter alioquin abhorret, ob sanitatem amat & suscipit, non tam medicinam, quàm salutem suam amare dicitur; sic, qui honores humanos, quos alioquin aspernatur, quærit & acceptat, vt hoc instrumento & salutem animarum & diuinum cultum commodius promouere possit, non tam gloriam suam, quàm Dei quærit & acceptat. Hanc doctrinam diuinitùs acceptam confitetur D. Augustinus, cùm ait sibi fas non esse lætari de suis laudibus, nisi quatenus inde maior in proximos vtilitas promanat. Et alibi dicit, id *quod accipitur laudis aut honoris, non propter nos, qui humana contemnere debemus, sed propter illos accipiendum, quibus consulere non possumus si nimia deiectione vilescamus.* Idem sanctus Bernardus seruis Dei in quodam sermone exponens, sic loquitur: *Fratres, nemo vestrum velit laudari in vita ista, quia quicquid hic fauoris captas, quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. Tibi enim vnde gloria putide puluis, tibi vnde? de vitæ sanctitate? sed spiritus est, qui sanctificat spiritus dico, non tuus, sed Dei.*

Aug libr. 10. confess c. 37. & ep. 64. ad Aurel.

Bern. ser. 13. in Cant.

S. Tho. 2. 2. q. 132. a. 1.

Hanc

Hanc doctrinam si sequamur, hoc est, si omnium bonorum operum gloriam attribuamus Deo, facilè peruenietmus ad diffidentiam nostri: & fiduciam in Deum: si enim ex parte nostra boni nihil habeamus, non habemus quoque vnde nobis nostræve industriæ magnoperè fidere queamus: si verò omnia nobis contingunt à Deo, meritò in illo omnem spem & exspectationem defigere possumus, dicendo cum Dauide:

Hi in curribus & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus. Psal. 19.



CAPVT X.

Sapientum mundi huius virtutes vanas fuisse, eò quòd dicta agnitione destituti fuerint.

TAm necessaria nobis est hactenus explicata cognitio, vt nempè confiteamur tantam esse virium nostrarum naturalium imbecillitatem, vt nihil boni præstare, nisi manu diuina adiuti, possimus: vt multis seculis sapientissimi quique, licèt magnum studium in virtute consequenda, cuius pulchritudinem, vtilitatem, & necessitatem agnouerunt, collocarint, nullam tamen veram vnquam virtutem sint consecuti. In quorum numero fuére multi Philosophi gentiles, & Oratores Romani, qui, etsi vnum Deum omnium rerum conditorem profiterentur, tamen arbitrati sunt veram & perfectam virtutum laudem humana industria comparari posse: qui error fuit, teste beato Augustino, plurimorum, vel certè, etiamsi quidam cognôrint naturam liberumque arbitrium hominis esse

Pelagian. error.

Aug. de her. c. 88.

esse à Deo, non tamen animaduerterunt liberas hominis actiones etiam Dei ope & auxilio indigere, qui aliquorum, teste sancto Thoma, error fuit. Vnde factum est, vt in virtute capessenda omnem fiduciam locarint in suis viribus, suaque recte facta non Deo, sed sibi attribuerint, atque ita laudem humanam non Dei gloriam, per illa aucupati sint, quare & ianuam sibi præcluserunt ad excipiendum lumen fidei & gratiæ, & causam dederunt se præcipites agendi in grauiora crimina cum omni ratione pugnantia, quos beatus Paulus idcircò dicit esse apud Deum inexcusabiles: *Quia*, inquit, *cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt.* Non glorificare Deum, & gratias non agere, non fuit aliud, quam non attribuere Deo scientiam, sapientiam, cæteraſque virtutes, quas à Deo acceperant. *Rom. 1.*

Beatus Hieronymus agens de primarijs Philosophis in commentario Ec- *Hieron. in c. 10. Eccles.*

Ecclesiasticæ, dum exponit illa verba: *Labor stultorum affliget eos. Lege*, inquit, *Platonem, Aristotelis reuolue versutias, Zenonem, & Carneadem diligentius intuere, & probabis verum esse, quod dicitur, Labor stultorum affliget eos. Veritatem illi quidem omni studio quæsierunt, sed quia non habuerunt ducem & præuium itineris, & humanis sensibus rati sunt se comprehendere posse sapientiam ad ciuitatem, minimè peruenerunt, de qua in Psalmo dicitur: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei.* Idem affirmant omnes reliqui sancti Patres. Quanquam eorum testimonijs opus non habemus, vt probemus gentiles Philosophos suo fastu & superbia, qua omnia dona naturæ & gratiæ suæ industriæ tribuerunt, sibi exitium conciuisse, cùm ipsimet illud confiteantur. Cicero enim qui probè callebat Philosophorum dogmata, nec ignorabat quid in schola mundi huius doceretur, in libris de natura deorum de hoc argumento in persona Cottæ sic loquitur: *Atque hoc quidem omnes mortales sic habent, externas commoditates, vineta, segetes, oliueta, vbertatem frugum & fructuum,*

Lact. li. 3. de inst. c. 15.

Aug. l. 5. ciu. d. c. 12.

Bern. ser. 6. in Cant.

Cicer. l. 3. de nat. in fin.

om-

omnem denique commoditatem prosperitatemque vitæ à dijs se habere, virtutem autem nemo vnquam acceptam Deo retulit, nimirùm rectè. propter virtutem enim iure laudamur, & in virtute rectè gloriamur, quod non contingeret, si donum à Deo, non à nobis haberemus. Hæc sapiens ille Ethnicus, vanæ gloriæ scilicet amore excæcatus.

Aristoteles quoque etsi, vt intelligentior, dubitasset de hac Philosophorum doctrina, tamen, ne à communi omnium sensu discederet, in eandem sententiam inclinauit: cùm in Ethicis suis quæstionem ponit, sitne virtus, in qua partem felicitatis huius vitæ collocat, nobis à Deo, an à studio & exercitatione nostra: & causam dubitationis adiungit, quòd si bona externa à Deo sint, hanc multò magis, vtpotè illis præstantiorem, ab eo esse debere. Nam respondet se quæstionem non decidere: videri tamen diuiniorem felicioremque hominem, si suo studio & opera consequatur virtutem. qua responsione indicauit, se non discedere à communi Philosophorum placito. Non capiebant isti mundi sapientes, quomodo virtus simul

Arist. libr. 1. Ethic. ca. 9.

Lac. Stoba. Eth. c. 9.

Aug de bono perseu ca. 2. Soto de nat & gr. l. 1. c. 15.

simul esse possit donum Dei, & exercitio humano comparari: nimirum ignorabant liberum arbitrium in omni actione pendere à cooperatione diuina: ita vt eadem actio, sit tota Dei, & tota liberi arbitrij; qui enim dedit liberum arbitrium, dedit & facultatem illo operandi.

Hinc quoque factum est, vt cognorint virtutem humilitatis, qua homo contemnit se, tanquam imbecillum, qui nullum bonum habeat ex se, & tanquam peccatorem, omnia autem bona sua accepta fert DEO. Ita docet Augustinus his verbis: *Hæc aqua*, inquiens, *humiliationis cordis, hæc aqua vitæ salutaris, abijcientis se, nihil de se præsumentis, nihil suæ potentiæ superbè tribuentis, hæc aqua in nullis alienigenarum libris est, non in Epicureis, non in Stoicis, non in Manichæis, non in Platonicis. Vbicumque etiam inueniuntur optima præcepta morum & disciplinæ, humilitas tamen ista non inuenitur. Via humilitatis huius aliunde non manat, à Christo venit. Hæc via ab illo est, qui cùm esset altus, humilis venit. Quid enim*

Aug. in Ps. 31.

enim aliud docuit humiliando se, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis? Caietanus quoque Cardinalis exponens Christi dictum: *Qui se humiliauerit, exaltabitur*, ait; nec virtutem humilitatis, nec superbiæ vitium in doctrina Aristotelis inueniri, sed tantùm in Euangelio. Et licet humilitas virtus sit moralis, propriè tamen humana non est, quia humana industria non acquiritur, sed Christiana, tradita à Christo ijs, qui Euangelicæ legi se addixerunt. *Caietan. in Matth. 23.*

Idem accidit multis sapientibus è populo Israhel: quamuis enim illi legis & Propheticorum librorum scientia imbuti cognouerint opera bona esse DEI, nec nisi adiuuante DEO præstari posse à libero arbitrio nostro, non tamen cognouere, ad veram virtutem, qua homo iustificatur, & felicitatem æternam promeretur, necessarium esse diuinum gratiæ donum ex Dei misericordia & Christi meritis profectum, sed arbitrabantur se ipsa obseruatione legis naturalis & scriptæ reddi iustos & Dei amicos, vitaque æterna dignos

Rom 9. vt declarat sanctus Paulus dicens *Israhel sectando legem iustitiæ, in legem iustitiæ*, qua iusti efficerentur, *non peruenit. Quare? quia non ex fide, sed quasi ex operibus*, id est, quia non diuinæ gratiæ ope, sed sola legis obseruatione putârunt se iustos effici posse: itaque quia confisi sunt suæ industriæ & studio, iustitia & salute exciderunt.

Chryſ. hom. 13 in Matth.

Ex hac summa ignorantia & cæcitate, tum Philosophorum, tum Hebræorum discimus, quantas gratias diuino numini debeamus, quòd tam clara huius doctrinæ documenta nobis reliquerit, vt vel ex hac vna (vt alia testimonia quę sunt penè innumera, desint) intelligere possimus, Euangelicæ legis autorem nullum esse posse, nisi Deum. Nam docere hominem ex omnibus rebus suis nihil posse vel debere suum agnoscere: nisi ipsum nihil, è quo conditus est, & peccatum quo pristina iustitiæ integritate excidit: deinde omne bonum, eiusque laudem & gloriam debere soli Deo acceptam ferre, idque omnibus retrò seculis sapientibus huius mundi fuisse ita ignotum, vt potius cõtrarium tanquam licitum fecerint: Ad-

hæc

hæc quod Christus tam liquidò hanc doctrinam tradiderit, eiusq; viua & perfectissima exempla reliquerit, suorūque fidelium cordibus impressa reliquerit, hoc inquam, tam potens & efficax testimonium est veræ fidei, vt omne miraculum externum excedat. Ac demum tam ingens hoc est Dei beneficiū, vt, si alia, cæteroquin infinita & incōparabilia, non accepissemus, hoc vnum maximè nos permouere possit ad Deū toto pectore omniq; conatu amandum & colendum. Nam cum vera perfectaque virtus sit nobilissimum quoddam bonum, in quo huius vitæ felicitas cōsistit, mediumq; efficax ad vitam æternam, obtineri verò non queat sine humilitate, negari non potest, inter ineffabilia Dei beneficia, quo arctissimè ad Deum redamandum constringimur, huius doctrinę notitiam numerandam esse.

CAPVT XI.

De altero medio, nempe, propriæ imbecillitatis experientia, quo homo ad sui diffidentiam peruenire potest.

ETsi notitia hactenus tradita necessaria sit ad acquirendam sui

diffidentiam, non tamen est sufficie
eò quòd notitia intellectui, diffiden
verò insit voluntati. Humilitas sic
dem vera & germana non solùm pos
lat, vt homo credat nihil ex omnib
rebus esse suum, nisi nihil, & peccatu
omnia verò bona sua esse Dei, qui est
ctus intellectus pertinens ad fidem o
nibus Christianis etiam superbis & i
pijs communem; sed vt intimo quoq
voluntatis affectu se regulæ rationis
intelligentiæ reipsa conformet, hoc e
se ipse tanquam creaturam, cui nihil
ni insit, despiciat, & si quid boni sit,
totum, eiusque gloriam omnem in a
ctorem eius Deum conferat: humilit
enim essentialiter sita est in voluntat
cuius est hoc exercitium. Clariùs id
telligi potest ex eius contrario, nemp
confidentia sui, quæ est actus superbi
Ea enim non tam in eo consistit, vt ho
mo omnem vim & facultatem ben
operandi sibi & non Deo attribuat; hi
enim manifestus esset error intellectu
quam quòd ad boni operis executio
nem ea opinione de sua industria & ro
bore, neglecta diuini auxilij implora-
tione, prouolet, ac si omnem vim & ef-
ficacitatem bene agendi à seipso habe-
ret.

De-

Declarat hanc rem optimè doctissimus Ioannes Gerson, cùm ait: *Sed dices: scio me iam nihil posse, nihil scire, nihil deinceps habere iustitiæ, nihil tamen tale, quale polliceris, experior, veruntamen precor attende, quomodò scire dixeris, videto ne audias, illud improperium: Ex ore tuo te iudico serue nequam. Nam si vera & absque vlla dubitatione ita esse iudices, fortè per intellectum & per rationem, vt ferè omnes, cur affectio, cur operatio contradicunt? cur vel non conformiter afficeris & agis, aut cur sic afficeris, & sic agis quasi possis tuis viribus, tua industria, tuaq; iustitia dignū aliquid operari? laudo iudiciū tuū, quale dixisti, sed experimētalem gustationem coexigo.* Venerabilis quoq; Richardus de S. Victore de hoc argumēto sic loquitur: *Volūtaria humilitas est cùm ex rationis ductu homo videt, quàm infirmus sit & peccator, & quod iuxta Iob, non sit ei auxilium in se, & huic rationi consentit voluntas & hoc iudicium diligit, & despectus esse eligit, quia sic nosse esse sic expedire nouit.* Hinc verò oritur, quod diximus, ad obtinendam hanc sanctam nostri diffidentiam, non satis esse habere notitiam speculatiuam, quòd nullæ nobis suppetant vires ad bene agendum, sed requiri præterea notitiam practicam & experimentalem.

Cæterum quæret fortè aliquis, quo
discrimẽ sit inter vtramque notitiam
speculatiuam & experimentalem? De
clarabo rem exemplo. Fingamus quẽ
piam beneficio luminis naturalis vel
dei in eam notitiam peruenisse, hom
ni non suppetere vires sufficientes a
benè agendum, diuino opus habere au
xilio, eundemque decreuisse nulla im
patientis animi in hominum congres
signa dare velle, ne Deus offendatur
deinde propositi oblitum in negoti
cuiusdam tractatione quendam sibi re
pugnantem offendit, ira commoueri
nec abstinere à contumelijs. Huic certè
si Deus lumen suum non subtrahat, no
ua notitia accedet de hominis impo
tia in bono perficiendo, & de auxilij di
uini necessitate, ac proinde & illud im
plorabit. Hanc secundam notitiam, vo
co experimentalem & practicam, quam
contendo esse necessariam ad conse
quendam veram in Deum fiduciam.
Atq; hoc dogma tanta exaggeratione
inculcant S. Patres, teste Cassiano, vta
gens de puritate animi comparanda, i
ta scribat. *Aiunt Sancti Patres, non pos
se ad purum quempiam carnalibus vitijs
emundari, nisi vniuersum laborem suum
atque conatum ad tantæ perfectionis finem*

Cassian. l. 12 c 13 & coll. 14. c. 7.

im

intellexerit non posse sufficere, nec eam nisi miseratione Dei & adiutorio comprehendi, non tam tradentis institutione quàm affectu, atque virtute & experimentis proprijs eruditius agnoscat.

CAPVT XII.

Notitiam experimentalem capi ex propria imbecillitate.

HAnc notitiam experimentalem consequitur seruus Dei, per quotidianas mutationes de bono in malum, & contra, quas in animo sentit. Quisquis enim semel initium fecit seruiendi Deo, cum proposito in cultu pietatis per omnem vitam perseuerandi, facilè animaduertit se crebriùs in multa & grauia peccata ex leui tentatione delapsum, multoq; tempore in tali statu, omnis boni immemorē perstitisse, deinde graui licet somno vitiorum obruto & sepulto, ilicò cogitationem incidisse de periculo impendentis exilij æterni, ac efficaciter motum fuisse ad vitæ emendationem. Notauit itē facilè lucem illam & motionem, quæ est gratia prœueniens, nullo suo studio antegresso in mente exortam, & assensum se illi præbuisse. Sed & hoc notauit, se, postquam se diuino cultui constanter de-

dedidit, multis medijs pœnitentiæ, pu cum & meditationum conatum fuiſſ nonnunquam aliquem deuotionis ſen ſum à Deo impetrare, nec aſſecutũ, ſe potius acidum cum omnis boni fall dio remanſiſſe, ac tantùm non viſu ſibi fuiſſe à Deo derelictum: aliâs verò cùm nulla huiuſmodi media vſurp uit, ſe mirabili luce illuſtratum, prior omnes tenebras diſcuſſiſſe, animamqu tãta diuini amoris ſuauitate perfuſam & ardore cœleſti ſuccenſam, vt atrociſ ſima quæque pro Chriſti nomine per peti tormenta paratus fuerit. In hu iuſmodi, inquam, mutatione & viciſſ tudine, homo per experientiam veni in cognitionem ſuæ imbecillitatis, hoc eſt, quàm vacuus ſit ab omni bono, quodque omne bonum à Deo proue niat.

Docent Philoſophi, Lunam totum lumen ſuum mutuari à ſole. Si Luna ſemper eſſet plena, ignari Philoſophiæ id ſcire non poſſent, niſi ex inſtitutione alterius; at quoniam ſemper plena non eſt, facilè per experientiam animaduertũt, ex tam crebra eius mutatione illam nullum lumen habere, niſi à ſole. Sic mentes piorum fidelium, ex frequenti mutatione quam in ſe indies experiun-

tur,

tur, quòd nunc sint quasi caligine quadam offusæ, nunc clarissimam quādam lucem sentiāt, perueniunt ad notitiam experimentalem, quod omne lumen, omneq; bonū illis contingat à Deo, eoq; verius, quo anima, quoad bona omnia atque etiam naturam suam magis pendet à Deo, quàm Luna quoad lumen suum à Sole. Ex hac autem notitia experimentali mox consequitur, vt eædem mentes profundissimè se corā Deo abijciant, & sibi ipsis diffidant, omne auxilium & subsidium à Deo præstolantes.

Meritò autem fideles omnes firmissimè confidere possunt, hoc subsidium diuinum sibi non defuturum. cùm enim Deus homini imperet & consulat studium veræ virtutis & perfectionis, sciatq; illi deesse vires ad hoc studium persequendum, liquet illum pro sua infinita liberalitate & clementia operam suam homini nō denegaturum, tū quia nūquam Deus impossibilia imperat, tū quia auxilium suum promisit, ac re ipsa præstat omnibus etiam sceleratissimis, imò ijsdem nonnunquam efficacissima adiuncta præbuit emergendi ex omnibus malis culpæ & pœnæ, in quæ prolapsi erant, nulloque ipsorum meritò ad magnas gratiæ gloriæque opes euexit.

Hanc philoſophiam cœleſtem Deus populum ſuum Iſraheliticum docuit; nam cùm eos ex AEgypto eduxiſſet, multisque ac magnis cumulaſſet beneficijs, ne ſuccedentibus rebus proſperis deinceps inſoleſcerent, ſuisque viribus confiſi obliuiſcerentur Dei, magnis afflictionibus ſæpè eos probauit, vt inopia aquarum in ſolitudine, ſerpentum morſu, vicinorum hoſtiũ perſecutione, repentina internecione, vt hac rerum aduerſarum ſecundarumque viciſſitudine reipſa cognoſcerent omne bonum ſibi contingere diuinitus, atque ita ſua induſtriæ diffiſi ſe humiliarent, & omnem ſpem & fiduciam in Deo defigerent. Hæc enim miſeranda hominis conditio eſt, proſperitate temporali vel ſpiritali plus æquo efferri, nec deprimi vel ſubijci, niſi flagellis à Deo in corpus vel animam immiſſis, quæ crebrò effugere potuiſſet, ſi prius ſe humiliaſſet, & imbecillitatem ſuam agnouiſſet. Quod confeſſus eſt Moyſes cùm ad populum Iſraheliticum ita loqueretur:

Deut. 8. *Poſtquam afflixit ac probauit te Dominus, ad extremum miſertus eſt tui.* Dic, ô Propheta ſancte, cur Deus tãta varietate vſus eſt, vt nunc afflĩgeret populum, nunc liberaret ab afflictione? Sed mox reſpondet, ſub-

subijciens: *Ne diceres in corde tuo. Fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt: sed recorderis Domini Dei tui, quòd ipse vires tibi præbuerit, vt impleret pactum suum, super quo iurauit Patribus tuis.*

Testis eiusdem rei optimus est B. Augustinus, qui per mutationes quas Deus faciebat in eius anima, egregiè diffidentiam sui didicit, dum in hunc modum secum loquitur: *Fortissimè magnipotens Deus, Credebam me fore aliquid, cùm nihil essem. Cogitabam me esse prudentem, & deceptus sum, dixi quòd dives essem, & nullius egerem, & nesciebam, quoniam pauper eram, cæcus, nudus, miser & miserabilis. Sed nunc video, quoniam si quid boni est, parui, vel magni, donum tuum est, & nostrum non nisi malum est, & nisi tu custodieris ciuitatem, in vanum laborant qui custodiunt eam.* Sed dic mihi glorioſe Augustine, vnde hauseris doctrinam, quæ ad tantam submissionem diffidentiamque tui te prouocaret? Respondet ibidem, *Credebam me sufficere per me, nec percipiebam, quoniam tu regebas me, donec aliquantulum te elongasti à me, & cecidi statim in me, & vidi, & cognoui, quoniam tu regebas me, & quòd cecidi, fuit ex me, & quòd surrexi, fuit ex te.* Atque hæc est experientia,

Aug. in soliloq c. 15.

qua serui Dei, iuuante diuina gratia, in notitiam suę imbecillitatis deueniunt, & suæ industriæ diffidunt. Quanquam negandum non est Deum quibusdam etiam sine dicta experientia communicare perfectam notitiam sui, sed in iis inopiam experientiæ, gratiæ suæ abundantia compensat, quod priuilegium paucorum est.

CAPVT XIII.

De tertio medio, quo diffidentia sui paranda est, nempe si à Deo eam cum perseuerantia petamus.

SIcut supra monuimus ad comparandas cæteras virtutes & Dei dona, non negligēda esse media, licet in his fidendum non sit, sed tantùm in Deo, sic ad obtinēdam sui diffidentiam non negligenda sunt iam dicta media, ac imprimis oratio, qua auxilium diuinum implorādum est, vt perfectionem huius virtutis imprimis assequamur, hoc est, vt penitus nobis diffidamus, & spes nostras in Deum proijciamus. Diffidentia enim hæc est præcipuus actus eius virtutis, nempe humilitatis, quæ in lege Euangelica facilè obtinet principatum, & si quæ alia, hæc maxi-

mè

mè vires naturales hominis excedit, & ideo speciali auxilio Dei ad eam consequendam indigemus. Ita præclarè docet Ioannes Gerson *Hæc*, inquiens, *humilitas est, qua homo diffidit sibi, & neminiſe anteponit, quæ cùm ſit maxima, videtur parua, quia hominem paruum reddit in ſua exiſtimatione, cùm ſit ſapientiſſima, videtur inſipiens; facit enim vt homo agnoſcat ſuam ignorantiam. Quòd ſi quis cogitet, ſe poſſe ſuo ſtudio & induſtria conſequi hanc virtutem, procul dubiò errat, & admodum in tali opinione ſuperbit. ſolus enim Deus eſt, qui per gratiam ſuam eam in animā infundere debet, & in ea conſeruare. Hoc ſcire, & confiteri eſt magnum donum Dei, & ipſius humilitatis principium* Hæc Gerson.

Poſtulemus igitur à Deo in omnibus precibus hanc virtutem, non ceſſemus clamare ad miſericordiæ diuinæ portas, donec theſaurum hunc impetremus, nec omittamus nos cum gemitu commẽdare beatiſſimæ Virgini Mariæ, Angelis, aliisque ſanctis, vt eam nobis exorent. Neque enim fallere poteſt Verbum Dei, dicens: *Petite & accipietis, quærite, & inuenietis, pulſate & aperietur vobis.* Petamus hoc donum non languidè & negligenter, ſed cum magno deſiderio, non ſecus quàm qui hauſtum *Matth. 7.*

ſtum aquæ petunt in ardentiſſima ſiti & qui medicinam in grauiſſima ægritudine. Sic enim fiet, vt in corde noſtro reſponſum de cœlo audire mereamur quod olim datum eſt Danieli per angelum: *Ex die primo, quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum, vt te affligeres in conſpectu Dei tui, exaudita ſunt verba tua.* Dan. 10.

Vt verò hæc oratio ſit efficacior, adiungamus illi aliqua opera miſericordiæ vel corporalis, vel ſpiritalis: his enim promiſſum eſt lumen illud, quo homo cognoſcens ſeipſum, ſibi diffidat, iuxta illud Iſaiæ. *Cùm effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies.* Adiungamus quoque aliqua ieiunia, & alias caſtigationes carnis, quæ, vt alibi dicemus, plurimum iuuant orationem. Quanquam & ad hoc donum obtinendum, ſeruire nobis queant conſiderationes omnes, quæ mentem attollunt ad fiduciam omnem in Deo collocandam: cuiuſmodi eſt conſideratio diuinæ bonitatis, caritatis, & miſericordiæ infinitæ, quam declarauit ſemper erga mortales, quantumuis grauiſſimos peccatores, qui ſyncerè ad eum confugêre, & vitam correxêre.

De-

Deinde consideratio innumerabilium, immensorumque beneficiorum, quæ nullo nostro interueniente merito, liberalissima manu in nos profudit, ac speciatim incarnationis, passionis, & mortis filij Dei, tum diuinorum sacramentorum, sanctarum inspirationum, perpetuæque curæ de nostra salute, qua continenter nos inuitat ad suam gratiam & amorem, & neminem non specialibus quotidie beneficijs afficit.

Omnes hæ considerationes, quæ iuuant hominem ad fiduciam collocãdam in Deo, iuuant quoque ad diffidentiam sui: quemadmodum enim verum est, quòd supra diximus, hominem quo plus diffidit sibi, hoc plus confidere in Deo; sic verum est, eundem, quo plus confidit in Deo, hoc plus diffidere sibi. Nam dum perpendit maiestatem, bonitatem & potẽtiam Dei infinitam, tam magnum & promptum eiusdem in omnibus, quæ desiderare potest, subsidium, voluntatem quoque, qua quouis vitæ nostræ momento necessaria omnia auxilia suppeditat, vicissim totum se in manus eius diuinas regẽdum & gubernandum tradit, vt sic maiori fauore & beneuolentia se dignum reddat, cùm verò ad sui considerationem

oculos reflectit, mox agnoscit suam v
litatem, imbecillitatem, & suum nihi
Sicut enim exigua candela ardens i
meridie exposita soli, nullã lucem v
splendorem reddere videtur; sic hom
collatus soli, nullus sibi, quoad omne
facultates naturales, videtur, & ide
facilè se despicit, & sibi diffidit, dicen
Psalm. 38. cum Dauide: *Ecce mensurabiles posuisti dies meos, & substantia mea tanquam nihilum ante te.*

CAPVT XIV.

Quanti faciendum sit hoc donum, ac proinde, quàm studiosè à Deo postulandum.

VT dictum donum per media iã nominata maiori animi promptitudine à Deo impetremus, eoque orationes nostras efficacius referamus, conuenit ad extremum diligenter expendere cœlestes opes in eo reconditas: si enim virtutem diffidentiæ consecuti fuerimus, humilitatem quoque consequamur necesse est, è qua tanquam fonte diffidentia manat. De
Leo Serm. 7. de Epiphan. qua S. Leo Papa ita scribit: *Tota dilectissimi Christiani sapientiæ disciplina, non in abundantia verbi, non in astutia disputandi, neque*

neque in appetitu laudis & gloriæ, sed in vera & voluntaria humilitate consistit, quam Dominus IESVS ab vtero matris vsque ad supplicium crucis pro omni fortitudine & elegit, & docuit. Hac virtute antidotum quoddam cœleste ad sanandas omnes plagas comparamus, deinde admirabilem quandam pacem, tranquillitatem, & robur ad tolerandos omnes huius vitæ casus assequimur. Nam, vt postea dicemus, nulla re alia in hoc sæculo perturbamur, quàm passionibus iræ, superbiæ, concupiscentiæ, alijsque similibus in imo corde æstuantibus: ab his autem vindicat nos vna hæc humilitas, vt docuit B. Dorotheus his verbis. *Ab omni fateor nos passione eripi per humilitatem, & ab omni tentatione protegi animam. Nam vero humili, quicquid aduersi contigerit, illicò in se totus contrahitur, illicò iudicat se dignum ea aduersitate & ærumna, nec sustinet quenquam accusare, non sustinet in alium causam huiusmodi inferre, at sine perturbatione sine molestia, cum omni tranquillitate se habet.* *Doroth. serm. 2.*

Huius virtutis beneficio possidemus thesaurum omnium virtutum: nam vti caritas omnium virtutum regina est, sic humilitas earundem mater: & ideò etsi verum sit, nos, cùm perfectè

fectè vel vnam virtutem possidemus possidere virtutes omnes, tamen congruentius id dicitur de humilitate: per hanc enim omnes reliquarum virtutum difficultates tolluntur, & est quasi breuis, suauis, & secura ratio & via, qua ad omnes virtutes perueniatur. Etenim, si quis per infirmitatem corporis non valeat ieiunare, non diu orare, nisi asperioribus pœnis carnem affligere, non per inopiam non potest operibus misericordiæ vacare, aut ob ignorantiam alios docere, vel solari, humilitate tamē potest omnium illorum exercitiorum spiritalium defectum compensare. Itaque idem sanctus sic de ea scribit.

Dorot. ibid. *Maxima est humilitas, per quam Sanctorum quiuis incessit, & cum labore viæ longitudinem abscidit. Potest enim sola humilitas nos introducere, vt aiebat Ioannes Abbas.*

Quare si vires nobis desint, ad tolerandos cum sanctis magnos corporis labores, saltem conemur nos toto corde humiliare: nec dubito, nos tantam gloriam in cœlo promerituros, quantam cōsecuti sunt multi, qui in magnis laboribus hanc vitam traduxerunt; id enim idem quoque Dorotheus asseuerat. Magnus thesaurus est omnium virtutum possessio, sed multo maior, quòd per

per humilitatem fit, secura possessio. Hæc enim est velut castrum quoddam munitissimum, in quo reconditur virtutum thesaurus, ne ab hostibus diripiatur: & murus inexpugnabilis, quo omnes aduersariorum ictus repelluntur. *Qui virtutes sine humilitate congregat,* auctore B. Gregorio, *similis est ei, qui manibus puluerem in ventum portat*, à quo statim dissipantur. In lege veteri Deus mandauit, vt quando domus noua ædificaretur, construeretur murus tecti per circuitum, ne quis facilè è tecto rueret. In ædificio virtutum, vt ait idē Dorotheus, tectum est charitas, quæ est perfectio & consummatio omnium virtutum, murus verò, quo à lapsu prohibentur, qui sunt in tecto charitatis, est humilitas. *Greg. hom. in Euang.* *Doroth. doct. 1.*

O glorioſa diffidētia, ſancta, germana humilitatis filia, quæ tecum & cum illa omnium virtutum poſſeſſionem adijſti, eaſdemque intra cordis noſtri domicilium conſeruas, & cuſtodis, ac proinde in hac vita ſecuros nos de ſalute reddis; quam fructuosè pius & Chriſtianus homo omni ſtudio & opera contendit, vt tua familiaritate fruatur, quam vtiliter ſine intermiſſione miſericordiæ diuinæ portas in oratio-

nibus

nibus suis pulsat, vt te consequatur, di-
Psal. 131. cens cum Dauide. *Si dedero somnum o-culis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, & tabernaculum Deo Iacob!* Locus autem Domini vbi est, nisi in corde humili? Ita enim Dominus ipse
Isa. 66. per Prophetam. *Super quem*, inquit, *requiescet spiritus meus, nisi super humilem, & contritum spiritu, & trementem sermones meos.*

CAPVT XV.

Quibus signis homo humilis, & sibi diffidens cognoscatur.

QVoniam in schola virtutis tam necessaria est diffidentia sui, vt hactenus declaratum est, magni quoque facienda sunt omnia, quæ iuuare possunt, tum ad illam melius intelligendam, tum etiam ad exercendam; & ideò declarabimus, quibus indicijs & signis anima verè humilis, sibique diffidens, soloque diuino nixa auxilio dignosci possit. Primum est, si in omnibus, quæ agere vel loqui instituit, prius se Deo commendet, & mente in cœlum erecta, singulare & copiosum auxiliū ab eo postulet: cùm enim

explo-

explo atum habet imbecillitatem suam, & experientia didicerit procliuem esse in rebus etiam leuibus lapsum, si nostræ industriæ fidamus, soloque auxilio sufficienti, quod Deus nemini negat, contenti simus, facilè videt, nisi ad fontem misericordiæ recurratur, nihil vel parum boni se effecturum. Talium autem preces Deum exaudire testatur Psalmista his verbis: *Desiderium pauperũ exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum audiuit auris tua.* Pauperes enim vocat, qui memores suæ infirmitatis sibi diffidunt. *Psalm. 9.*

Palladius Cappadociæ Episcopus refert sanctum Pambonem Abbatem diuina prudentia, sapientiaq; præditum, quoties ab eo consilium, vel respõsum de quæstione aliqua postularetur, nunquam ilicò respõdisse, sed spacium petiuisse, prius rem commendandi Deo, ac tum demum responsum dedisse, qua pia consuetudine effecit, vt iam vicinus morti confessus sit, se nunquam verbum vllum protulisse, cuius pœnituisset; & tamen tanta submissione animi præditus erat, vt consuêrit dicere, se nondum vitę verè religiosæ initium feciſſe. Contra accidit ei, qui nimium suis viribus præfidens negligit in *Pall. in hist. Lausiaca.*

actio-

actionibus suis diuinum inuocare præsidium. Vnde fit, vt crebrius hallucinetur, sicut contigit Iosue. Nam cum Gabaonitarum legati ad eum veniissent & insigni fraude confinxissent se è longinquis regionibus profectos, eique ro argumento esse saccorum calceamentorumque vetustatem, panum, quos recentes accepissent, duritiem, Iosue cum suis nimium suæ prudentiæ confisus pacis fœdera interposito iureiurando cum ijs iniit. Cuius erroris diuina scriptura causam illã commemorat, quòd in precibus os vel consilium Domini explorare neglexissent.

Ios. 9.

Quare in omnibus actionibus nostris mente in Deum sublata semper supplices ad Deum prius confugiamus, & versum illum, quem Ecclesia initio singularum horarum vsurpat, familiarem habeamus. *Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina*, quo, teste Cassiano, olim etiam Eremitæ initio cuiusque operis vtebantur. Quòd si vero vel illo, vel alio simili vtamur, conuenit, vt simul adiungamus breuem aliquam precatiunculam ad sacratissimam Virginem, velut aduocatum nostram ad obtinendam gratiam efficacem, idque his vel alijs verbis.

Psal. 67.
Cass l. 10. col. c. 10.

bis. Ora pro nobis sancta Dei genitrix, & impetra gratiam, vt hoc opus ad Dei gloriam benè faciamus, & benè faciendo digni efficiamur promissionibus Christi filij tui. Amen.

Alterum signum hominis verè humilis, sibique diffidentis est, si omnia pericula occasionesque peccandi fugiat, quoad licet, si onera & officia magna, in quibus facilis est lapsus, declinet, nec admittat, nisi charitas vel obedientia compellat, si detractorum colloquia horreat, si cum sola muliere agere reformidet: probè enim nouit sibi ne ad vnam quidem tentationem, quātumuis leuem, expugnandam sat esse virium, Deumq; efficacem suum concursum subtrahere illis, qui temerè se in pericula ingerunt, magna verò liberalitate gratiam suam effundere in humiles, qui suæ imbecillitatis conscij sunt. In historijs Fratrum Minorum D. Francisci narratur, quendam purissimæ vitæ fratrem, nomine Rutgerum, diligentissimum oculorum suorum custodem fuisse, sic vt nunquam in fœminas, etiā cognatas, quas alloqui necesse habebat, eos coniecerit. Vnde Pater spiritualis, qui perspectam eius cōscientiam habebat, cum aliquando per-

Part. 2. li. 4. cap. 52.

cun-

cunctatus est, quid causæ esset, cur cum tanto puritatis dono, præditus esset, tamen vultum auerteret à conspectu mulierum honestarum? Et respondit homo sanctus, & à Deo illustratus. Patet quãdo homo facit, quòd in se est, & occasiones peccandi fugit, tum vicissim Deus facit, quod in se est, & hominem tuetur, ac custodit: at quando homo se temerè conijcit in discrimẽ, tum etiam iustè à Deo deseritur; ac ita fit, vt facilè ob naturæ corruptionem in peccatum aliquod graue dilabatur, sicut multis etiam sanctitate clarissimis accidit. Vno tantũ exemplo ero contentus, quod est apud Simonem Metaphrasten de Iacobo Eremita, non solùm vitæ sanctitate conspicuo apud fideles ac infideles, è quibus multos perduxit ad veram fidem, sed etiam maximis miraculis claro, qui totos quadraginta annos in solitudine solis herbis & radicibus vitam tolerârat, & nocturnis diurnisque horis continenter precibus vacârat. Huic insidias struens Sathan fœminam locupletum parentum filiam ingressus est, per eam nomen sancti Iacobi prodit, parentes eam ad tugurium eius diu quæsitum adducunt, exponunt filiæ miseriam, vt

L. Surius in Ianuar.

quæ

quæ iam à viginti diebus nihil cibi potusúe deguſtaſſet, & proprijs manibus carnes ſuas diſcerperet. Orat pro illa ſanctus, dæmon abſcedit. Parentes veriti, ne breui reuerteretur, obſecrāt ſanctum, vt biduo ſaltem eam ſecum retineat. Ille ob ſanctitatem vitę ſuperioris & miracula nimium ſibi præfidēs, conſentit. At Deus videns eum ſuæ imbecillitatis immemorem, priſtinum ſuũ auxilium ei ſubtraxit, permiſitq; eum labi non ſolum in ſacrilegam fornicationem, ſed etiam homicidium, nam poſt lapſum reformidans, ne puella ſcelus aliquãdo patefaceret, eam è medio ſuſtulit. Quo caſu commemorato, Metaphraſtes ſubiungit, huius ruinæ nullam aliam fuiſſe cauſam, quàm occultam Monachi ſuperbiam.

Perpendens verò deinde idem Iacobus, quàm tetro ſcelere ſe inquinaſſet, in tantam deſperationem animi venit, vt cogitaret deſerta vita religioſa redire ad mundum: ſed clementiſsimus Deus memor laborum, quos pro Chriſti nomine tot annis ſuſtinuit, diuinæ lucis radijs eius animum per alium quendam Dei ſeruum ita perſtrinxit, vt ſpe veniæ impetrandæ erectus, ſeſe in peruetuſtum quoddam ſepulchrum ſub-

ſubterraneum integro decennio vſq
ad mortem abdiderit, noctu diuq; cu
aſperrima pœnitentia lapſum ſuu
incredibili dolore animi aſsiduis le
chrymis, & tanta confuſione ſui depl
rans, vt neque oculos in cœlum atto
lere auderet, nec cum vllo mortalium
miſcere ſermonem, plenam, ſcilicet, ſ
diffidentiam tandem aſſecutus.

Quo exemplo diſcimus primò, n
vnquam in præterita caſtitate, vel ſan
ctitate confidamus, etiamſi multis an
nis eam coluiſſemus, ac etiam mirac
lis teſtatam feciſſemus. Deinde quam
noxia & pernitioſa ſit ſuperbia, & ni
mia ſui confidentia, vt ob quam Deu
patitur, hominem in tam grauia im
pingere crimina, vt alicubi etiam ob
Greg. l. 26. ſeruauit S. Gregorius. Adhæc ſi fortè
mor. c. 13. lapſi fuerimus ex incuria, non ideò a
nimum deſpondeamus: neque enim
vult Deus mortem peccatoris; ſed pœ
nitentiam agamus; & peccatum confi
teamur, cum propoſito nunquam reci
bendi; ſic enim, Deo propitio, facil
priſtinam gratiam recuperabimus. De
nique ſigillatim hinc docemur, vt inc
tio ſemel in cultu veræ pietatis facto
omni ſtudio pericula occaſionesque la
bendi defugiamus, etiamſi certò con
ſtare

stare, Deum post lapsum spatium pœnitentiæ non id negaturum; atq; eò magis, quo & hoc incertius est: *Qui enim amat periculum*, vt monet Spiritus sanctus, *peribit in illo*. Hoc enim studium & diligentiam postulat à nobis amor & fidelitas quam diuinæ maiestati & bonitati debemus. Eccl. 3.

CAPVT XVI.

De alijs signis, per exempla sanctorum declaratis.

TErtium signum serui Dei suæ industriæ diffidentis est, quando bonum aliquod opus quod ad gloriam Dei maiorem, suamque & proximorum salutem putauit suscipiendum, etiamsi videat vires suas longè esse impares, & media insufficientia, auxilij diuini affuturi spe erectus fortiter prosequitur. Ratio est, quia si fiduciam collocet in Deo, iam felicem inchoati operis successum & exitum non metitur ex sua industria, sed Dei omnipotentia, quæ nullis limitibus clauditur, & sæpè etiam per imbecilla instrumenta admirabilia efficere solet: Cuius rei multa luculenta exstant exempla in literis diuinis. Filij Israhel pu-

gnaturi contra Philistæos, tantùm rant numero sexcenti, (cæteri en fuga dilapsi erant:) ijque inermes, n lo gladio vel hasta, excepto vno Sau eiusque filio Ionatha, muniti. Philis verò tanto numero confluxerant, scriptura dicat; triginta ijs curru fuisse millia, reliquum autem vul innumerabile instar arenæ maris. tamē solus Ionathas cum puero arm gero audet tantum adoriri exercitu solo auxilio diuino fretus; nam in verba armigerum allocutus est: *Nu Domino difficile saluare, vel in multis, vel paucis.* Nec defuit tantæ fiduciæ De tantum enim terrorem & conturbat nem immisit hostium castris, vt Ion tha inchoante pugnam, eamque m prosequente reliquo populo Israhe tico, ingens strages facta sit Philistæ rum, ac post cædem & fugam spo ampla relata.

1. Reg. 13. & 14.

Surius in Ianuar.

Gaufridus Abbas refert de S. Pet Tarātasia, eum non semel ad maiore gloriam Dei, magna quædam & ard aggressum, eoque exitu feliciore, q magis in Deo fidebat. In Episcopa quodam multos abusus, & depraua simos mores deprehenderat: hos corrigeret, rem difficilimam tentau

repugnantibus licet quamplurimis, nempe maximos quosque viros loco & dignitate mouit, & alios eorum vice substituit, idque, vt addit auctor, sola fiducia in Deum coniecta, quem per orationes implorabat, fretus. Hic ergo est fructus eorum, qui diffidentes viribus humanis spes omnes in diuino defigunt auxilio. Cõtrarius verò eorum, qui nimium confidunt in sua potentia, & viribus, vt licet multos magnosque labores ad rem aliquam consequẽdam impendant, nihil tamen tandem obtineant.

Palladius commemorat de sancto Abbate Moyse, eum, cùm esset viribus corporis valentissimus, animo verò flagitiosissimus, toto corde ad Christum conuersum esse, ac principio quidem grauissimis tentationibus, speciatim sordidarum & impurarum cogitationum obnoxium fuisse: Ad quas expugnãdas exemplo sanctorum Patrum variis vtebatur mediis; totum enim sexennium maximam noctis partem in somnis in orando consumebat, manib. laborabat, modica panis parte victitabat, aquam ad seniorũ monachorum cellas deportabat, aliasque pœnitẽtias & mortificationes duras subibat: *Pallad. in hist. Laus.*

& tamen victoriam contra dictas te-
tationes obtinere non poterat, imò
illis penè in desperationem aliquand
impulsus est, vt de monastico propos
deserendo cogitaret. In hac ærum
existentem inuisit fortè sanctus Abb
Isidorus, & ex parte Dei illi dixit. A
hac hora in nomine Iesu Christi fini
erit tentationum tuarum. Et ita euen
nullis enim amplius tentationibus fu
agitatus. Subiunxit deinde sanctus, q
Deus illi non concessisset citius victo
riam, nimirum, vt ne laberetur ipse
præsumptionem, qua existimasset
exercitijs suis spiritalibus tentation
illas, & non auxilio Dei depulisse. In
que Deus tamdiu prorogauit certam
illud, vt Moyses consequeretur donu
diffidentiæ sui, considerando se tot la
boribus non obtinuisse victoriam
quam alij minimis sæpè impetrassent
Quocirca sanctus quidam homo in Or
dine Minorum aliquando dixit, Opti
mum remedium in omnibus tentatio
nibus est humilitas, quia facit homi
nem diffidere sibi, & confidere in solo
Deo. Deinde saluberrima scientia ch
propriæ miseriæ agnitio; dum enim
homo eam considerat, illicò cogitat de
quærendo subsidio, & si quærat in Deo,

In hist. Min. p. 3. l. 5. c. 47. & 48.

inuenit, & vbi inuenerit, magna mox fiducia in Deum fertur, ac demũ euanescente inordinato amore creaturarum, totus amore in creatorem exardescit.

Quartum signum animæ sibi diffidentis est, si sancto quodam & casto in Deum amore vestita sit, cuius beneficio vehementer reformidet eum etiam in minimo offendere. etsi enim expenso diuino fauore & beneuolentia ad omne bonum prompta in magnam spem & fiduciam erigatur, summamque capiat consolationem; tamen ex altera parte considerata sua imbecillitate, & procliuitate ad malum, quàm multi etiam se meliores ceciderint, quamque tantò fauore indigna sit, non parum extimescit lapsum, ac inter spem metumque hærens adimplet, quod dicit ad fideles S Paulus, *cum timore & tremore salutem vestram operamini*. quasi diceret. Præstate opera bona, quibus salutem æternam promereamini, non præsumendo de vestris viribus, sed intimo quodam timore vestræ fragilitatis, qui exterius verbis & factis demonstretur. Ac, vt declarat Apostolus; timorem hunc sanctum oriri debere ex cognitione sui, hoc est, quòd nihil boni in nobis sit, quod facere possimus, adiungit, *Phil. 2.*

Deum esse, qui operatur in nobis, velle & p
ficere pro bona voluntate.

Qui pretiosum aliquem liquorem
vase vitreo, cuius fragilitatem no
deportat per loca petrosa, vel magn
ventis exposita, cautè admodum fi
pedum vestigia, ne incuria aliqua
trum frangatur: sic fideles, qui pr
nôrunt, quàm pretiosum & nobile
gratiæ thesaurum gestent in vasis fr
2. Cor. 4. libus, vt loquitur Apostolus, anim
suæ, magno cum timore vias huius
tæ perdifficiles perambulant, omnib
que præsidijs bonorum operum, sac
mentorum, orationum ad conseru
dam hanc gratiam se communiunt
quanquam timeant, longè tamen
curiores sunt ijs, qui expertes timo
viuunt, imò si quæ in hac vita secur
est, illa hi soli fruuntur. Vnde sapien
Bern. serm. dixit S. Bernardus, *In veritate didici*
54. in Can. *æque efficax esse ad gratiam promerend*
retinendam, recuperandam, quàm si o
tempore coram Deo inueniaris non alium
Prouer. 28. *sapere, sed timere. Beatus ho-*
mo, qui semper est
pauidus.

C

CAPVT XVII.

Quatenus homo diffidens sibi, omnibusque creaturis posßit fiduciam collocare in operibus bonis, & interceßione sanctorum.

Diuinæ scripturæ sententiæ, & dogmata, quia ab eodem auctore infallibilis veritatis, nimirū Deo, sunt profectę, si rectè intelligātur, magnam habēt inter se consensionem. Pari ratione habet & doctrina hactenus à nobis ex scripturis tradita; etiamsi quædam sententiæ in speciem illi repugnare videātur, vti videbimus. Sancti Patres nunc docent omnem fiduciam à nobis collocandam in Deo, nūc aiunt in sola eius misericordia, & clementia fidendum, & diffidendum nobis, viribusque nostris, & omnibus rebus creatis Sic tradit sacra scriptura, sic canit Ecclesia alloquens Deum in quadam oratione. *Familiam tuam, quæsumus Domine, continua pietate custodi, vt quæ in sola spe gratiæ cœlestis innititur, tua semper protectione muniatur.* Et in alia oratione. *Adesto, Domine, supplicationibus nostris, vt qui nostræ iustitiæ fiduciam non habemus, eius qui tibi placuit precibus adiuuemur.* Deinde cum dicit scri- Dom. 5 post Epiph.

Oseæ 13. Psal. 145. Isaiæ 30. Hier. 17. 1. Tim. 26.

ptura, *in me tantùm auxilium tuum*, cùm monet Psalmista, *ne confidamus in filiis hominum*: cùm Isaias & Ieremias Prophetæ sancti loquuntur de pœnis, quibus affligit Deus confidentes in semetipsis: cùm sanctus Paulus hortatur, vt spem collocemus omnem in Deo viuo, quid aliud volunt, quàm omnem fiduciam in solo Deo defigendam?

Cæterùm alibi eadem diuina Scriptura docet opera bona iustorum esse digna vita æterna, & per illa sperandam esse beatitudinem nostram, sic prorsus vt spes nostra inanis sit futura, si secùs quàm per talia media illam speremus. Ecclesia quoque à Spiritu sancto docta hortatur nos, vt commendemus nos orationibus sanctorum, tam in cœlo, quàm in terra degentium. Quæ certè fieri nequeunt nisi aliquo modo confidamus & in bonis operibus, & Sanctorum meritis. Respondeo, opera bona duobus modis considerari posse: semel, vt sunt propria hominis, & à libera eius voluntate profecta, quo sensu nequaquā fas est nobis in illis fidere: & eodem sensu arguit S. Paulus eos qui in suis operibus confidunt & de ijsdem gloriantur. Et Christus inutiles appellat seruos etiamsi fecerint omnia quæ

Ro 9. & 11. Luc. 17.

illis sunt præcepta. Iterum possunt considerari opera bona, quatenus à diuina gratia sunt profecta, per quam Spiritus sanctus habitare dicitur in iustorum cordibus; & quatenus communionem habent cum meritis Christi. Iusti enim qui opera illa faciunt sunt viua Christi membra. Denique quatenus sunt dona Dei, & sine diuino eius auxilio non fiunt. Et hoc sensu dicimus nos debere primò & principaliter cõfidere in Deo. secundario autem in nostris bonis operibus, sicut fecit S. Paulus dicens: *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex.* Et alibi: *Qui reddit vnicuique secundùm opera eius.* Eodem modo possumus iustos duobus modis considerare. Primò, vt sunt homines, & secundùm facultates eorum naturales, & hoc modo non confidimus in illis, imò maledictus dicitur apud Prophetam, qui hoc sensu in homine confidit. Secundò, quatenus sunt amici Dei, & gratiæ gloriæque diuinæ participes; & hoc modo principaliter quidem in Dei misericordia, secundariò verò confidere possumus in sanctis iam in cœlo regnã-

S. Th. 2. 2. q. 25. a. 1. ad. 3. Vega in C. Trid. l. 15 c. 18. & de Iustif. q. 4.

2. Tim. 4.

Rom. 2. Psalm. 1

Ierem. 17.

tibus, & in iustis adhuc in terra degentibus.

Veg. in Con. Trid. c. 18.

Quanquam & hoc diligenter notandum est, confidere in bonis operibus quatenus à gratia Dei manant, & dona Dei sunt, atq; item confidere in sanctis vt sunt amici Dei, vel quia Deus illis tanquam instrumentis vtitur in nobis iuuandis, est confidere in ipso Deo, eiusque subsidijs, quare & salua ac illibata manent dicta diuinæ scripturæ antè allata, quibus asserebatur, in solo Deo fiduciam collocandam, non in rebus creatis. Sicut enim, qui homines amant purè propter Deum, & in creaturis lætantur propter Deum, dicuntur verè amare solum Deum; sic dum confidimus in re creata, quatenus ea à DEO mota, vel instrumentum Dei, verè dicimur in solo DEO confidere.

Veg. in Con. Trid. l. 15. cap. 18.

Adhæc sapientes viri, & Spiritu Dei afflati monent: quamuis modo iam dicto licitum sit fiduciam ponere in operibus bonis, quæ in gratia Dei facta esse probabili coniectura arbitramur, securius tamen esse ad effugiendam omnem superbiæ speciem, & ad promerendam vberiorem Dei misericordiam, omnium obliuisci meritorum,

atque

atque integrè omnem fiduciam collocare in mera Dei pietate, & clementia, ac Christi Domini nostri meritis. Sic enim & Ecclesia facit in quibusdam orationibus. Nam in Canone Missæ his vtitur verbis : *Intra quorum sanctorum consortium non æstimator meriti, sed veniæ quæsumus largitor admitte* Et in alia oratione. *Placare, quæsumus Domine, humilitatis nostræ precibus, & hostiis: & vbi nulla suppetunt suffragia meritorum, tuis nobis succurre præsidiis.* Quas phrases vsurpat Ecclesia proculdubio, non vt deroget iustorum meritis, quæ docet esse necessaria, & gloria æterna digna, sed vt indicet securius esse sectari humilitatem, & memoria bonorum operum nostrorum sepositа, omnia reuocare ad diuinam pietatem, & misericordiã, à qua profecta sunt omnia nostra bona & merita. Dom. 2. ad. in secreta.

Hãc doctrinam, quam hactenus tradidimus, ad complectendum diffidentiam nostri, tradidit quoq; Concilium Tridentinum; quod, postquam declarauit bona opera iustorũ virtute Christi esse vitæ æternæ meritoria, & iustitiã, quam iustus habet, etiamsi sit iustitia ipsius, verè eius animæ inhærens, non esse ab ipso, sed à DEO per Christi

C. Trid. c. 16. merita, adiungit hæc verba: *Neque verò illud omittendum, quòd licèt bona operibus in ſacris literis tanta tribuantur, abſit tamen vt Chriſtianus homo in ſeipſo vel confidat, vel glorietur, & non in Domino, cuius tanta eſt erga omnes homines bonitas, vt eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona.*

Quod diximus autem de operibus bonis in gratia factis, & de ſanctis, poſſumus dicere de quocunque medio humano, vt diffidamus de ijs quatenus ab induſtria humana ſunt profecta, quatenus verò à Deo tanquam inſtrumenta quædam ſunt aſſumpta aliquo modo in ijs confidamus, quia hæc confidentia reuocatur ad eam quæ in ſolo Deo collocatur. Ratio huius doctrinæ eſt, quod ſpes, quæ vera virtus eſt, niti debeat fundamento ſolido, vt certò ſuum conſequatur effectum, & fiat, quod Apoſtolus dicit, *Spes non confundit*, hoc eſt, non permittit hominem fruſtra aliquid ſperare: at omnia media humana, qua hominis ſunt, nec firma ſunt & ſtabilia, nec certam efficacitatem habent, ſpeciatim in effectis tam ſublimibus, vt in acquiſitione ſolidarum virtutum, earumque incremento. Itaque ſecundùm hanc conſiderationem non poteſt in illis

Rom. 5.

con-

confidere, vti dictum est. Hoc enim, inquit sanctus Augustinus, esset confidere in mendacio & vanitate, & maledictioni Dei se subijcere. *Omnis enim homo*, teste Scriptura, *mendax*. Quatenus verò Deus vtitur medijs humanis tanquam instrumentis ad operandum nostram salutem, magnam soliditatem habent & efficaciam, eosque effectus certò consequuntur, ad quos Deus illa ordinârit, & hac ratione possumus in ijsdem fiduciam collocare.

Aug. in Psal. 36. & ep. 52. Psal. 30. Psal 115. Eccles. 1.

Vnde disertè S. Thomas scribit; non vituperati eos, qui confidunt in hominibus tanquam Dei instrumentis & ministris. Vbi notandum est, non solùm iustos, sed etiam peccatores diuina gratia destitutos posse eiusmodi fiduciam vsurpare, hoc est, verè confidere, quod beneficio bonorum operum, quæ diuina opitulante gratia fecerunt, liberandi sint à multis malis, & parandi per pœnitentiam ad obtinendam remissionem peccatorum, & gratiam amissam recuperandam. Cuius ratio est, quòd æquè peccatoribus ac iustis, vt promissa, ita etiam parata sint auxilia diuina, si ad Deum conuerti voluerint.

S. Th 2. 2. q. 25. art. 1. Bann. 2. 2. q. 18. a 4.

S. Thom. in 14. dist. 15. q. 1. a. 3. q. 4.

Hæc ergo sit huius tractatus conclusio, vt si veras & solidas virtutes as-

sequi velimus, & in earum studio indies proficere, ac salutem æternam promereri, ex animo nobis ipsis, nostrisque viribus diffidamus, omnemque fiduciam deinceps in omnipotentiam misericordiamque Dei, ac merita Christi Domini nostri conijciamus: quæ nobis nunquam subtrahentur, si diuinum auxilium orationibus, bonorumque operum exercitijs impetremus. Hæc enim est voluntas Dei, sanctificatio nostra. Et hoc est quod vult Deus, omnes saluos fieri, & neminem perire. Hoc auxilium diuinum efficaciam præbere debet omnibus conatibus & operibus nostris, hoc per quoduis medium operante potest salutem nostram, hoc in omnibus precibus & actionibus nostris imploramus, dicentes cum regio Propheta Dauid: *Leuaui oculos meos in montes*, hoc est, in cœlum, *vnde veniet auxilium mihi. Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.*

1. *Thess.* 4.
1. *Tim.* 2.
Psal. 120.

TRA-

TRACTATVS DE MORTIFICATIONE PROPRIAE VOLVNTATIS,

Passionumque animi, & omnium inordinatarum capiditatum carnis.

PROOEMIVM.

QVoniam ad perfectionem vitæ Christianæ consequendam saluberrima, imò necessaria est Mortificationis exercitatio, cõstituti in hoc Tractatu primo exponere, quid sit Mortificatio, quæ eius vtilitates, & quibus de causis studium mortificãdi cuiq; nostrum debeat esse commendatum. Deinde quibus in reb. mortificare nos debeamus, quibusq; medijs, & qua discretione, & moderatione vti Etsi verò materiæ huius magna sit vbertas & prolixitas, more tamen nostro breuissimè ad certa capita eam reuocabimus, eoque ordine & methodo declarabimus, vt quiuis congruenter suo statui, siue secularis sit, siue religiosus, maximum inde fructum colligere possit.

PARS

PARS PRIMA.

IN QVA EXPONITVR FINI quem Mortificationis studiosus propositu habere debet, & rationes ac vtilitates, q quas hoc studium cuique commendatum esse debeat.

CAPVT I.

Quid sit Mortificatio, & quis dicatur homo mortificatus.

MOrtificare rem aliquam, est dimere ei suam vitam: vnde intellexerimus quid in hom ne sit vita, non latebit quid sit mortificatio. Habet homo duplicem vitam. V nam naturalem, quatenus homo est, & animam, quæ est principium vitæ, habet corpori coniunctam: nam vt Aristoteles loquitur, *in viuentibus idem est esse quod viuere*. Alteram verò moralem, quæ consistit in actionibus liberis hominis, siue internis siue externis: quo sensu dicimus, eius, qui ex actione aliqua magnam capit voluptatem, vere causa, ex venatione, vitam esse venari. Sicut ergo tollere homini vitam & esse naturale, est eum occidere, sic tollere ei vitam moralem, easq; actiones, ex quibus

Arist. l. 2. de anima.

S. Tho. 2. 2. q. 17. a. 1. & 2.

bus magnam capit voluptatem, est illũ mortificare ac proinde quando homo sponte sibi hanc voluptatem subtrahit, dicimus eum se mortificare: & similiter cùm abstinet ab actionibus liberis natura & genere vitiosis, legique diuinæ contrarijs, dicitur mortificare hæc vel illa vitia, vel mori vitijs & delictis. Vnde S. Paulus: *Mortificate*, inquit, *membra vestra, quæ sunt super terram*, hoc est, quæ pertinent ad vitam terrenam, *fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam.* Quemadmodum enim omnia membra naturalia animæ coniuncta, faciunt corpus naturale, ita omnia peccata, secundùm Apostolum, faciunt vnum corpus peccati, sic vt quodlibet peccatum sit vnum quasi membrum. Vult ergo vt singula gladio pœnitentiæ abscindamus, donec totum corpus peccati destruatur & moriatur, sicut loquitur ad Romanos. *Hoc scientes*, inquiens, *quia vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltra non seruiamus peccato.* Quorum verborum sensus est: Christum morte sua peccatum occidisse & sustulisse, vt per pœnitentiam eam nobis proficuam & salutarem reddentes ab omni quoque peccato liberemur. Col. 3.

Qua

Qua significatione mortificationis modum fusa & larga si vtamur, cuiq virtuti, qua aliquod vitium depellit attribuere poterimus nomenclatum mortificationis.

Cæterùm sunt aliæ actiones hon nis liberæ inclinationi naturali co sentaneæ. nec tamen vitiosæ, vt com dere, bibere, dormire: dolores, contu ptum, vituperia in rebus, quæ subpra ceptum non cadunt, fugere, recreatu nibus item honestis & moderatis re & commoda quædam ac solatia corp xis, quæ superuacanea verè non sin amplecti: à quibus homo si sponte voluntariè se abstineat, hoc est, si a quid de licito cibo, potu, somno, recre tione, alijsque corporis commodis de trahat, tum propriè secundùm sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum doctr nam se dicitur mortificare. Quomodo se mortificauit B. Apostolus, cùm scri

1. Cor. 9. psit: *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo*, castigabat enim abstinentia à ci bo, & inflictione verberum, alijsque modis. De eadem mortificatione sic

Gal 5. loquitur ad Galatas: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs*, id est, qui sunt membra viua Christi, sese affligunt, multa ci-

cita solatia & commoda carni adimendo, imò eam laboribus & pœnis subigendo, vnde fit vt & vitia omnesque eius cupiditates refrenent. Ad Corinthios quoque, *Semper*, inquit, *mortificationem IESV in corpore nostro circumferimus*, hoc est, ad imitandum Christum semper affligimus corpora nostra ieiunijs, laboribus, & pœnis voluntarijs, sponteque ad illas nos offerimus, *vt & vita Iesu*, inquit Apostolus, *manifestetur in corporibus nostris*. Christus enim, postquam multa passus esset, in corpore glorioso resurrexit, 2. Cor. 4.

Meritò autem mortificationis & mortis moralis nomen obtinuit actio, qua cupiditates carnis refrenamus, & propriam voluntatem alienæ subijcimus; nam sicut homo mortuus non mouetur, nisi motus ab alio: sic seruus Dei mortificatus non sua sed aliena maiorum suorum & Dei voluntate mouetur. Et sicut corpus mortuum, siue contumelijs, siue laudibus afficiatur, nullum indicium doloris vel gaudij præbet: sic homo Dei verè mortificatus, quamuis multis iniurijs & plagis impetatur, summa mansuetudine & patientia omnia tolerat, nō secùs quàm si omni sensu destitutus esset, imò aliquando

do ex illis magnam animo capit volu
ptatem

Hoc Mortificationis sanctæ exercitium, quoniam ad ducendam vitam Christiano homine dignam apprimè erat necessarium, idcircò efficaciter in diuinis litteris nobis, licèt sub diuersis vocabulis, est commendatum. Id enim primò nobis commendat voce Ieiunij. etsi enim ieiunium quandoque vsurpetur pro sola abstinentia à cibis, quæ vna est mortificationis portio, tamen aliàs comprehendit omnem carnis castigationem, quæ fit abstinentia à cibis vel potu, cilicijs, disciplinis, tolerantia æstus & frigoris, duritia lecti, alijsque corporis asperitatibus. Quo sensu in
Ioel. 2. persona Dei Ioel: *Conuertimini*, inquit, *ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu & in planctu.* Nomine enim ieiunij intellexit omnes externas pœnitentias, quas fideles facere solent ad satisfaciendum
1. Esd. c. 8. pro suis peccatis. Et eodem sensu Esdras ait, se prædicatione sua populo persuasisse, vt per ieiunium se affligerent coram Domino, quo tandem è Babylone liberati ad sua redire possent. Quo tempore non solùm inedia, sed etiam cilicijs, humicubatione, sacceo vestitu, & cinerum aspersione se affligebant. Ita ex-

exponit alicubi S.Augustinus, cùm ait: *ieiunio vniuersam corporis castigationem significari, sicut eleemosynis omnis beneuolentia, & beneficentia, & oratione omnes regulæ sancti desiderij insinuantur.* Quam doctrinam secuti Theologi, omnia bona opera ad tria genera, ieiunium, orationem, & eleemosynam, quibus Deo de peccatis satisfaceremus, reuocârunt. *Augst. l. de perf. instit. resp. 17.*

Hoc mortificationis exercitium quod proprium est sanctorum, qui vehementer abhorrent à peccatis, & aliud non laborant, quàm vt diuinæ voluntati in omnibus obsequantur. Vnde S.Gregorius agens de sancto quodam sacerdote, qui ad tuendam castitatem omnibus fœminis etiam pijs & religiosis aditum ad ædes suas negabat; *Habent quippe,* inquit, *sancti viri hoc proprium, vt, quò semper ab illicitis longè sint, à se plerumque etiam licita abscindant.* Declarat idem B.Augustinus egregiè his verbis. *Peccata leuia,* inquiens, *quantò in rebus licitis, & à Deo concessis frequenter hominibus surrepunt, & quãtò magis fortioribus cibis corpus impletur, & carnalibus cor hominis actibus affectibusque implicatur, tantò frequentior culpa in hac mortalitate contrahitur. Propterea humiles serui Christi qui cupiunt Domino suo sine impedimento absque animi noxia cogitatione* ser- *Greg l. 4. dial. c. 11.* *Aug. l. de fide ad Petrum, c. 3 14. 42.*

seruire, coniugia omninò non appetunt, & carnibus & vino abstinent, in quantum corporis valetudo permittit, non quia peccatum est aut coniugem habere, aut vinum carnesque percipere, sed quia mundioris vitæ institutum sectantur, & corpora castigare volunt.

Et quanquam omnium seruorum Dei proprium sit hoc mortificationis genus, quo licita abscinduntur, ne ipsis facilior sit ad illicita, tamen inibi los maximè conuenit qui orationi mentali vacant, & magno studio ad Christianæ perfectionis culmen contendunt, quemadmodum diuinus ille Richardus de S. Victore bene notauit dum ait: *Voluntatem nostram nunquam perfecto desiderio bonorum cœlestium inflammari posse, nec intellectum nostrum rerum diuinarum contemplatione plenè posse illustrari & purgari, nisi diligentes simus in reprimendis commodis & cupiditatibus corporis etiam licitis & necessarijs.*

Rich. in lib. de Contemplat.

Nec latuit hæc virtus sapientissimos quosque gentilium, Socratem, Platonem, aliosque, quos secutus M. Tullius Cicero ita loquitur: *Tota Philosophorum vita, vt ait idem Plato, commentatio mortis est: nam quid aliud agimus, cùm à voluptate, id est, à corpore, cùm à re familiari, quæ est famula & ministra corporis, cùm à Republica,*

Cic. li. 1. Tusc. q.

cùm

cùm à negotio seuocamus animum, quid inquam, tam agimus, nisi animum ad seipsum aduocamus? secum esse cogimus? Secernere autem animum à corpore, nequicquam aliud est, quàm emori discere. Quare hoc commentemur, addit, *mihi crede, disiungamusque nos à corporibus, id est, consuescamus mori. Hoc & dum erimus in terris, erit illi cœlesti vitæ simile. Et cùm illuc ex his vinculis emissi feremur, minus tardabitur cursus animorum.* Hucusque Tullius. Vnde liquet, quàm rationi naturali conforme sit mortificationis exercitium, quantaque sit Euangelicæ veritatis maiestas, cùm maximum, ad quod Philosophi ingenij sagacitate peruenerunt sit instar minimæ vmbræ, si comparetur cum copiosissima luce, qua nos per Christum in hac materia illustrati sumus. Quare & ampliores gratias Deo opt. Max. debemus pro tanto beneficio, quòd mysterium hoc per fidei doctrinam tam perspicuè, tamque infallibili certitudine didicerimus.

CAPVT II.

De nominibus variis, quibus mortificatio in diuinis litteris commendatur.

DIuinæ scripturæ consuetudo est, vnam eandemque rem admodum salutaris sit & necessaria ad salutem, multis variisque nominibus: itaque & mortificationis virtutem, quam constat esse maximam & saluberrimam non vno nomine expressit. Nam vt omittamus ieiunij, de quo iam dictum est, dicat eum primò *Odium suiipsius*, quod Christus nobis commendauit illis verbis: *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Vbi anima Christus vocat partem inferiorem hominis sentientem, ipsamque vitam carnalem, ex vnione animæ cum corpore resultantem. Hanc ergo animam qui odit, non quoad naturam, quæ bona est, sed quoad carnales & vitiosos affectus, eam in vitam æternam custodit. Qui odit aliquem, ei negat bonum quod vellet, & malum confert, quod nollet. Sic, qui odit partem sentientem & carnalem; quæ omnium prauarum cupiditatum seminarium est, negat illi com-

Ioan. 12.

commoda & voluptates carnales, quas inordinatè expetit, subtrahendo cibum, ludos, recreationes, eamque castigat cilicijs, disciplinis, alijsque pœnis, quas naturaliter odit. Et quòniam hac sancta exercitatione homo pœnitentiam agens animam purgat à vitijs, & locupletat virtutibus & vitæ æternæ meritis, non modò quoad partem intelligentem, sed etiam sentientem ipsius corporis, quod resuscitabitur gloriosum, idcircò Dominus dicit, eum, qui in hunc modum odit vitam suam, custodire eam pro vita æterna, hoc est, tanto afficere bono, quo maius in hac vita dari non potest.

Secundò eam appellat *Abnegationem*, vt cùm Christus dixit, *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me* Tunc abnegamus aliquem, cùm ab illo nos separamus, eum nihili facimus, eiusque voluntati parere nolumus Abnegat ergo semetipsum secundùm dictum Christi, qui propriæ voluntati, sua tantùm commoda quærenti, & parti animæ sentienti, quæ tantùm sectatur quæ carni placent, omninò renuntiat, ac ideò nec prosperis rebus carni cedentibus exultat, nec aduersis deijcitur, sed tan- Luc. 9.

tùm laborat, vt diuinæ voluntati
Basil in reg. fus. disp. quæst. sequatur, vt bene declarat beatus B
silius: *Abnegatio sui*, inquiens, aliud
est, quàm præteritæ vitæ obliuio, & prop
rum cupiditatum depulsio. Obliuionem
pellat omnium rerum mundanar
contemptum: ipsa autem cupid
tum propriarum depulsio vel co
pressio non est aliud, quàm ipsa m
ficatio.

Matth. 10. Vocat deinde *Crucem*, secundu
lud dictum Christi: *Qui non accipi
cem suam, & sequitur me, non est me d*
Sed duplex est crux: Vna, quę confi
ex materia mortua ligni, vel me
quę est effigies sanctissimę crucis, fi
deferre & venerari tanquam imag
Christi in ea crucifixi, non est
Christiano admodum difficile, &
nunc de hac cruce sermo non est.
est ergo crux viua, hoc est, quæ in
teriam viuam, nempe carnem & a
mam nostram imprimitur, quæ co
stit in perferendis rebus asperior
ad imitandum Christum saluator
& hæc nomine mortificationis co
netur. Verùm notandum est hanc
cem nonnunquam prorsus esse in
luntariam, & tunc ea homo non
mortificat, sed potius ab alio mor
fic
po
tar
in
li s
ch
bo
se,
tin
ort
ab
tol
fec
lor
mo
dic
affi
des
pot
fac
illi
fec
pto
rur
de
xus
fim
ijci
Chri
acti

ficatur, nec tunc accipit crucem, sed potius fugit. Quando autem voluntaria est, hoc est, quando homo sponte in se suscipit, quæ inclinationi naturali sunt aduersa, vt pœnitentias & opera charitatis, in quibus scit opus esse labore & patientia, tunc verè mortificat se, & crucem amplectitur. Eodem pertinent morbi à causa etiam naturali orti, contumeliæ, iniuriæ, verbera ab inimicis illata, si illa æquo animo tolerentur, tanquam è manu Dei profecta, qui primus est omnium malorum penè auctor. Meritò autem mortificatio nomen crucis sibi vendicat; Quemadmodum enim cruci affixus non potest nec manus, nec pedes mouere; sic qui se mortificat, non potest commouere sensus, aliasque facultates partis sentientis, secundùm illius partis cupiditates, sed tantùm secundùm voluntatem Dei, præceptorumque & consiliorum diuinorum. Atque hoc est quod Paulus ipse de se confitetur, dicens: *Christo confixus sum cruci*, hoc est, ad imitationem & similitudinem Christi. Vnde mox subijcit: *Viuo ego, iam non ego, viuit verò in me Christus*: neque enim in desiderijs & actionibus suis exercendis cupidita- Gal. 2.

tes suas, sed solam Christi voluntat
ducem sequebatur.

Mortificationis quoque neces
tem Christus expressit nomine viole
tiæ, dicens: *Regnum cælorum vim patit*
Matth. 11. *& violenti rapiunt illud.* Violentiam
ferre alicui, est facere contra incli
tionem eius naturalem, vt cùm sax
proijcitur sursum, aut aduerso flum
nauigatur. Natura nostra per peccat
corrupta aspirat ad honores & vo
ptates: si quis ergo eam ad contr
ptum sui, & dura perferenda inflect
vim ei inferre dicitur. Quemadmod
autem causa naturalis, si ab hom
contra inclinationem naturalem m
ueatur, dicitur vim passa: secùs,
Deo. (omnes enim res creatæ pra
inclinationem particularem, ven
cant sibi aliam quandam aptitudine
quam vocant, potentiam obedien
lem, qua sponte parent imperio
creatoris, vti paruit olim mare
brum & Iordanis in transitu filiorum
Israel) sic mortificationis exercitiu
si respiciamus ad inclinationem na
ræ corruptæ hominis, violentum q
dem dici poterit, sed non item, si
voluntatem liberam eiusdem cum v
luntate & consilio diuino se conf
ma

mantem. tunc enim consentit cum inclinatione supernaturali vnctione gratiæ Spiritus sancti animo indita, quæ facit, vt sine difficultate, imò cum gaudio sustineat ea, quæ naturæ erant difficillima. Id significauit Isaias Propheta, cùm vaticinatus de Christo dixit: *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.* Isaiæ 2. Mons hic Christus est, sanctitate, omnique virtute ornatissimus supra omnes Sanctos, ad quem conuertendæ erant omnes gentes, sicut reuera conuersæ sunt omnes præcipuæ nationes mundi hactenus cognitæ, & porrò conuertentur, quæ recenter innotuerunt. Dum ait, montem eminere in vertice montium, indicat non sine violentia & labore patêre aditum ad superandum eius culmen; fidemque Christianam coli & mandata diuina perfectè custodiri non posse, nisi vim naturali inclinationi inferamus. Dum autem addit, omnes gentes instar fluminum fluxuras ad eum, significat, qua facilitate & suauitate, nempè à diuina gratia impulsæ, sint montem conscensuræ.

Præter hæc nomina diuina Scriptu-

ra tribuit mortificationi etiam app
lationem ſpiritualis circumciſionis
apud Ieremiam, dum ait: *Hæc dicit Do*
Ierem. 4. *nus viro Iuda, & Hieruſalem: Circumcid*
ni Domino, & auferte præputia cordium
ſtrorum viri Iuda, & habitatores Hieru
lem. In circumciſione abſcindeba
particula carnis penè ſuperflua, &
vitam humanam parùm neceſſaria,
que fiebat tantùm in lege veteri
mandato Dei. At in mortificatio
non ſolùm à corde humano reſe
ditur, quod eſt ſuperfluum, ſed etia
quod eſt quodammodo neceſſariu
nec enim tantùm homo per ta
priuat ſe illicitis, ſed etiam lic
tis, & quaſi neceſſarijs, ad id diuina v
luntate & conſilio permotus. Hæc enim
circumciſio eſt cordis & ſpiritus, cuius
Rom. 2. vt loquitur Apoſtolus, *Laus non ex ho*
minibus, ſed ex Deo eſt. Hæc de nomin
bus Mortificationis ſufficiant: reſtat
vt afferamus rationes quibus efficac
ter hoc exercitium nobis perſuade
queat.

CAPVT III.

Quàm gratum ſit Deo exercitium mor-
tificationis.

MV

MVltæ, eæque grauissimæ rationes sunt, quæ hominem commouere possunt ad cupidè amplectendum Mortificationis propriè dictæ exercitium. Prima & principalis est, quòd Deo sit multò gratissimum. Etsi enim Deus non amet pœnas nostras, qua pœnæ sunt; amat tamen, qua nobis sunt salutares, & ad gloriam diuinæ maiestatis promouendam conducunt. Et quamuis mortificatio sit afflictio sponte ab homine susceptа, tamen hoc Deo amplius placet, quo certius nouit fructus eius ineffabiles esse sapientissimo diuinæ iustitiæ suæ, misericordiæque ordini conformiores. Erat filius Dei ab omni æternitate in sinu Patris, & æterna sapientia existens probè nôrat, quæ opera Deo essent gratissima. Quia ergò secundùm diuinitatis suæ maiestatem, qua æqualis erat cœlesti suo patri, non poterat alicui afflictioni obnoxius esse; è regali solio in hunc mundum descendit, & naturam humanam, vt hoc exemplo gratissimam rem faceret æterno Patri, assumpsit, eamque & ab omnibus voluptatibus, ad quas natura alioquin propendebat, & à gloria, quæ corpori debebatur, continere

S. Tho. p. 3. q. 45. a. 2. Caiet. ibid.

se voluit, imò omni afflictionum
cruciatuum incomparabilium gen
subijcere.

In hunc modum mortificauit se
lius Dei, eiusque mortificatio fuit,
2. Cor. 4. eam appellat sanctus Paulus, quòd v
luntariè pro nobis sit passus. Q
mortificatione, nullum vnquam op
Deo gratius, aut factum est, aut fieri p
tuit. Et quanquam quouis opere v
etiam verbo infinitè gratus Deo fuer
tamen non satis habuit eas actio
exercere, quæ ratione personæ eum
finitè gratum facerent, sed etiam q
genere suo & natura omnibus numer
S. Ths. 3 p. q. 40. a 3 & 6. & q. 48. a. 1. essent absolutissimæ: Et rursum, l
omnibus actionibus suis iram di
nam placarit, nosque Deo reconcili
rit, tamen ἀντονομασικῶς totum hunc
effectum adscribimus ei actioni, qu
sacratissimæ naturæ suæ inclinationem
naturalem maximè mortificauit, nem
pè passioni contumeliosissimæ cru
cis. Quamuis enim cæterorum homi
num more nullas inordinatas & à ra
tione discrepantes inclinationes mor
tificandas habuerit, habuit tamen il
lam, qua quisque refugit pœnas & do
lores, & studio vitæ conseruandæ te
netur. Cùm ergo ipse Dei filius ad pla
cen

cendum magis æterno Patri acerbissimum hoc mortificationis genus elegerit, liquidissimè apparet mortificationis studium nobis debere esse commendatissimum.

Inter creaturas omnes, post sacratissimam Christi humanitatem, nulla Deo carior fuit Beatissima Virgine Maria, benedicta eius matre; quæ etiamsi vitiosas animi vel corporis perturbationes non habuerit mortificandas, habuit tamen alias, nempè naturalem propensionem ad quietem terrenam, & possessionem pacificam boni infiniti, quod ex visceribus suis purissimis protulit, nempe filium suum vnigenitum. Et hanc æternus Deus mortificari voluit à beata Virgine; vt cùm iussit eam patrio solo deserto in terra peregrina exulare, cùm indicauit ei ab ipso Herode filium quæri ad cædem, cùm denique filium ab eius consuetudine & conuictu, sine vlla antegressa admonitione, diuulsit, atque alia multa fecit, quæ & dura, & acerba esse potuerunt; quæ omnia idcirco accidêre, vt illa hac exercitatione sponte susceptа in maiori gratia apud Deum poneretur, & ampliorem sublimioremque in futuro seculo mereretur gloriam. Si quando

cuipiam aliquid admodum gratu
& iucundum eueniat, non potest
continere, quin amicos sui gaudij pa-
Luc. 15. ticipes faciat, sicut fecit Pastor b
angelicus, qui inuenta oue perdi
conuocauit amicos vt sibi congratu-
3. Reg. 21. rentur. Sic facit & Deus, quando n
ex animo mortificamus. Grauissim
Deum offenderat rex Achab gemin
crimine idololatriæ & homicidij. E
lias hominem monet, quàm mag
eum maneant apud Deum supplicia
le monitis dans locum ad auertend
diuinam indignationem, mox cum
gẽti dolore de peccatis veræ mortifi
tioni se dedit, regias & pretiosas veste
quibus vti solebat ad fastum & delitia
discerpit, cilicio aspero carnem affligi
remota lecti mollitie, in vili sacco c
bat, corpus fame remotis mensarum
lautitijs & inedia discruciat, atque
oculis in terram deiectis humillimè in
cedit. Quæ mortificatio tantoperè o
culis diuinis placuit, vt non solum i
ram omnem confestim posuerit: ve
rumetiam, vt amicos gaudij sui parti
cipes redderet, aduocarit magnum ser
Ibid. num suum Eliam, eique dicit: *Nonne vi-*
disti humiliatum Achab coram me? quia ig-
itur humiliatum est mei causa, non inducam
ma-

malum in diebus eius. quasi diceret. Congratulare mihi Elia, placatus sum pœnitentia Achab, nec amplius cogito de eo puniendo. Quòd si quis obijciat, illam pœnitentiam Achab simulatam fuisse, non veram, vt nonnulli existimant, hoc clarius apparet, quàm sit Deo grata mortificatio: si enim Deo placuit mortificatio illa externa & imperfecta in peccatore nondum penitus & ex toto corde conuerso, quantum placebit mortificatio hominis iusti, cuius persona Deo grata est & accepta?

Adhęc non dubium est, id valdè gratum esse alicui, quod solet admirari plurimum & laudare. Iam autem videmus Christum & Euangelistas, dum S. Ioannem Baptistam veris laudibus ornare conantur, eum collaudasse ab insigni sui mortificatione: vt quòd deserta paterna domo vrbisque delitijs concessit in eremum, vbi domicilij vice ei erant ferarum cauernæ, lecti solum durum, victus exangues locustæ, vestis cilicium ex pilis camelorum, & viles bestiarum pelles. Hic enim habitus cultorem eremi & pœnitentiæ prædicatorem decebat. *S. Ioannes*, inquit B. Chrysostomus, *do-* *Hom. 10. in Matth.*

mo, lecto, mensa, alijsque similibus rebus ab
stitutus, angelus erat in carne mortali. Pilu
camelorum indutus incedebat, vt hoc vestitu
homines doceret mundi contemptum, humili-
tatem veram & amorem aduersitatum sa-
Matth. 10. *luiam.* Idem indicauit Christus, quando
discipulis suis negauit ea, quæ homines
naturaliter desiderant, vt cùm eos ad
ciuitates & castella Israelitica dimitte
sine auro & argento, & sine pera vel
sacco, ne comeatum ferre possent de
uno loco in alium; deinde, cùm iussit
vt nec calceamenta ferrent, licèt pedi-
bus iter faciendum esset, neque vlla ar-
ma ad sui defensionem, imò nec bacu-
lum ad leuandam fatigationem, sed
nec duo indusia, ad abstergendum su-
dores. In his & similibus voluit Chri-
stus vt se mortificarent Apostoli; quo
paulatim ad maiora perferenda para-
rentur, quæ post acceptum in die Pen-
tecostes Spiritum sanctum, cùm maior
gratia mortificandi spiritum in illis
adauxisset, pertulerunt.

Clem l. 7. re-
cogn. S. Petrus, vt de eo scribit B. Clemens,
Euseb hist. non victitabat, nisi pane, oliuis & her-
Eccl l. 2. c. 1. bis, vesteque vtebatur, quæ corpus ob-
Hieron de tegeret, & pallio. S. Iacobus Hierosoly-
scrip. Eccl. morum Episcopus, autore Egesippo, &
sancto Hieronymo, non vescebatur car-

carnibus aut piscibus; vino quoque & ceruisia abstinebat, & tunicam nunquã mutabat. His alijsque modis mortificabant se Apostoli Christi, & contemptis omnibus mũdi voluptatibus, carnisque delicijs, fame, siti, & nuditate se affligebant, noctes multis vigilijs, & orationibus, dies laboribus & sudoribus transigebant, & vltrò se ad grauissima quæque pro Christo perferenda, adeoque mortem ipsam, cum gaudio & exultatione offerebant. Id confitetur B. Paulus in sua, aliorumque Apostolorum persona, dices: *Vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus, persecutionem patimur, & sustinemus, blasphemamur & obsecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsq; adhuc* 1. Cor. 4.

Cur autem tam fortiter Apostoli pugnauerint contra naturam, naturalesque eius cupiditates, non alia fuit causa, quàm quod scirent hanc sui victoriam Deo, quem summè amabant, esse gratissimam.

Ita non obscurè idem docet Apostolus. *Quia*, inquiens, *propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Rom. 8.

cisionis. Sed in his omnibus superamus p
pter eum, qui dilexit nos. Quod autem n
ius bonum contingere nobis potes
quàm vt simus grati illi, qui tantopo
nos dilexit? Et quoniam qui gratus a
teri est, etiam aliquā ei affert volup
tem, non dubium est, quin mortific
tionis studio voluptatem aliquam D
afferamus, quemadmodum notauit
Gregorius.

Greg. l. 8. mir. c. 15.

CAPVT IV.

Plurimum placere Deo mortificandi studi
etiam in rebus paruis, & ideò illud co
uenire etiam perfectis.

PRæter hæc testimonia, quib
Christus declarauit sibi pergra
tum esse mortificandi studium
suppetunt & alia sanè admiranda, a
imprimis illud, quòd multas sanctas a
nimas, quas diuinitus aliquando, nu
lo humano magisterio adhibito, in
struxit in sanctissimis fidei mysteri
in hac quoque virtute instruxerit. Fu
olim in Maximiani Christianorum
immanissimi persecutoris palatio fœ
mina illustrissima, & pulcherrima,
nomine Domna, quatuor supra vi
ginti annos nata, gentilitijs Deorum
sacri-

Surius in Decem.

sacrificijs præfecta. Hæc vbi lectione Epistolarum Apostoli Pauli, Actuumque Apostolorum, diuino aspirante numine, veram lucem aspexit, sacris tingi aquis petijt: quibus tincta tanto mortificandi sui spiritu accensa est, vt omnibus gemmis, thesauris, & vestibus pretiosis in pauperes erogatis, solo arido pane deinceps vitam tolerârit, semel in die comederit, storea lecti loco vsa fuerit; omnesque opes constituerit in vna cruce, in qua tanquam in imagine Christum Dominum venerabatur, & sacro vno codice, cuius lectione se quotidie pascebat. Hanc spiritum autem vsque ad finem vitæ, donec pro Christo sanguinem profunderet, conseruauit.

Idem euenit S. Leocritiæ, vt refert D. Aluarus in vita S. Eulogij. Erat hæc virgo filia cuiusdam Maurorum principis, eo sæculo, quo Mauri seruitute oppressam tenebant Hispaniam. Cùm autem Deus illi inspirasset, vt Christianæ legi & baptismo se subijceret, mox omnibus opibus abdicatis, cilicio se induit, corpusculum acribus ieiunijs, vigilijsq; & orationibus assiduis diu noctuq; macerauit, & vsq; ad Martyrium in hoc mortificandi exercitio perseuerauit.

rauit. Hunc mortificationis spiritu vnà cum fide Deus inspirat eorum c dibus, qui toto pectore se ad eum co uertunt.

Verùm hic notandum est, morti cationem, de qua loquimur, non solu salutarem esse nobis, & Deo gratam rebus magnis, vt cum abstinemus ab commodis & voluptatibus, quas n pensè amamus, aut carnem nostra grauibus pœnis castigamus, sed etia in paruis & leuibus. In his enim hom & excellentius virtutis exemplum p bet, & plus seipsum abnegat, & ma diuinum amorem declarat, quàm præstandis vel deuotionis, vel misc cordiæ operibus. Nam si minimum p

Matth. 10. pus bonum, etiam calix aquæ frigid pauperi propter Christum porrect tanti meriti apud Deum est, vt sua mer cede non careat, quanto plus placeb Deo eius studium, qui propter Deum se mortificat, abstinendo ab ijs, ad qua naturaliter inclinatur, & sustinendo af flictiones, quas natura odit, quantum uis sint leues? Hæc doctrina præclar ponderata est à religioso & sapient viro Ludouico Blosio, dum ita scribit

Blos. de inst. Spir. c 2. *Nihil Deo gratius offerri potest resignatione propriæ voluntatis: quia homini nihil est ca-*

rius

rius ipsa voluntate, & arbitrij libertate. Quãdo quis propter Deum sensualitati, voluntatique propriæ etiam in rebus minimis reluctatur, ac se mortificat, rem ipsi Deo magis gratam facit, quàm si multos mortuos ad vitam reuocaret. Affert deinde huius rei similitudinem hanc. *Si duo homines in eodem itinere constituti, elegantem flosculum offenderent, quorum alter cuperet quidem illum decerpere, sed melius deliberans, diceret sibijpsi. Dimitte eum propter Deum, alter vero nihil præmeditatus carperet florem, iste quidem simpliciter deserpendo non peccaret, sed ille propter Deum dimittendo florem, tantum præ decerpente obtineret meritum, quãta est distantia cœli à terra. Quòd si Deus pro tantilla mortificatione tam grandem mercedem restituet, quantam illis redditurus est, qui se & omnia pro eius amore contemnunt, atque relinquunt? Asceta ergo frequenter dicat Deo intra se. Propter te Domine nolo illud videre, quum necesse non sit, vt ipsum videam: propter te nolo illud audire, nolo illud gustare, nolo illud oqui, nolo illud tangere. Ipse Deum in fundo animæ suæ perfectè sentire non poterit, nisi in eo moriatur, quicquid inordinatum est.* Hæc Blosius. *Aug. l. 83. q. 36.*

Res profectò consolationis plena, quę meritò inflammare nos omnes debeat, vt huic militiæ spirituali sub tanto Duce

to Duce nomina demus, & bellum
ge ac perpetuum cupiditatibus noſtr
indicamus, quandoquidem confla
quàm leui victoria maximam no
coronam quotidie in cœlo parare po
ſimus. Certè ad roborandam mig
imbecillitatem noſtram voluit Dom
nus illuſtria quoque huius rei nob
relinqui exempla, vt eſt illud apud
L. 2. dial. c. 23. Gregorium de ſeculari quodam, reli
gioſo tamen viro, qui quotannis con
ſueuerat inuiſere S. Benedictum, vt e
ius ſe precibus commendaret, idque fa
ciebat ieiunus. Verùm cum aliquand
viator alius ſe comitem illi adiunxiſ
ſet, qui eum ſemel, ſecundò, tertiò, a
cibi aliquid ſumendum, quem ſecum
tulerat, inuitârat, tandem flexus ſum
pſit. At cùm ad S. Benedictum perue
niſſet, is ei hoc factum improperauit,
dicens: *Quid eſt frater, quòd malignus hoſtis, qui tibi per conuiatorem tuum locum eſt, ſemel tibi perſuadere non potuit, ſecundò non potuit, tertiò verò perſuaſit, & te ad hoc, quod voluit, ſuperauit?* Tunc ille, inquit Gregorius, *reatum infirmæ fragilitatis cognoſcens eius pedibus prouolutus tanto magis cœpit culpam deflere & erubeſcere, quòd ſe cognouit etiam abſentem in Benedicti patris oculis deliquiſſe.* In quo exemplo

notan-

notandum est, quantum illius paruæ mortificationis fuerit meritum, cui tot insultus fecit dæmon per illum viatorem, quamque Deus patefieri voluit S. Benedicto, ne sæcularis ille homo tanti boni in posterum iacturam faceret. Quamuis verò ex hoc exemplo satis liqueat, quantum sit in exigua etiam mortificatione operæ pretium, tamen clarius liquebit ex sequenti.

S. Petrus Damianus, Cardinalis doctissimus commemorat quendam Abbatem virum religiosum, aliquando iussisse sibi emi piscem, cuius edēdi desiderio tenebatur; cùm autem iam coctus ad mensam eius allatus esset mendicum præ foribus magno studio petisse sibi eleemosynæ loco porrigi, quòd appositum esset Abbati. Tum Abbatem, vt se mortificaret, assensisse, vt piscis vnà cum scutella pauperi daretur: pauperem autem, vbi scutellam accepisset in conspectu præsentium à terra sublatum in cœlum, nec amplius visum. Quo facto Deus aperte declarauit, quā gratus sibi fuerit ille mortificationis, & misericordię actus. Idcirco enim angelum suum pauperis specie ad Abbatē illum misit, vt moneret eū ad coercendum appetitū in eo, quòd cupidè desi-

In append. bibl. sacræ.

desiderauerat; & ideò angelus visibi-
ter ascendit in cœlum, vt indicaret
mortificationis, misericordiæque be-
neficio homines habitationem cœ-
stem promereri. Quòd verò Deus vi-
biliter huic fecit Abbati, id inuisibi-
ter præstat omnibus, qui suo ori detra-
hunt cibos, ad quos afficiuntur, vt pa-
peribus Christi porrigant.

Hinc sequitur mortificationis stu-
dium commendatum esse debere non
solùm incipientibus, qui nondum ma-
gnos habēt in virtute progressus, & per-
turbationibus animi necdū plenè im-
perare norunt, sed etiam perfectis: ho-
rum enim æquè ac illorum munus est
ijs actionibus virtutum operam dare,
quę cum gratiores sint Deo, tum etiam
ampliorem promereātur gloriam. Scri-
Cap. 4. bit S. Ioannes Climachus in quodam
celebri monasterio, se cum animadver-
teret, sanctum quendam monachum
grauiter à superiore reprehendi in re,
cuius culpam nullam habebat, inno-
centiæ eius patrocinium suscepisse.
Tum autem superiorem, qui erat pru-
dentissimus, sibi respondisse. Non me
latet, illum esse culpæ expertem, sed sa-
ctimei scopus fuit, illi hac increpatio-
ne & mortificatione præbere merendi

mate-

materiam. Sicut enim crudeliter agit parens, qui panem infantis ori subtrahit, sic Prælatus, qui subditis suis, quando capaces sunt, reprehensionibus & alijs mortificationis generibus, subtrahit promerendi materiam. Atque huic rationi, quæ præcipua est, adiunxit aliam, qua declarat mortificandi exercitium esse commune omnium; nam, inquit, sicut terra licet fertilis, infructuosa redditur & sylvestris, si non colatur, sic animus hominis pij, & in virtute perfecti, nisi quotidie mortificetur.

Quare nunquam mortificandi occasio, si quando vltrò se offerat, deserenda est; cupiditatibus carnis, & superuacaneis voluntatis nostræ desiderijs repugnando, aduersitates quoque, quas Deus nonnunquam immittit, patienter suscipiendo, & voluntarias pœnas adiungendo, vt perficiamus, quod Apostolus à nobis exigit, hoc est, *vt exhibeamus corpora nostra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium nostrum.* Rom. 12. Vt offeratur aliquid Deo in sacrificium, illud necesse est occidi, nihil enim propriè sacrificij nomen obtinere potest, nisi mors, vel mortis repræsentatio illud anteceſſerit. Martyres

res sancti sua corpora mortua offer-
bant Deo in holocaustum odoris su-
uissimi, hoc est, gratissimum, quantu
poterant diuina gratia adiuuante, s
operis virtute offerre. Sic qui se mor-
ficant, offerunt corpora sua Deo, quo
ad substantiam in sacrificium viuum
mortuum verò quoad inclinationes,
cupiditates inordinatas. Atq; ideo hu
sacrificium est species Martyrij ocul
Dei gratissima, vt pulchrè exponit S
Bernardus in illa verba Christi. *Qui p*
diderit animam suam propter me, inueni
eam. Perdet eam dixit, siue ponendo vt ma-
tyr, siue affligendo vt pœnitens. Quinquas
genus martyrij est, spiritu facta carnis mor-
ficare, illo nimirum, quo membra cædunt
ferro, horrore quidem mitius, sed diuturnitat
molestius Quibus verbis S. Bernard. per-
spicuè ostēdit, quanti facienda sit mor-
tificatio, vt quæ etiam cum Martyrio
meruerit comparari.

Bern. serm. 30 in Can. Matth. 16.

CAPVT V.

Quòd exercitio mortificationis imite-mur Christum.

AD complectendum mortifica-
tionis Exercitium, non solùm
permouere nos debet primarius

eius

eius finis, de quo hactenus egimus, vt videlicet simus Deo gratiores, sed etiã, quod eo sanctissimam Christi Domini nostri vitam moresq; exprimamus, & imitemur. Omne siquidem hominis Christiani bonũ, perfectio, gloria, fructus, solatiumque consistit in imitando communi & supremo Domino, quemadmodum confitetur Ecclesiasticus his verbis: *Nihil melius est, quam timor Dei, & nihil dulcius, quàm respicere in mandatis Domini: Gloria magna est sequi Dominum: lõgitudo enim dierum assumetur ab eo.* Eccles 23. Iam autem constat, vt alibi monuimus, vniuersam Domini vitam in carne mortali fuisse perpetuam crucẽ, & continuam mortificationem: nam ab omnibus mundi illecebris & delitijs abstinebat, nec à superfluis modò, sed ẽt à necessarijs, ijs tantùm contentus, quæ ad conseruandam vitam, & ad retinendam consuetudinem viuendi hominum pertinebant. Voluntarias quoque pœnas & afflictiones assumebat, nullas refugiens huius sæculi contumelias, & opprobria, vt testatur Apostolus, dum ad imitandum hunc dominum nos hortatur. *Debemus*, inquiens, *nos firmiores imbecillitates infirmiorum sustinere, & non nobis placere. Vnusquisque* Rom 15.

vestrum

vestrum placeat proximo suo in bon
ad ædificationem. Etenim Christus no
Isa. 96. *bi placuit, sed, sicut scriptum est im*
peria improperantium tibi ceciderun
per me.

Homines optant assimilari Chr
in immortalitate, potentia, pulchr
dine, gloria & honore, quam hab
sessione ad dexteram Dei Patris,
rùm hæc non est imitatio, quæ à n
exigitur, sed potius præmium in
ram vitam à Deo seruis Dei red
tum. Certè nunc velle assimilari C
sto in ijs, quæ spectant ad eius glor
non est aliud, quàm parêre consili
antiquo serpente olim primis no
Gen. 3. parentibus dato, cum diceret: E
sicut Dij, scientes bonum & malum, qu
tione non peruenitur ad similitudi
Dei, sed potius ruitur in omnium m
riarum abyssum. Imitatio Christi,
nunc postulatur à nobis, tota posit
in mortificatione sui, hoc est, in p
pria voluntate abneganda, cupidit
bus frangendis, fugiendis volupt
bus huius sæculi, & pœnis acinu
vltrò complectendis. Atque hæc
via rectissima pertingendi ad imi
tionem, & similitudinem Christi
riæ. Nam teste Apostolo Paulo, Sic

passi ei fuerimus, & conglorificabimur, & si sustinuerimus cum eo, & cõregnabimus. Nec aliud postulat amor, quem huic Domino debemus. Qui enim vehementer quempiam amat, amat quoque ea, quæ illi pergrata nouit, quoq; amplius sunt eius naturæ & conditioni aduersa, hoc amorem suum efficacius declarat. Nam si ab amico inuiteris ad lautum, & exquisitum conuiuium, & libenter te eo frui ostendas, non eo declaras singularem in amicum amorem: Sed si inuitet te ad iter secum hyberno cœlo suscipiendum difficile, & periculosum, nec renuas, sed alacri animo in gratiam illius acceptes, tunc vero & syncero amore te eum prosequi declaras. Aperiant hic oculos fideles veri, quorum fœlicitas est in amando Christo: vt ad hanc similitudinem expendant veritatem puritatemque sui amoris. Qui desiderant accumbere mensæ Christi in regno Patris, qui anhelant ad gloriæ eius thesauros, qui afficiuntur ad illum, dum solatio spiritali & pace interna fruuntur, non ostendunt se vero & germano charitatis amore in illum ferri: sed qui sponte propter ipsum se spoliant corporalibus commodis vestium, lecti, victus, qui abstinent à ludis, hominum

Com. 8.
2. Tim. 2.

minum huius mundi consuetudi
fugiunt, qui gaudent ieiunijs, disci
nis, ministerio pauperum, eleem
nis, charitatis operibus erga inimi
salutatione eorum, à quibus off
sunt, hi, inquam, clara & perspicua
ceri in Christum amoris argum
præbent. Hoc veri amatoris pect
texit Apostolus, cùm scripsit: *Ver*
Philip. 3. *men existimo omnia detrimentum ep*
pter eminentem scientiam Iesu Christi D
ni mei: propter quem omnia detrimentu
ci, & arbitror vt stercora, vt Christum
faciam. Vocat *omnia stercora*, qua
cum à vero amore Christi poter
strahere.

Idem postulat à nobis ratio,
que omnes, quæ præcipiunt, vt
bra suum caput sectentur, illiq
omnibus se conforment. Cùm
Christus sit caput nostrum, & n
tantæ dignitatis, & maiestatis, c
mne genu cœlestium & terre
flectitur; nos autem eius me
merito nos illi conformare debe
Fuit coronatus spinis, colaphis
cussus, sputis oblitus, felle potatus
plus æquo honores huius sæculi
cos aucupemur, vt libēter carnis
modis & illecebris renunciemus,

pa

pœnitentias aliquas,& mortificationes inclinationi naturæ noſtræ corruptæ contrarias ſponte cum Chriſto amplectamur. Non aliud poſtulat fides, quàm omnes clientes ſuis Dominis debent, nempe vt non velint maiorem ſibi honorem deferri, quàm ſuo Regi, vt milites non quærant maioribus frui commodis, quàm belli Duces. In Regum hiſtoria legimus Regem Dauidem, cùm eum perſequeretur filius Abſalon, Hieroſolymis pedibus ſuis egreſſum, deinde verò nudis pedibus, & aperto capite lachrymantem cliuum Oliuarum aſcendiſſe. Vbi ſcriptura diuina ſignatè annotauit ſimiliter ad imitandum Regem, factum ab omnibus ſeruis Regis, totoque exercitu. Ratio ſiquidem illis dictabat ob fidem & clientelam, quàm Domino ſuo debebāt, Rege humiliante & affligente ſe, ipſos quoque debere ſe humiliare, & affligere, & Rege nudis pedibus, apertoq; capite incedente, non conuenire, vt ipſi equites & operto capite ſequerentur, & denique rege plangente, ipſi ridereut. 2. Reg. 15.

Bonus Vrias miles Ioab belli Ducis, cùm à Rege Dauide è caſtris euocatus, iuſſus eſſet domum concedere, lauare pedes, cibo regio vti, & thori coniuga- 2. Reg. 11.

lis quiete frui, non putauit tamen
citis his commodis sibi fruendum,
ante portam regiam, vt apparet, hu
excubuit: Causamque facti deinde
cunctante Rege respondit. *Arca De*
Israhel, & Iuda habitant in papilionibu
dominus meus Ioab, & serui Domini
super faciem terræ manent, & ego ingre
domum meam, vt comedam, & bibam
dormiam cum vxore mea: per salutem
& per salutem animæ meæ non faciam
hanc.

Lib. 4. c. 3. Fulgosus refert Catonem mine-
belli imperatorem cum grauissima
cum toto exercitu in Lybicis ar
summo cœli æstu affligeretur, il
pauxillum aquæ in galea à milite
ferretur, manu quidem eam excep
sed mox in omnium conspectu in
ram abiecisse, ne solus solatio, quo
alijs communicare non poterat, fruer
tur. Hæc Ducis mortificatio animu
iniecit militibus fortiter & constan
deinceps sitim quantumuis diuturna
sustinendi. Quod si ad imitandos Re
ges & belli Imperatores, à quibus e
gua quædam commoda sperantur,
homines mortificant, & multis solat
tijs, delicijsque se priuant, quod exhi
ment id fidem, quam illis debent, po
stulare,

ſtulare, quanto æquius ad imitandum Chriſtum Regem cœlorum; & vitæ Ducem, nos mortificamus, inordinatas animi cupiditates coercendo, corpuſq; noſtrum peccato ſubiectum exercendo in toleratione pœnarũ quas meruit, vt Chriſto ſimiles efficiamur in vita & cruce. Si Rex aliquis terrenus veſte natiui coloris ſe indueret, quem Principum virorum puderet vti ſimili amictu: & ſi ad abluendos mendici pedes ſe demitteret; quis nobilium aulicorum ſimile defugeret officium? O Rex gloriæ, quam iuſtum eſt, vt non reformidemus nos exercere in paupertate, alijſq; officijs humilibus, poſtquam tu te in illis exercuiſti: & amplecti ludibria hominum & iniurias, poſtquam tu tantoperè eas es complexus. Fœlices certè, & beati ſunt illi, qui ad imitandum Chriſtum ſe mortificant. Hoc enim ſtudio non obſcurè declarant, (quantum in hac vita conijci poteſt,) ſe eſſe in numero eorum, qui à conſtitutione mundi à Deo electi & prædeſtinati ſunt ad vitam æternam, cum ab Apoſtolo, per cuius os Chriſtus ipſe locutus eſt, ſcriptum ſit. *Quos Deus ab æterno præſciuit, hos & prædeſtinatos eſſe, vt conformes fierent imagini filij ſui,* Rom. 8.

nimirum, vt qui similes ei fuisse
vita, similes quoque existerent in
xia.

CAPVT VI.

*Quòd corruptioni naturæ humanæ ex
to secutæ loco antidoti data sit mo
tificatio.*

QVO rectius intelligamus
tificationis necessitatem,
dum hoc loco erit de perfec
ne & integritate tam naturali,
supernaturali, in qua Deus natu
nostram initio mundi condidit:
tem de corruptione & prauitate,
lapsum Adæ protoplasti secuta
mum quemadmodum diuina adhi
te gratia per mortificationem na
deprauata reparetur. Quando Deus
tio mundi hominem fecit, pro im
sa sua sapientia & bonitate, integ
& omnibus partibus absolutum
didit, sic vt vires, & facultates inf
res sine difficultate vlla parérent
rioribus, & superiores Deo: idque
cit Deus beneficio nobilissimorum
norum gratiæ suæ, & iustitiæ orig
lis, quibus corpus æquè ac animam
diuina sua prouidentia & sapientiæ

Eccl. c. 7. S. Thom. p. 1. q. 94.

ornauit. In hoc ſtatu, quem vocamus Innocentiæ, & iuſtitiæ originalis, homo præditus erat clara Dei Opt. Max. notitia, non ea quidem, qua nunc beati perfruuntur in altera vita, ſed in ſuo genere maxima: inerat, ſiquidem menti eius ſumma quædam puritas, naturalium omnium rerum ſcientia, quæ ratiocinatione humana vnquam comprehendi queunt, ac etiam ſupernaturalium tanta, quanta neceſſaria erat ad conſequendam fœlicitatem æternam. Sed nec corpus, aut vllæ facultates inferiores eum impediebant, quo minus finem ſuum aſſequeretur. In effectis naturalibus rerum creatarum, & ſupernaturalibus gratiæ, maieſtatem, omnipotentiam, ſapientiam, bonitatẽ & pulchritudinem, aliasque Dei perfectiones agnoſcebat: atque in eius amorem, nulla ratiocinatione vel demonſtratione, quod tamen nunc fit, antegreſſa, accendebatur.

Angelos natura ſpirituales, etſi ſecundum eſſentiam propriam, intueri non poſſet, eo modo, quo ſe mutuò intuentur; cognoſcebat tamen clariori excellentiorique modo, quàm nos, & ob puritatem cordis eximiam, altiſſimamque cognitionem, qua illis erat

conformis, familiariter cum eis
conuersabatur. Voluntas quoque
mirificè vtrique notitiæ, & naturali
supernaturali respondebat, ac imp
mis diuinæ voluntati, à qua nunqua
quam diu in illo statu perstitit, ne l
tum quidem vnguem etiam in mi
S. Tho. p 1. q 95. mis rebus discessit. Habebat quoq
facultates partis sentientis rationi o
ninò subiectas, ac pariter corpus a
mæ, sic vt neque membra, neque vl
animi potentię rationem perturbar
aut affligerent.

S. Tho. ib. q. 96. & 97. Dominus insuper erat omnium
nimantium, vt quantumuis natura
roces & terribiles ad nutum ei pa
rent. Plantis item terræ omnibusq
seminibus pro arbitrio suo vtebatu
vt eum fructum ferrent, quem ille v
luisset. Quod ad corpus eius attinet,
rat homo in illo statu immortalis, co
ruptionis expers, & ab omnibus rebus
noxijs immunis: non quod inesset
forma vel qualitas aliqua, quæ eum
redderet, vti dotes in beatis, immor
talem, sed quod animo eius diuinitus
communicata esset vis quædam, qua
corpus à morbis & morte vindicare
posset. Poterat enim solis paradisi fru
ctibus, ac imprimis illo arboris vitæ

repa

reparare & restaurare, quicquid diuturnitate temporis & ciborum varietate de pristino corporis vigore decessisset: atque, vt in eius potestate erat beneficio huius virtutis se morti eximere, sic & factum fuisset, quamdiu ratio Deo subiecta permansisset.

Hic ordo tam admirandus hominis profectus est ex gratia & iustitia originali, in qua conditus est. Gratia efficiebat, vt pars animæ superior Deo tanquam vltimo fini supernaturali, & beatifico se subijceret, omniaq; eius opera essent Deo grata, ac vitæ æternæ meritoria. Iustitia verò originalis, quatenus distinguebatur à gratia, efficiebat, vt ratio superior Deo se subijceret tanquam vltimo fini naturali, hoc est, tanquam creatori & auctori totius naturę, ac vt omnes inferiores animi vires & facultates, ipsumq; corpus parêrent animæ & rationi, sicut dictum est. Quãquam nonnulli iustitiæ originalis effectus quadantenus naturæ hominis debiti sint. Cùm enim homo sit rationis particeps, ipsamq; rationem à Deo consecutus sit, congruens profectò erat, vt nec facultas ei deesset rationem in omnibus diuinæ voluntati subijciẽdi, tanquam naturæ auctori; sicut omnes

S. Tho. 1. 2. q. 109. a. 2 & 3 & Caiet. ibid.

inferiores animi & corporis viri
vsque subditæ sunt rationi, vt eius
perio nequaquam reluctari que
Atque hæc appellatur natura sa
integra, in cuius statu homo obti
poterat, quicquid naturę humanę co
ueniens erat, ac quicquid ratio natu
lis benè ordinata postulare potuisse

Etsi fatendum est, nō satis fuisse
mini instructum esse præsidijs eiusm
di naturalibus: corpus enim, quāquā
nondum peccato inquinatum, tam
procliue fuisset ad patienda quæd
rationi aduersa. Sed opus erat natura
ornari & firmari aliquo dono gratu
cuius beneficio semper rationi obs
queretur; quod quoniam limites nat
ræ non excedebat, inter naturalia do
annumerari debuit; & hoc dono adiu
natura, dicitur sana & integra. Huiusm
stitia originalis addebat perfectione
quandam huius ordinis, & subiectio
nis inferiorum virium sub superior
bus, sic prorsus, vt quamdiu anim
subiecta esset Deo, nunquam defice
posset. Gratia verò adiungebat ord
nem ad finem supernaturalem, & æte
næ gloriæ meritum.

Posita hac doctrina, quæ cum diuina
Scriptura sanctorumque Patrum sen-

tentijs

tentijs congruit, nec à ratione abhorret, liquidius apparet, quantum vulnus inflictum sit naturæ per peccatum, si consideremus in homine ea tantùm, quæ habuit antequam à gratia perficeretur, de qua loquimur. Natura enim humana, quoniam ratione & intelligẽtia instructa est, impellit hominem, vt amet & amplectatur, quæ bona sunt, & rationi consentanea, in ijsque delectetur, ac vt quamque rem pro dignitate sua & merito æstimet, ac præstantiora minus præstantibus anteponat, & tamen experientia quotidiana docet potius contra fieri, vt optima quæque, & rationi congruentia, ceu nimis ardua refugiat & oderit, pessima autem velut facilia, & voluptatis plena amplectatur. Bona siquidem ista externa corporis & fortunæ, vt sanitatem, fortitudinem, pulchritudinem, victum, vestes, opes magno loco habet, & ardenti cupiditate eorum flagrat, nec in ijs procurandis & accumulandis vllum modum & finem ponit. Bona verò interna in animo sita, vt sunt virtutes, bona opera, vitam conuenienter rationi actam, parui facit, nulloque eorum desiderio tenetur, nullum laborem pro illis acquirendis

impendit, imò tanquam parum grata & iucunda respuit & fastidit.

Ratio quoque postulat, vt seruus prompte obsequatur suo Domino, & ita se gubernari, velut instrumentum a suo agente principali patiatur: quare cum corpus sit instrumentum, & minister animæ, ratio dictat, illud parere debere animi iussis. Et tamen re ipsa nunc experimur fieri contrarium, nempe, carnem aduersari rationi, & membra corporis insurgere contra imperium spiritus, corpusque ipsum, quod adiumento animo esse debeat ad vitam conuenienter rationi ducendam, potius esse impedimento, & capitales quasi inimicitias fouere in spiritum. Adhæc natura spiritualis, qua homo est ornatus, non obscurè declarat ipsum conditum esse ad fruendum bonis sublimibus, & cœlestibus: mentem enim habet, qua Deum Opt. Max. & cognoscere & amare possit, ac tandem eo tanquam summo bono, & beatitudine extrema perfrui, & oblectari. Idem recta & erecta in cœlum eius statura apertè significat, nimirum non esse eum conditum, vt cætera animalia, ad hæc vilia & terrena, sed ad spiritalia, & cœlestia possidenda. Et tamen omnia

depre-

deprehendimus nunc in homine esse contraria, totus enim addictus est voluptatibus terrenis, haud secus, quàm si in numerum brutorum animantium esset relatus.

Eadem præterea ratio exigit, vt instrumentum duratione exęquet primarium agens, aut certè eiusmodi, vt perditum de integro institui vel renouari queat: alioquin omnis agentis virtus inanis foret, & natura quippiam efficeret frustra. Cùm igitur corpus sit animæ instrumentum, eiusque in agendo comes, ac talis naturæ, vt corruptum ab interitu vindicari non possit, rationi naturali consentaneum erat, vt animæ immortali & æternæ, corpus quoque immortale & æternum adiungeretur, aut certè eiusmodi, quòd vi animæ ab interitu seruari posset. Verùm contra accidit, vt sæpenumerò corpus deficiat & occumbat, cùm animus initium viuendi facere cœperit. Atque hæc est naturæ humanæ corruptio, & morbus eius grauissimus experientia ipsa liquidò notus. Vnde duo documenta haurire licet. Alterum est, nos vna cum natura humana noxæ originalis hæredes factos. Deus siquidem, cuius perfecta sunt opera, nunquam condidisset ho-

minem cum hac labe & corruptela, nulla præcessisset culpa: minimum ea integritate naturam ornasset, quā cōgruenter rationi naturali vitā traduceret. Si enim cæteris animantibus omnibusque creaturis ea adiumenta impertiuit, quæ ad vitam eorum naturæ conuenientem tolerandam attinebant, cur homini, cuius causa illa omnia cōdita fuêre, ea denegasset? Vnde sequitur, solā esse veri Dei legem, quæ hāc corruptionem & noxam eiusq; medelā, quæ sola fuit lex Christiana, patefacit. Aliarum documentum est, quod hinc discimus, quibus præsidijs, diuina adiuuante gratia, corruptionem hanc tollere, naturæ integritatem ac salutem reparare, si non omni ex parte, quoad passiones, quod in hac vita fieri non potest, saltem quadantenus, eas coercendo & reprimendo, possemus.

CAPVT VII.

Quòd beneficio mortificationis, diuina gratia adiuti, magna parte naturæ corruptelam, ex peccato consecutam, sanare possimus.

RAtio & ars hanc generalem morbis omnibus præscribun-

me-

medicinam, applicare, nimirum, contraria, hoc est, plus æquo, frigidis calida, humidis sicca, &c. vt hoc antidoto humores ad symmetriam quandam traducantur. Morbus & corruptela naturæ nostræ in hoc consistit, quod animus noster amore proprio, & cupiditatibus carnis addictus, plus æquo inhiet perfruendis voluptatibus & delitijs corporalibus, ambiat honores & imperia in alios, congerendis opibus studeat, summamque libertatem, qua faciat, quicquid collibuerit, affectet. Remedium huic morbo curando præsentissimum adhibuerit, qui applicuerit contraria. Caro aspirat ad sua cammoda & delitias? comprimatur pœnitētijs; asperiore veste, cilicio, duritie lecti, disciplinis, ieiunijs, fame, siti, cibis insipidis, labore diurno nocturnoque calore, frigore, & in orationibus vigilantia. Anhelat ad honores, & vult alijs anteferri? contemni & pudore affici se patiatur, extra intraque confessionem errata sua prodat; non excuset nec defendat obiectos ab alijs lapsus, locum inferiorem in conuentu hominum deligat, ad viliora ministeria se abijciat, in disputationibus contentionibusque alijs cedat victoriam,

contumelias & illusiones æquo anim
toleret, malum in bono vincat, aduer
rijs suis serenum ostendat vultum,
etiam beneficijs deuinciat. Tenetur
dio congerendarum opum, & thes
rorum, lauteque & magnificè tra
ri auet? nitatur vti rebus parui pret
vilibus, & conetur etiam in quibus
sibi subtrahere quæ videntur quod
modo necessaria, eoque plus eroga
pauperes. Amat libertatem? subijcia
consilio & voluntati aliorum. Hæc
& ratio est, sanandæ naturæ corrup
Virga admodum curua recta fieri
quit, nisi sæpius in aduersam partem
flectatur. Sic natura nostra vitio p
mæuæ corruptionis plus æquo incli
ta ad amplectendas terrenas volup
tes, honores, diuitias, & fugienda
rum contraria, inopiam, contumeli
pœnitentias, detorquenda est in co
trariam partem; nempè vt non mo
superuacanea resecet, sed etiam nec
saria aliquando sibi subtrahat, vt ho
ribus etiam licitis subinde renunti
vt patienter fortiterque toleret hom
num ludibria, quæ sine vllo pecca
poterat refugere: sic enim fiet, vt sensu
prauos animi affectus exstirpet, vitæ
sanctimonia, Dei beneuolentiam sib

con-

conciliet, ad plenam aliquando obtinendam contra perturbationes quotidianas victoriam.

Præclarè in hanc sententiam alicubi S. Bernardus scribit, Lauari quidem breuissimo tempore nos posse, sanari tamen non posse, nisi longissimo. Nam vt animo nostra à peccatorum sordibus expurgetur id breui temporis spatio obtineri potest per sacramentum baptismi vel pœnitentiæ; non item vt ab insitis carni passionibus, prauisque inclinationibus; quæ efficiunt, vt exigua oblata occasione in peccata vetera relabatur, diuinaque gratia excidat, ac proinde æternæ damnationis periculo se exponat. Qua de causa, vt facilius persistere queat in exercitatione virtutum, & gratiam semel à Deo partam vsque ad vitæ exitum tueri, operam dare debet, vt indies dictas passiones refrenare conetur per virtutem Mortificationis.

Quod non eò dico, quasi Mortificatio ex se efficax sit ad conciliandam illam animæ sanitatem, id enim citra arrogantiæ notam dicere non possumus. Quis enim asserat vno aliquo ieiunio, etiam seueriſſimo in pane & aqua, vel vna corporis diuerberatione etiam acerrima vsque ad sanguinem, aut denique

que omnium sanctorum pœnitenti
nimum humanum perfectè sanari p
ab omnibus affectionibus inordina
Quis dicat vllis humanis viribus &
natibus, posse homini cuulsa rerum
renarum cupiditate, inijci amorem
norum cœlestium, reiecta existima
ne sui, persuaderi contemptum re
diatis carnis illecebris, consuli casti
tem & temperantiã. Hoc opus est di
omnipotentiæ, & singularis Spir
sancti gratię, meritis Christi Saluat
nobis comparatæ. Ita enim clamant
uinæ scripturæ; sic Deus per Ezech
lem Prophetam, promittit dum agit
Ezech. 36. nouo testamento: *Effundam*, inquit
*super vos aquam mundam, & mundabimi
ab omnibus inquinamentis vestris, & ab v
uersis idolis vestris mundabo vos & dabo v
bis cor nouum, & spiritum nouum ponam
medio vestri, & auferam cor lapideum
carne vestra, & dabo vobis cor carneum*
Hæc nimirum est aqua purissima gr
tiæ, qua efficaciter renouatur cor &
spiritus nostcr; ac ad integritatem sp
ritualem, quam per lapsum amisera
quodammodo reuocatur. Quæ grati
non beneficio legis, nec virtute natura
li rationis, sed efficacitate meritorum
Christi Domini nostri nobis commu

nicatur, teste Apostolo, qui in sua persona exprimens hominem carnalem passionibus obnoxium, & à carne seruituti peccati subiectum, in hæc verba exclamat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius*: hoc est, de corpore mortali ob corruptionem primigeniam, morti corporali & spirituali ob peccata subiecto. Et respondet: *Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum.* Hæc enim vim omnem subministrat spiritui, vt possit expugnare carnis petulantiam, coercere passiones, & naturæ corruptelam tollere. Rom. 7.

Refert Cassianus senem quendam, cùm apud Alexandriam turbis infidelium circumfusus, non solùm maledictis, verùm etiam grauissimis vrgeretur iniurijs, eique à subsannantibus diceretur: quid miraculi Christus quem colebat, fecisset, respondisse: *Vt his, ac maioribus, si intuleritis, non mouear, nec offendar iniurijs.* Hoc stupendum robur Christus per suam gratiam pectori illius senis impresserat. Verùm dices, si corruptio naturæ per gratiam diuinam sanatur, quo sensu ergo contendamus opus esse mortificatione? Respondeo, vtriusque præsidio nos indigere. Homo enim se auxi- Col. 12. c. 8.

lio

lio diuino adiutus mortificans, dispo-
nit se ad recipiendam à Deo gratiam.
Post gratiam autem acceptam, si in
mortificatione sui pergat, promerebi-
ampliorem gratiam, virtutes acquisi-
tas & infusas, aliaq; eximia Dei dona &
auxilia quæ magna parte naturam re-
integrare possint. Atque ita mortifica-
tio, non suis, sed gratiæ diuinæ, dono-
rumque cœlestium nixa viribus paula-
tim coercet passiones, ardoremque
concupiscentiæ extinguit, ac naturam
sauciatæ vulneribus medicinam faci-

Hoc mysterium egregiè declarat S.
Leo Papa, dum inquit: *Si fideliter dilectis-*
simi atque sapienter creationis nostræ intelli-
gamus exordium, inueniemus hominem ideo
ad imaginem Dei conditum: vt imitator sui
esset auctoris. & hanc esse naturalem nostri
generis dignitatem, si in nobis quasi in quo-
dam speculo diuinæ benignitatis forma re-
splendeat. Ad quam quotidie vtique nos re-
parat gratia seruatoris, dum quod cecidit in
Adam primo, erigitur in secundo. id est, in
Christo. Quo autem medio id obtine-
bimus? Eo, quod non multò post sub-
iungit. *Quid enim potest*, inquit, *efficacius*
esse ieiunio? cuius obseruantia appropinqua-
mus Deo, & resistentes diabolo, vitia blanda-
superamus. Semper virtuti cibus, ieiunium
fuit.

Ser. 1. & 2. de ieiun. decimi mensis.

fuit. De abstinentia prodeunt castæ cogitationes, rationabiles voluntates, salubria consilia: & per voluntarias afflictiones caro concupiscentijs moritur, virtutibus spiritus innouatur. Hæc omnia B. Leo, qui nomine ieiunij, afflictionumq; voluntariarum intelligit hoc nostrum exercitium mortificationis, quo propriè caro concupiscentijs moritur, spiritus renouatur, animaque Deo ob similitudinem magis appropinquat.

Quemadmodum enim experientia ipsa nos docet, omnem naturæ humanæ corruptionem natam ex peccato: videmus enim eam omnibus hominibus esse communem, vti declaratum est, sic eadem docet nos hoc mortificandi medio ipsam naturam restaurari, & quadantenus recuperari salutem & integritatem quam habuerat in statu innocentiæ. Id enim liquet in omnibus, qui in schola Christi seriò & sedulò operam nauant expugnandis prauis affectibus. Atque hic suppetit nobis copia innumerabilium sanctorum, & hominum perfectorum altissima clarissimaque rerum diuinarum cognitione præditorum, qui, quoad animæ vires patiuntur, viua fidei luce colluſtrati per Dei contemplationem tot arcanorum cœle-

Aug de morib. Eccl.
Eusl 2. hist. c 7.
Hier. ep. ad Eustoch. de

custod Virg. Cas col. 12. c. 7. & 12.

lestium; mysteriorumque maximor
penetrant recessus: vt nulla lingua, n
lo sermone explicari possint, colloq
tur cum eo perinde ac amicus solet c
amico, & in contemplatione diu
ctuque cum incredibili amore & vo
ptate persistunt, imò in omnibus
bus creatis mira suauitate quasi De
præsentem, eiusque potentiam, sapi
tiam; bonitatem & pulchritudine
admirantur. Spectant sæpenume
angelicos spiritus varijs formis, & c
illis, tanquam fratribus, conuersan
Rerum naturalium, humanarum
diuinarum excellentem habent n
tiam; nec eos latent secreta cordium
rerum futurarum euentus. Perfec
mè bonum à malo secernunt, & c
mnibus rebus iudicant secundùm D
um, sine vllo errore & mendacio. V
luntatem habent in omnibus cum
uina conformatam, ad quam perfi
endam renunciârunt mundo & vit
imò mille vitas potius exponere p
ti sunt, quàm in minimo illam p
uaricari. Tanto virtutum amore
grant, vt tantùm non transformati
eas videantur, omne eorum studium
mnis voluptas, sanctis vacare operati
nibus.

Qua

Quanquam autem libertate peccandi destituti non sint, tamen tanto odio prosequuntur voluntatem peccandi, omniaque scelera, vt videatur quodammodo fieri non posse, vt aliquando in peccatum lethale labantur. (nam & in rebus humanis quod admodum est factu difficile, dicitur impossibile) Sic enim carnem spiritui subiectam habent, vt in naturam spiritalem degenerasse caro ipsa videatur. Res huius seculi omnes, vt opes, voluptates, honores, aliaque temporalia bona perindè aspernantur ac nihili faciunt, ac si non essent; omnes enim cogitationes & affectiones animi sui defixerunt in virtutem, resque spirituales & inuisibiles: quæ ad Deum deducunt, & nos cum eo vniunt. cæteras verò res omnes non alio respectu diligunt, quàm vt materiam virtuti colendæ suppeditent. Appetitum gulæ, alioquin insatiabilem sic coercent, vt alij semel tantùm interdiu cibum capiant, alij in tertium vel etiam quartum diem ieiunent, idque contenti pane, herbis, & modico potu aquæ, & tamen in decrepitam vsque ætatem vitam producunt. Luxuriæ ardorem sic prorsus restinxêre, teste Cassiano, & ad tantam pu- 1. Ioan. 2.

Cass. loc. cit.

ritá-

ritatem animi & corporis peruenie
nullum amplius motum inordina
sentiant. & si necessitate aliqua
pulsi cogerentur de humana gene
ne cogitare, non plus commouere
quàm si de domus ædificatione
esset. Iracundiæ quoque pertur
nem vsque adeò cohibuêre, vt gra
mis licèt iniurijs & contumelijs la
nullum indignationis dent indi
imò vehementer gaudeant. De
passiones omnes eousque modera
& compositas habent, vt quantu
totus mundus sursum deorsumq
gitetur, illi tamen à tranquillæ me
suæ statu, quam cum voluntat
coniunctissimam retinent, detu
nequeant. In intimis cordis sui p
tralibus, tam admirandas sentiun
actiones & consolationes, vt licet
obruti, vel corporis morbis, vel ho
num persecutionibus, vel seculi
mitatibus, intus tamen summo gau
spirituali, quod exprimi non possit, p
fundantur & exultent, ac pace
perfruantur, conscientiæque seren
te, vt omnem sensum & intelligentia
humanam exuperare videantur.

Hæc est integritas & sensus spiri
lis, quę exercitio mortificationis acq

ritur. & quanquam homines huius seculi talia non experiantur in se, non idcirco debent ea in dubium vocare. Sic enim affirmant sancti, & testantur se ea in se & alijs reipsa expertos; & diuina Scriptura confirmat. Hi enim sancti, de quibus locuti sumus, tot cœlestis gratiæ donis ornati, sunt ille populus nouus tempore legis Euangelicæ spiritaliter in mundo à Deo creandus, de quo per Isaiam Deus ipse locutus est: *Populum, inquiens, istum formaui mihi, laudem meam narrabit.* Hi sunt, quos B. Paulus toties appellat nouas creaturas, quasi dicat: Populus quem ego creabo, perfectè meas laudes prædicabit. Et in Psalmis, *Populus, qui creabitur laudabit Dominum.* Hi sunt, quos B. Paulus toties appellat, *nouam creaturam.* Et de quibus alibi: *Primus homo de terra terrenus, secundus homo de cœlo cœlestis, qualis terrenus, tales & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes.* Quorū verborum hæc est sententia. Sicut Adam propter lapsum factus est infirmus, cupiditatibus terrenis addictus, sic & omnes eius filij: & sicut Christus peccatī expers totus fuit diuinis, & cœlestibus rebus addictus, sic & omnes eius filij per baptismum cum gratiæ eius donis renati.

Isaiæ 43.

Psal. 151.
1 Cor. 5.
Gal. 6.
1. Cor. 15.

CAPVT VIII.

Exemplis ostenditur naturam corruptam beneficio mortificationis reparari.

ETsi innumeris Sanctorum emplis demonstrari possit beneficio mortificationis hominis naturam ad pristinam integritatem quam in statu innocentiæ habuit, dammodo reuocari, tamen breuitatis studio, præcipua tantùm quædam, facilis coniectura sit de reliquo, memorabimus. Neq; id eò faciemus abstterreamus homines à virtutis dio, si videant se neque ad tantam fectionem attigisse; nec tantis viribus, vt sperent se posse ad illam limare; vel etiã vt authores simus quibus tentandi, quod omnem excedit facultatem: sed vt intelligat quanta sit mortificationis diuina tia fultæ efficacitas, quamque mirabi Deus per vtramque operatus sit in sanctis; expensaque diuina bonitate quæ in eiusmodi operibus gratiæ cescit magis, quàm in operibus natura amplius excitetur ad Deum O. M. to pectore amandum & colendum: ac pa terea, vt mortificandi studium accipi

in ijs, quæ conuenienter suis viribus poterit auxiliante Dei gratia præstare: nunquam enim, vt postea docebimus, cùm agendum erit de discretione, vsurpandæ sunt pœnitentiæ vel mortificationes quæ nostras vires excedant. *In hoc trā. par. 3.*

Nos quidem poterimus ex horum exemplorum commemoratione occasionem capere humiliandi nos, dum animaduertimus quàm longè absimus à perfectione Sanctorum: quæ res non exiguam nobis afferre potest vtilitatem Quæ enim fragilitas nostra est, admodum procliues sumus, si vel minimum opus bonum exerceamus, aut duriorem pœnitentiam assumamus, vt magnificè de nobis sentiamus, & tantùm non sanctuli videamur. Deinde B. Basilius optimam rationem & viam oppugnandæ superbiæ, & acquirendæ humilitatis esse affirmat, si oculos conijciamus in virtutes eorum qui nobis sunt meliores. hac enim consideratione efficitur, vt de nobis submissè sentiamus, & in notitiam clariorem veniamus heroicarum virtutum quibus sancti nobis præluxerunt.

In iustitiæ igitur originalis statu, quamuis homo diuina visione non frueretur, vt diximus, magnam tamē &

claram Dei nactus erat notitiam, q
que constãtem & continuam, eò q
nulla res posset eam impedire. An
mus exemplа eorum , qui bene
mortificationis eò peruenêre. Theo
retus Cyri Episcopus de sancto
Polychronio sic scribit , mortifica
se, inquit, aspero cilicio, vilique &
lius pretij vestitu ; tamque inope
tam agebat vt nec necessarium qu
semper haberet nutrimentum , a
ctem totam vigil in precibus stans
sumebat. Ad augendam autem m
ficationem habebat in cella inge
truncum è quercu, (quem fatetur T
doretus se ambabus manibus vi
tuisse tollere) hunc noctu diuque i
nebat humeris , & sic in oratione p
stebat. Paupertatem tanto studio
luit, vt existimaret quouis regno
gis expetendam. His alijsque id ge
exercitijs in extremam vsque æta
vsurpatis , ad tantam Dei notitia
continuamque rerum diuinarum
moriam peruenit , vt mentem à co
templatione earum diuellere non p
set. Quare & cum ijs, qui ad ipsum
inde ventitabant, paucis differens, n
poterat in animum inducere , vt co
tationem à cœlis deduceret.

In hist. relig. c. 24.

Palladius quoque Cappadociæ Episcopus scribit Macarium Alexandrinum mortificandi sui causa toto septennio nihil præter cruda olera vel legumina humectata sumpsisse, totis viginti diebus & noctibus tectum non ingressum vt somnum vinceret, cùm interdiu quidem æstu arderet, noctu verò algore rigeret. Deinde, cùm aliquando ei molestiam exhibuisset spiritus fornicationis, nudum sex menses sedisse in palude Scetes, quæ est in vasta solitudine, & à culicibus, quæ magnitudine æquant vespas toto corpore ita demorsum, vt videretur leprosus. Addit, eum ad humiliandum se solitum duorum modiorum sportam arena plenam humeris impositam per totam solitudinem deportare. His alijsque exercitationibus corporis tantam apud Deum promeruit gratiam, & ad tam sublimem & constantem peruenit Dei cognitionem, vt sæpè noctem cum die in solius diuinitatis continuaret contemplatione. *In hist. Lausiaca, c. 20.*

Habebat deinde homo in hoc statu rationem rectissimam, Deo in omnibus vsque adeò subiectam & morigeram, vt quamdiu in eo versabatur, nulla in re potuerit diuinæ repugnare vo-

luntati. Et hanc quoque rectitudi-
operâ mortificationis sancti quidē
secuti fuêre. Simeon Metaphra-
Sur. in Sept. narrat glorioſum martyrem, Seue-
num, contẽptis omnibus mundi op-
& in egenos erogatis, tanto in Deu-
more exarsiſſe, vt flagrante grau-
secutione ſponte ſe obtulerit Ethn-
iudicibus, qui in Chriſtianos ſæ-
bant, exiſtimans id diuinæ volun-
magis eſſe conſentaneum. Qua-
crudis neruis mox corpus eius di-
râunt, deinde trabi appenſum fe-
laniârunt vngulis, os faxis contu-
dentes euul-êre. Hinc è ligno dep-
tum deducunt in altum murum, c-
busque lapidibus maximis collo
dibus eius alligatis, funè cinctum
ro demittunt, vt lapidum ponder
uulſis membris violenter abrum-
animam. Verùm ſanctus ille mar-
ſic habebat in Deo defixam, vt hæc
que tormenta, quibus per aliquot
fuit excarnificatus, ne puncto quid
temporis eum à voluntate diuina
pararint, imò gaudebat & exultabat
illis, quia ſciebat id diuinæ placere
ieſtati. Vnde & in acerbiſſimis crucia-
bus fatebatur nullum ſe malum
formidare, niſi ſolùm peccatum, tot
mer-

mẽta autem se summoperè amare, eo q̃ coniũctissimum ipsum redderent Christo. Agnoscens quoque hanc voluntatis suæ rectitudinem esse à Christo, gratias ei agebat dicens cum Psalmista. *Gratias ago Domine, quod docuisti me ad prælium, & posuisti vt arcum æreum brachia mea.* Quæ verò maior voluntatis rectitudo, quæ maior submissio excogitari posset in homine mortali? *Psal. 17.*

Beata Catharina Bononiensis, vt se mortificaret in contemptu sui, & ab omnibus vilipenderetur, non solùm coram Confessario, sed etiam publicè sua peccata confitebatur, & manu sua conscripta relinquebat. Diu in oratione brachijs in formam crucis protensis persistebat. Aliarum religiosarum virtutes omnes imitabatur, & licèt plus omnibus se in ijs exerceret, tamen omnium vilissimã se reputabat. Voluntatẽ suã frangebat obsequendo summa prõptitudine in omnibus. Lætabatur iniurijs, optabatq; asperè & durè se à sua Superiore tractari, & grauiora quęque sibi imponi. Experta enim vtilitates, quæ inde manabant, dicebat, Omnem quidem obedientiam in rebus licitis esse bonam & fructuosam, sed optimam saluberrimãq; esse, quando aliquid arduũ *In lib. ab ipsa scripto. & in Chron. Franc. sc. p. 3. l. 4. c. 33.*

morosо vultu à superiore imperi
Hoc genere mortificationis tan
Alex. Hal. voluntatis rectitudinem consecutu
p. 4. q. 68. & tantum amoris diuini robur, v
q. 1. a. 6. obtemperandum diuinæ voluntati
rata esset non solùm omnes mundi
etiam ipsius inferni cruciatus perfe
si fieri posset. Atque vt desiderabat,
etiam à Deo toto pectore efflagitabo
inde maior Deo gloria, suæque am
profectus resultaret, etiam horribi
res pœnas sustinere, non quoad c
pam, quam maximè oderat & horre
sed quoad acerbitatem cruciatus.

a. Tho. p. 1. q. 6. Præterea in hoc innocentiæ st
homo carebat perturbatione iræ &
stitiæ, nec enim mala illa habebat, q
bus passiones excitantur. Hoc licèt
mirabile videatur, tamen aliud ma
ri admiratione dignum beneficio m
tificationis Dei gratia adiutæ hom
aliquãdo consequitur, vt licet obru
grauissimis calamitatibus, tamẽ nulla
tristitiæ, vel iræ affectione tangatu
Ait THEODORETVS quendam
hominem sanctum nomine Eusebium
consuêsse se mortificare gestando ci
gulum ferreum circa lumbos, & oculo
in terram abijciendo, vt nullam ex a
spectu cælorum vel camporum caperet
volu

voluptatem. Hoc mortificandi studio, ad frangendas cupiditates suscepto, tantam meruit à Deo animi mansuetudinem, vt nullis iniurijs licèt maximis ad iram accenderetur, sed velut benedictiones exciperet. Etsi solitudinis amans esset, cessit tamen, & captus retibus caritatis suscepit curam gregis, non multis rebus ad docendum opus habens. Cùm autem externi quidam ad eum audiendum (inter quos erat Theodoretus) conuenissent, Publius quidam sacerdos interuenit aduersus Eusebium vociferans, & commune damnum nominans illam leuitatẽ, & omnibus perniciem adferre dicens eius mansuetudinem, amentiam quoq;, non modestiam vocans summam eius Philosophiam. At ille habens animam veluti adamantinam, nec vultum his iniurijs mutans, nec sermonem institutum dimittens, leni voce, & verbis serenitatem animi significantiibus senem dimisit, rogans eum, vt eorum quæ vellet curam gereret. Quo digresso, rursum ad præsentes hospites, eadem tranquillitate, qua ante, sermonem conuertit; ac si nullo maledicto lacessitus fuisset.

S. Edmundus Cantuariensis Archiepiscopus, vt legimus in eius vita à gra- *Sur. in Nou.*

uibus auctoribus cõscripta, adhuc a
lescentulus mortificabat se gestãdo
licium, & ieiunando, idque crebro
pane & aqua. Grãdior autem factu
na ex setis equinis consuta, astring
lumbos, caligis vtebatur cilicinis,
carnibus, nec piscibus vescebatur, so
pane, vilique cibo contentus, sitim
usque tolerabat, nonnunquam vt la
dirumperentur, ad quietem nocturn
capiendam, nec lodicibus, nec strag
nec puluino vtebatur. Sed proprijs t
tùm vestibus tectus alicubi consid
idque per totos triginta annos fecit.
uectus deinde ad Archiepiscopatum
hil ab hac seueritate mortificandi
traxit, imò eam potius auxit, tantum
à Deo donum omnes animi pertur
tiones temperandi & subigendi co
cutus est, vt cùm sæpenumerò grau
mis afficeretur iniurijs & probris à c
pluribus, atque etiam ab ipso Rege,
suæ Ecclesiæ canonicis, nulla ira con
taretur, nullo mœrore tabesceret, se
potius ex intimis animi præcordijs ex
ultaret, ipsisque calumniatoribus tam
comiter & affabiliter rationem facto
rum suorum redderet, ac si eximio ali
quo beneficio ab illis donatus fuisset.

CA-

CAPVT IX.

Alijs exemplis confirmatur naturam per peccatum debilitatam per mortificationem reparari.

INter ea quæ maximè admiranda fuêre in ſtatu innocentiæ, fuit nominatim hoc, quod concupiſcentia carnis ſic fuerit rationi ſubiecta, vt homo in parte ſenſitiua nullum inordinatum motum experiretur, omnes enim ſenſus imperio parebant rationis. Hoc autem donum reparare poſſumus beneficio mortificationis.

S. Gregorius ſcribit S. Benedictum, cùm, antequam Monachorum pater eſſet, in eremo fraude dæmonis grauiſſima libidinis tentatione pulſaretur, ſollicitusque eſſet de auertendo tanto periculo, ſe veſte nudatum magno feruore in vrticas & ſpinas, quas ibi offenderat, coniecisſe, tamdiuque ſe in illis volutaſſe, donec omnis tentatio euanuiſſet: atque ex eo tempore ſic domitas ſenſiſſe animi paſſiones, vt reliquo vitæ tempore ab ijs fuerit immunis. *Lib. 2. dial. c. 2.*

S. Bonauentura quoque commemorat ſanctum Franciſcum initio conuerſionis ſuæ non minus graui tentatione afflictum ſe nudum abieciſſe *Bonau. in eius vita.*

in niues, ac mox eam ita perfectè en
ctam, vt de cætero nunquam fuerit
vlla carnali cupiditate infestatus. Co
mirabiliter se in hoc facto proditu
tificationis efficacitas, cùm videam
vno modo actu feruenti tantam à De
impetratam gratiam, vt non so
tātus libidinis ardor mox sit extinctu
tamque pestilens vulnus illicò sana
sed sanatum in omne vitę tempus. Q
res meritò inflammare nos debet
amplectendum hoc mortificationis
ercitium, vt quoties vel necessitas fe
fert vel opportunitas, feruidos aliq
eius actus, qui discretionis tamen li
tes non excedant, exerceamus, vel m
gnum aliquem contemptum conte
nendo, vel vehementem aliquem mo
coercendo & comprimendo; sic enim
fiet, vt magnam animi pacem tranqu
litatemque in diuturnum tempus exp
riamur.

Inter conditiones quoque illius st
tus erat, quòd homo licèt cibo opus
haberet, tamen appetitu tam ordina
to in illum ferretur, vt nihil amplius
sumeret, quàm necessitas postulasset,
vel rationis dictamen, diuinaque vo
luntas præscripsisset. Hoc donum vi
demus in sanctis & perfectis hominibus

bus restitutum opera mortificationis.

Beat. Gregorius Nazianzenus refert Basilium magnum consuesse se mortificare humicubatione, & vnius tunicæ attritique pallij gestatione, atq; etiam nocturnis ad somnum vincendum in oratione vigilijs. In cibo sumendo eam gratiam consecutus est frequentatione ieiunij, vt non solùm supra triduum inediam produceret, diuinis intentus sermonibus, verùm etiam tam longè abesset à captanda in cibis voluptate, vt solatium ei esset, nullam percipere delectationem in cibis. *Greg. & Amphil. in eius vita.*

De sancto presbytero Isidoro ait Palladius, eum mortificasse se non vtendo linea ad carnem veste, abstinendo ab esu carnium, & nunquam saturum à mensa discedendo. Quibus, alijsque exercitijs sic refrenauit edendi cupiditatem, vt crebrò, quo tempore necessarius victus sumendus erat, vel in ecstasin mentis abriperetur, vel multam lachrymarum vim effunderet, rogatusque, cur illachrymaret, respondit, se summo pudore suffundi, quòd cùm homo à Deo conditus sit ad vescendum cibis cœlestibus, imò ad perfruendum Deo in voluptatum paradiso, *In hist. Lausiac.*

diſo, tamen contra omnem ratio
inſtar belluæ ſe abijciat ad paſtum
renum.

In ſtatu Innocentiæ homines
omnis timoris humani expertes,
nullus erat, qui nocere eis vellet,
poſſet. At mortificationis ſtudio
cti homines ad maiorem perfectio
perueniunt, nempè, vt licet non de
qui nocere & incommodare velint,
men timore vacui maneant. Sic en
voluntatem ſuam coniunxerunt, &
formârunt cum voluntate diuina,
parati ſint omnia mala perpeti tem
ralia, diuina eius manu permiſſa, pr
ſcilicet conſcij, creaturã nullam ſibi
la re incommodare poſſe, niſi volun
diuina acceſſerit.

In eius vita. Seuerus Sulpitius narrat S. Mart
num in hunc modum ſe mortificaſſ
Vili induebatur tunica etiam poſtq
Epiſcopatum inijt, carnem aſpero co
mabat cilicio, nunquam in excelſa c
thedra ſedebat, ſed in humili ſcabell
Ante Epiſcopatum proprio famulo c
ligas detrahebat, calceamenta mu
dabat, menſæ eius miniſtrabat. Poſ
quam verò factus eſt Epiſcopus ipſe co
uiuis ſuis aliundè venientibus aquam
in manus fundebat, ipſe pedes eorum

laua-

lauabat. Contemptum sui tantoperè amabat, & quærebat, vt Sanctus Hilarius, quo eum diutius secum retineret, nec Sacerdotem, nec Diaconum eum consecrare voluerit: sed tantùm Exorcistam, quòd munus erat iuuenum, & seniores dedecebat. A Presbytero quodam ministro suo grauissimis sæpe iniurijs iam Episcopus lacessitus, (appellabat enim illum insensatum, impostorem & superstitiosum) solo patientiæ clypeo se defendit. Iniurias alijs illatas castigabat, suas ita negligebat, vt nec irati animi indicia vlla proderet. Sciebat enim se ampliorem fructum ex illis patienter tolerandis, quàm vlciscendis relaturum. Atque hoc genere exercitationum tantam cõtra omnem metum humanum victoriã nactus est, vt cùm aliquando in itinere incidisset in latrones, atq; vnus iam securim in eius ceruicem vibraret, ille metu vacuus ictum paratus fuit excipere. Quo facto latronum alter permotus, rogauit sanctum Dei, an non timuisset? ille verò respondit, nunquam se magis fuisse securum, quàm tunc.

In historia S. Elezarij Comitis Ariani, legimus eum licet coniugatum & nobilissima stirpe editum, tamẽ cilicio *Surius in Septemb.*

corpus

corpus afflixisse, & in eo dormitu
cum esset corpore sanus, crebrò ie
nasse, & catenula ferrea se diuerbera
quibus medijs tantam à Deo obtin
gratiam, vt in omnibus mundi perici
lis fuerit imperterritus. Aliquando
mari iter faciente, tāta obortaest tem
pestas, vt malus nauis cum artæmo
diffringeretur, vela discerperentur, v
ctores omnes vlulatibus, desperatisq
vocibus omnium aures complerent,
ille formidine omni remota orati
vacabat. Rogatus deinde, an timuiss
respondit se nec tunc, nec aliâs vllu
genus mortis timuisse, sed se totum di
uinæ voluntati commisisse, paratu
que fuisse, vt alijs saluis, fluctibus ha
riretur.

In hist. reli. s. 6.

In statu iustitiæ originalis omn
animantia', quantumuis fera, homini
imperio erāt subiecta. Idem obtinue
multi sancti vi mortificationis. Theo
doretus scribit admirandum monachu
Simonidem, mortificandi sui causa, s
in spelunçam inclusisse, & orationi no
ctu diuque, omnibus commoditatibus
humanis exclusis, vacasse, solisque her
bis victitasse: vnde à Deo gratiam ob
tinuit, vt bestiæ ad nutum illi parêrent.
Cùm aliquando in eum incidissent via
tores,

tores, qui à recta via aberrârant, cupe-rentque sibi eam demonstrari, iussit eos præstolari, donec bini leones accurrerent, qui accepto mandato magna mansuetudine duces se itineris illis præbuêre, donec rectam viam attigissent.

In historia Ordinis Minorum refertur magnum quendam seruum Dei nomine Innocentium de S. Angelo, insignemq; verbi diuini concionatorem, ad mortificandam honoris cupiditatem, se, quantum honestas patiebatur, omni veste spoliasse, oneratumq; allijs & cæpis per vias vrbis, in qua concionabatur, incessisse. Quod quia ille fecerat causa expugnandæ vanæ gloriæ, zeloque se mortificandi, factum est, vt populus nullum inde scandalum acceperit, sed maiori eum amore & honore deinceps fuerit prosecutus. Deinde ad tantam vitæ puritatem hoc exercitij genere peruenit, vt videretur ad primæ innocentiæ statum reuertisse. Nam auiculæ illi obsequebantur, auolando vel aduolando quoties vellet, cantando item, & lætitiæ varia signa vna cum ipso demonstrando, ac tandem accepta eius benedictione discedendo. His aliisque similibus exemplis, quæ in lege Euan-

Patre 3. li. 8. cap. 36.

Euangelica, vt diximus, ſuntinna-
ra, Deus declarare voluit mortifica-
nis virtutem. Vnde duo hauriepo-
mus documenta : Alterum eſt, q
hinc facilè intelligamus ſummam
ieſtatem, & ſublimitatem legis Ev
licæ, quippe in qua talia efficit mor
catio, qualia in nulla alia ſecta ve
efficiuntur, vt ſtatim declarabitu
Alterum eſt, magno animi ardo
ſtudio complectendam eſſe hanc m
tificationem, omnesque corrupta
turæ noſtræ cupiditates frangendas
paulatim ſanetur, & cum puritat
promptitudine ea faciat, quæ Deo
dicat gratiſſima. Conſtat ſanitat
corporalem exigui eſſe pretij, & par
diuturnam, ſic vt multis vtilior ſit
firmitas; & tamen appetitum noſtr
comprimimus, & ſeuerè mortifica
abſtinentia cibi & potus, inedia lon
amaris potionibus, & duris cauter
ad ſanitatem recuperandam, idque c
dimus iuſtiſſimæ rationi eſſe conſe
taneum : quanto iuſtius ergo nos mo
tificamus, abſtinendo à rebus ſecu
dum carnem amatis, & corpus ſeu
rius tractando, ad recuperandam an
mæ ſalutem, cuius tam immenſum
pretium eſt, vt vel vnus gratiæ, in qu
ſalu

salus consistit, gradus, plus valeat, teste S. Thoma, vniuerso mundo, omnibus corporibus cœlestibus, totaque natura humana, & angelica, si gratiam secludas. Quantumcunque enim exigua sit gratia, tamen diuinæ naturæ, meritorumque Christi consors est, & quoad durationem quodammodo exæquatur æternitati Dei. Eius siquidem beneficio ab ipso Deo obtinetur & corporum immortalitas, & gloria animarum in sempiternum duratura. O quantum quæstum facimus quocumque mortificationis actu diuinæ gratiæ innixæ, nam cum illa, pariter augescit nostra salus. O quam sapientes & prudentes sunt, qui ita faciunt; parent enim monito Christi, æternæ sapientiæ, dicentis per Sanctum Ioannem, *Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*. Qua autem moderatione hæc exempla sanctorum sint imitanda postea tractabimus.

1.2.q.114.a.9.*ad primũ.*

In hac tra. p.3.

CA-

CAPVT X.

Mortificationis beneficio non sanari ne corruptionem, vel animi perturbationes euelli, nisi in fidelibus.

VT intelligamus clarius, v mortificationis virtus tan efficaciam consecuta sit, pl que eam faciamus, & Christo Dom dignas pro tanto beneficio gratias pendamus, operæ pretium factum demur, si exponamus, quemadmod omnibus huius mundi sectis & ctionibus homines sapientes, & p dentes extiterint, qui se in mortifi tionis, quam rationi consentane lumine naturali intelligebant, stud exercerent; licet nullus eorum, q fidei verè expertes fuêre, eius benefic vel fœlicitatem æternam, vel victor humanarum passionum sit assecutu Etsi enim imperfectas quasdam virtu tes, vel potius virtutum vmbras, no tamen perfectas virtutes, & omnibu numeris absolutas attingere potuerü suo enim vitio gratiæ diuinæ donu repulerunt, sine quo nullus aditus a culmen virtutum patet. Cuius rei illa causa videtur, quia quoties operam de-

bant

bant coercendæ alicui perturbationi, non id faciebant solo amore virtutis, aut vt Deo, id per lumen naturæ suggerenti, obsequerentur, sed amore nimio sui, humanarumque laudum. Itaque vitium vitio, & passionem passione expugnabant, haud secus, atque is, qui furandi cupidus, à furto abstinens, ne si deprehendatur publicè pudefiat, cupiditatem furandi vincit cupiditate honoris sui: vnde si metus hic absit, furatur quantum potest. Sic prorsus vsu venit Philosophis, Ethnicis, & alijs huius mundi sapientibus, qui vt erant homines, ingenio & prudentia præstantes, maximi faciebant honores, & summam existimationem apud homines. Vnde quoties se offerebat materia ardua & difficilis, inclinationique naturali contraria, si ex ea videbant redundare magnam apud homines laudem, & opinionem virtutis, in ea se strenuè etiam cum periculo valetudinis, fortunarum, & aliquando vitæ, exercebant; si verò nulla spes honoris affulgebat, illico deserebant tanquam inutilem. Confirmare id facilè possumus Græcorum Romanorumque, qui opinione omnium sapientissimi, virtutumq; studiosissimi habiti sunt, exemplis, idque

ex auctoribus grauissimis tam Christ
nis, quam Gentilibus, qui hoc argum
tum sunt persecuti. Faciemus aut
breuissimè, conuenienter scopo, ad q
collimamus.

Socratem imprimis constat om
bus Græciæ Philosophis ob doctri
sapientiæq; moralis studium fuisse
telatum, & oraculi loco habitum,
In Phædon. quo Plato eius auditor in hæc ver
scripsit: Socrates mortalium omnium
quos nos cognouimus, sapientissimu
æquissimus, & optimus extitit. Exer
ciabat se tolerando frigus, nudis pe
bus per niues incedendo, & parcè
ctitando. Immotus cœlo immitis
vno solis ortu ad alterum eodem lo
persistebat, vestitu vtebatur vili, lac
ro, & peruetusto, iniurias & contum
lias vxorum suarum, quas habebat, q
lotio illum, alijsque sordibus nonnu
quam perfundebant, tam æquo anim
ferebat, vt etiam dissimularet, se ab
lis læsas. Docuit fugiendas voluptates
cibum ad saturitatem non esse sume
dum, à lautitijs abstinendum, potu
m sumẽdum, qui primò occurre
Plato in Cõ- hæc qui facerent, & paruo contenti
uiu. Diog. in rent, Dijs esse proximos. Hæc de Socra
vita Socrat. te Plato, & Laertius.

Quòd

Quòd autem Socrates hoc mortificandi exercitio, gratia diuina deditus, neque restituerit naturam, neque animi affectiones efficaciter perdomuerit, sed vivas & intimis præcordijs inhærentes reliquerit, inde clare liquet, quia alijs in rebus, alijsque temporibus, cum nulla captandi honoris humani se offerret occasio, plurimum indulsit animi perturbationibus, rationisque limites transgressus est. Esto, ingenti inedia sitique nonnunquam se discruciarit: at aliâs crebrius in omne genus intemperantiæ se effundebat, totasque noctes insomnes inter pocula, cùm tamen socij hauriendis calicibus fessi, cubitum concessissent, traducebat. Ita testantur veteres scriptores, quos sequitur Theodoretus. Et Plato, in dialogo quodam disertè commemorat, eum mensæ accumbentem, quoties ad potandum vrgeretur, plus alijs bibisse; nec tamen, quod mirandum erat, inebriatum fuisse. Tum aliquando quidem æquo animo contumelias irrogatas tolerabat, sed aliâs ira & furore totus exardescebat? Nonnunquam placidè & sapienter; cum omnis molestia abesset, homines alloquebatur; at quoties re aliqua offensus

lib. 12. de cur. græc. affect. Plat. in Con.

erat,

erat, asperrimis verbis eos excipie
Ita affirmat Porphyrius, qui fuit
Theo. l. cit. tonicus, & testimonio Aristotelis,
vitam Socratis scripsit, confirmat.
inde si quando iniurias patienter
bat, non obscurè indicabat se id au
pandæ gloriæ causa facere. Nam, re
Laer. in eius vita. fert Diogenes Laertius, cùm mira
tur quidam eum calce percussum, n
lum irati animi signum dedisse, resp
dit, quid facerem, si bestia me calc
Theo. l. cit. rijsset? num intendissem ei litem? Q
responso indicabat, se ideò patient
ctum sustinuisse, quod auctorem co
temneret, & pro bestia haberet. Q
item mulierum probra perfricta fro
perpessus sit, non aliunde profect
est, quàm quod probris causam de
rit: nam si quando illæ inter se cont
derent, non ad concordiam eas coh
tabatur, sed otiosè rixantes spectaba
irridebat, atque ita earum iras in su
caput conuertebat. Arrogantiam qu
que suam palàm declarauit, quando,
In apologia pro morte Socratis. refert Plato, coram iudicib. Athenie
sib. iactauit se oraculo Apollinis mo
talium omnium sapientissimum iud
catum, & confessus est ita esse, seq
multis & varijs hominum ordinibus
& statibus re ipsa comprobasse, ipsos
nihil

nihil scire, se autem scire multò amplius: illos siquidem, cum nihil scirent tamen arbitratos fuisse se aliquid scire, se verò & nihil scire, & scire quod nihil sciret. Dixit etiam iudicibus, auctore M. Tullio, se maximos meruisse honores. Quibus dictis magnam certè animi vanitatem ostendit, quam & inter ipsos gentiles prudentissimi quiq; notârunt, & palam suggillârunt, teste Laertio in vita eius, & Lactantio in diuinis institutionibus, nec mirum. quid enim erat Apollo, cuius responso sapientissimus dictus erat, nisi idolum per quod humani generis summus impostor, & mendacij pater diabolus loquebatur? *Lact. l. 3. cap. 10.*

Plato, qui Socrati successit, & virtutis sapientiæque fama suo æuo fuit omnium celeberrimus, vnde & diuinus appellatus est, mortificandi quoq; studium coluit. Nam temperatè & sobriè viuebat, persæpè semel tantùm in die cibum sumebat: opes contempsit, patrimonium enim suum alioquin copiosum reliquit fratribus, & honores in Repub. nunquam ambiuit. Iniuria affectus à Dionysio Siracusano, non se vindicauit. Atque hæ sunt virtutes, quas ei tribuunt in vita eius Diogenes

Laertius, & Marsilius Ficinus. Ver
manifestum est, etiamsi hæ laude
eo dicantur, nunquam tamen eum e
caciter refræ nasse animi passiones
nim licet aliquando parcè esitârit,
men crebrò in intemperantia excr
Lib. 4. græc. affect. vt testatur Xenephon, Porphyrius, &
Theodoretus. Sæpè nauigabat in S
liam, vt illius regni delitijs, splendi
que & opipara Dionysij Regis Sy
mensa frueretur. Cum quo congr
quod Laertius scribit, eum docui
cum dies Baccho sacri aguntur, conu
niens esse, vt vsque ad ebrietatem p
tetur. Quod ad iræ perturbation
attinet, tam erat iracundus, vt m
tem eousque ratione omni destitu
ret hæc affectio, vt non auderet
stigare famulorum suorum lapsus,
mnibusque, qui irato in oculos ince
rebant, repugnabat, vt idem Laert
In eius vita. memorat. Vani hominum timo
seruus fuit, & mancipium, nam cu
agnosceret, vnum tantum esse Deu
& grauiter hallucinari, qui plures v
nerarentur Deos, tamen ausus non f
idololatriæ crimen reprehendere.
Lib. 5. diu. instit. c 15. Theod. l. 3. fuisset, inquit Lactantius, iustitiæ d
fensor, omnem operam locare debui
set in euertenda falsorum Deorum s

perfi

perstitione. Verùm non solùm non illud præstitit, sed etiam hominum metu multis idololatris fauit. Quare & in libris suis ac epistolis nõ Dei, sed Deorum nomen, vt alij, vsurpabat. Ac in libro de Republica permittit Dijs erigi statuas ligneas & lapideas, ac, vt docet sanctus Augustinus, etiam sacrificia ijs facienda censuit, dicens ea in re credendum esse Poetis. Quare non dubitat beatus Chrysostomus eum inter Idololatriæ patronos numerare. Denique ex omnibus, quæ fecit vel scripsit contra bonos mores, facilè apparet, quamuis nonnullam aduersus perturbationes animi pugnam habuerit, nunquam tamen è pugna retulisse victoriam, quia neque pugnauit, vt debuit, neque donorum naturalium, quæ à Deo acceperat, præsidio ita vsus est, vt impetrare à Deo posset, & notitiam supernaturalem, & diuinam gratiam perturbationes expugnandi.

græc. affect.
Aug. l. 8. de ciuit. c. 12.
Plat in Tim.
Chrys. in c. 1. ep. ad Rom.

* *
*

CAPVT XI.

Aliis exemplis idem declaratur.

EX omnibus gentilium Philosophis; qui mortificandi se studio dediderint, primas facilè obtinuit Diogenes Cynicus. Vescebatur enim herbis & carnibus crudis, veste abiecta & vili vtebatur, domus & lecti loco contentus veteri dolio, quòd in quamcunque partem, si nimius æstus solis eum adureret, volutabat. Hyeme nudis pedibus calcabat niues, & statuas niue coopertas amplectebatur. In peragstabat scutellam duplicem, alteram cibi, alteram potus sumendi causa. Cumque fortè conspexisset puerum manu haurientem aquam, & alterum cibum capientem è crusta panis, mox vtramque scutellam abiecit, tum vt pauperior esset, tum ne à puero victus videretur. Pluuio cœlo imbres etiam maximos excipiebat, vt madesceret totus. Et tamen per hæc mortificationis exercitia, ne vnam quidem in se peruersam cupiditatem domuit: quemadmodum liquidò cæteri eius mores declararuerunt. Nam eos, qui ad iracundiam ipsum prouocassent, per omnes vrbis vicos infamabat, absentibus detrahebat,

Laert. in vita.

bat, præsentes aculeatis dictis perstringebat, gaudebat salibus & iocis, aliaque indigna faciebat, quæ honestæ aures non ferant. Quo exemplo satis indicauit, se omnia sua fecisse aucupandæ apud homines vanæ gloriæ causa, & non ad refrænandos animi affectus. Quod non ignorauit Plato, qui cum aliquando animaduertisset homines commiseratione eius motos, quòd sineret se densis perfundi imbribus, in hæc verba eos est allocutus: Si vos miseret illius, abscedite, nec amplius in eum oculos conijcite. Indicans illud eum fecisse honoris captandi causa, nec facturum fecisse, si defuissent spectatores.

Inter Romanorum optimos, & virtutis, de qua agimus, studio communi hominum fama deditissimos fuêre duo Catones: hi enim quasi prodigia quædam prudentiæ, & veræ virtutis extitêre, & tamen tota sua viuendi ratione apertè demonstrârunt se nullam animi perturbationem superasse. Cato Maior, dictus Censorius, qui fuit Romæ Consul & Censor, mortificabat se temperatè comedendo; nam in cœnam non sinebat inferri cibos coctos. Vestitus ei erat vilis, & habitatio vulgaris, *Plut. in vita Cat maioris.*

manibus suis prædia sua colebat, ne aliud vinum, quàm operariorum suorum, bibebat. Cumque more receptum esset, vt Prætores in lectica vehebantur magno apparatu, & hominum comitatu veherentur, ille Prætor factus, omni pompa repudiata vno ministro, quem apparitorem vocant, contentus, in publicum processit. Planum verò est eum parum hoc mortificandi genere profecisse. Consueuerat enim, teste Plutarcho, facta sua laudare, & in cœlum tollere, aliorum contemnere, ac penitus deprimere. Mancipia, quæ per omnem vitam illi seruierant ob deuexam ætatem, facta inutilia domo exturbabat, vel vendebat, quod erat summæ inhumanitatis; ancillas item è corpore quæstum facere sinebat. Atque ita cupiditate honoris mundani, & pecuniarum, passiones alias vincebat. Cato verò Minor, Vticensis dictus, & Censorij nepos, qui præcipua quæque officia in Romana Republica gessit; se in hunc modum mortificabat. Non vtebatur purpura, velut alij eius æquales, sed veste simplici, sæpè domo exibat, sine calceis, nonnunquam etiam sine tunica, vt quando aliquò proficiscebatur, socioque equitante incedebat pedes;

Cœlo

Cœlo præfrigido nudo capite foras prodibat: Quo tempore magistratum gessit, nulla munera accipere voluit; nec vllam in se suscipere functionem publicam, nisi cognitis & exploratis prius eius legibus, & conditionibus. Quæ omnia, fertur feciſſe non ob gloriam vanam, sed quia rationi parēdum esse censuisset, contemptumque hominum contemnendum. Quare & in tanta existimatione fuit apud Romanos, vt quoties sanctum aliquem ἀντωγωνιστὴν appellare vellent, nominarent alterum Catonem. Neque tamen hac exercitatione vnquam id consecutus est, vt passiones rationi haberet subiectas. Nam, vt habet Plutarchus, notatus fuit de potus intemperantia, nimioq; sumptuum superuacuorum excessu, & coniugem proprjam mutuo dedit Hortensio amico suo. Tanta quoque eius fuit arrogantia, vt cum degeret Vticæ in Africa, & Iulio Cæsare ad Imperium euecto Vticenses eo legato vti cuperent ad Cæsarem, rogatum, vt noxias pristinas eis condonaret, respondit, vt amandarent in hanc rem, non se, sed alios, se siquidem non modò non esse inter victos numerandum, sed etiā toto vitæ cursu ob virtu-

tum cultum victorem Cæsaris ent
se. Vnde ne videretur ab eo victus,
eius fauore & clementia opus habe
ex desperatione sibi ipsi gulam p
scidit.

Ex his tãtorum virorum, apud Ge
tiles virtutis nomine celebratissim
rum exemplis, perspicuè liquet, ex
Christi Ecclesiam fuisse quidem ex
citationem aliquam mortificatio
sed non tantam, quanta necessaria e
ad extirpanda vitia, eorumque fibr
& radices, animi, scilicet, passione
sicut alicubi benè obseruauit Bea
Bonauenturã, dum scribit, priscos Ph
losophos, vt Platonem, & reliquos,
iamsi multa de Deo, & virtutibus v
tati consentanea eruditè tradiderin
tamen remansisse in tenebris, nec v
lam verã virtutem assecutos esse. Na
ad veram virtutem requiritur primu
recta intentio, vt quærat Deum; qu
illi caruerunt: deinde, vt animi morb
hoc est, peccata & prauæ propensio
sanentur: sanare autem nemo se po
test, nisi cognoscat naturam morbi, v
rum medium, & medicinam. At Ph
losophi, nec grauitatem morbi sui, n
medicinam, nec mediatorem vent
rum agnouerunt. Loquitur autem
Bon

In lib. luminar. Eccl. sermon. 7.

Rom. 7.

Bonauentura, non de eo, quod consequi poterant Philosophi, si lumine naturali, diuina adiuuante gratia, rectè vsi essent: (nam si fecissent, quòd secundum vires naturæ potuissent, Deus neque lumen, neque auxilium negasset ad veras perfectasque virtutes agnoscendas, accipiendasque, sicut non negauit Iob, alijsque gentilibus:) sed loquitur de eo, quòd reipsa euenit, nempe eos ideò pristinis vitijs & passionibus inuolutos mansisse, quòd non se comparârint, vti poterant, ad accipiendum fidem & gratiam venturi mediatoris Christi. Vnde rectè dicit Lactantius, Fuisse magistros virtutum, quibus ipsi carebant. Si enim diligenter expendamus eorum vitam & mores, deprehendemus eos fuisse obstinatos, arrogantes, iracundos, curiosos, & libidinosos, qui sapientiæ specie & titulo sua obtexerint flagitia, domiq; fecerint, quod publicè reprehendebant in scholis. Confirmat id Lactantius M. Tullij testimonio, qui vt ex illorũ numero erat, ita ingenuè fatetur sic se rem habere. *Lib. 3. diuin. instit. c. 15.*

Neque exigua vtilitas est, huius rei veram habere notitiam, quippe cum in ea clarius eluceat virtus diuina in lege

Euangelica declarata, quæ lex ma
stissimum testimonium veritatis
nobis subministrat. Liquidò enim
tare possumus, cur, cùm illi mundi
pientes per omnem vitam mortifi
tionis exercitium coluerint, nulla
tamen virtutem assecuti sint, nullam
passionem animi domuerint: & co
trà, cur in Ecclesia Christi Christia
exercendo eandem mortificationem
secundum doctrinam legis Euange
cæ, & veras virtutes consecuti sint, o
minibusque perturbationibus perfec
imperârint, in omni vita, quacunq
occasione humillimi, mansuetissim
& patientissimi. Quam perfectam v
ctoriam, & aliquando tempore brev
simo, imò etiam vno actu feruen
mortificationis adepti fuêre: vt pate
ex conuersionibus subitis, admirandi
que quorundam flagitiosorum homi
num in magnos sanctos. Vnde perspi
cuè sequitur, Deum esse, qui beneficio
mortificationis illa effecerit, sicut so
lius Dei est facere homines perfectè iu
stos & sanctos; imò, vt loquitur S. Tho
mas, nullum est Dei opus maius in mu
do, in quo illustrius sapientia & bon
tas diuina resplendeat. Quare mortifi
catio Philosophorum fuit solius vir

tutis

tutis naturalis opus, quæ sanare animã non potest: Christianorum autem opus gratiæ supernaturalis, ab infinita Dei potentia profectum, atque ideò & penetrauit animam, & sanauit, & ab omni vitio passioneque inordinata purgauit. Quæ non eo fine dicuntur, vt indicetur hac vel alia ratione euidenter veritatem fidei demonstrari, (fides enim non nititur humanis rationibus, sed solo Dei verbo) sed quod, qui rationem penetrat, euidenter cognoscere possit, id quod Christiana fides docet, credi debere, quandoquidem tales effectus mortificationis in solo populo Christiano deprehendimus, & idcircò nec aliũ vendicare auctorem, quam Deum, vt diximus.

Iam verò non solùm mortificationis Euangelicæ efficacia mirabilis elucet, ex comparatione facta cum mortificatione Ethnicorum, sed etiam ex comparatione eorum, qui in lege vel naturæ, vel scripta sanctitatis nomine celebres fuerunt. Ac miranda quidem hæc res est, & consideratione dignissima. Habuit enim omnibus seculis Deus homines quosdam iustos & sanctos, qui ante aduentum filij Dei in mundum crediderunt eum venturum, gra-

tiæque eius participes fuerunt. Hi
uerissimè sanctæ huius mortificat
nis exercitium coluêre, vt annota
Sanctus Paulus de veteris testamen
Heb. 11. Patribus. *Circuierunt*, inquiens, *in mol*
in pellibus caprinis, egentes, angustiati, affl
quibus dignus non erat mundus, in solitu
nibus errantes, in montibus, & speluncis,
in cauernis terræ. Et quamuis hi fide
Christum venturum, & dictis alijsq
sanctis exercitationibus veras virtu
obtinuerint, passionumque suarum
victoriam; tanta enim virtute prædi
ti erant, vt Apostolus iam dixer
mundum eorum conuersatione d
gnum non fuisse: tamen residuæ er
in ijs quædam imbecillitates, vt hom
num timor, metus tribulationum
horror crucis, quibus satis declarabat
se non plenè & perfectè perturbatione
omnes coercuisse. Quanto metu co
cutiebatur Patriarcha Iacob in aduer
Gen. 32. tu fratris Esau? Quàm trepidabat, &
excruciabatur Moyses in onere gube
Num. 11. nandi populi Israheliticì à Deo impo
3. Reg. 19. sito? Magnus Propheta Elias, cùm a
mortem Iezabel quæreretur, quanta in
afflictione fuit, quàm intimo anim
sensu à Deo petijt vitam cum mort
Ierem. 37. commutare? Ieremias Propheta licet
in-

in vtero materno sanctificatus, quantoperè horrebat carcerem, quantoque dolore eum apud Sedechiam regem deprecabatur? Si Iob quoque & sanctus Tobias quamuis admirandam in tolerandis afflictionibus ostenderint patientiam, tamen quantam inter eas sensere molestiam? At in legis Euangelicæ sanctis videmus tam perfectè omnem humanum metum excisum & mortificatum, vt non modò non angerentur in afflictionibus, non horruerint carceres & tormenta, sed etiam omnis generis cruces amârint & optârint, ad vincula & mortem perferendam se vltrò obtulerint, ac in acerbissimis supplicijs exultarint: Hæc beneficio mortificationis ideò efficiebantur in noua lege, nõ autem in veteri, quia post mortem & passionem Christi, Deus per hoc medium & alia, vberiorem gratiam, donorumque spiritualium ampliorem copiam communicauit fidelibus. Christus enim sua morte promeruerat illam liberalissimam effusionem Spiritus sancti in die Pentecostes peractam.

Iob 3. & 6.
Tob 3.

Rom. 3.
2. Cor. 1.
Hebr. 2.

Hanc virtutis diuinæ, quæ in lege Euangelica est, notitiam haurire possumus ex mortificationis sanctæ effectis, quæ neque in sapientibus huius sæcu-

ii, neque in veteris testamenti sanc
deprehensa fuêre: ac pariter intelliger
quanti beneficij loco habere debeamu
quod Deus Euangelicæ mortificatio
tam mirificam vim & efficaciam attri
buerit perfectè subijciendi omnes ani
mi perturbationes, & multa cœlest
charismata accumulandi. Quis iam no
animetur ad fugienda omnia commo
da & blandimenta corporis, ad ample
ctendas pœnas, carnisque propriæ affe
ctiones? Sapientissimi Gentilium ab il
lecebris quas naturaliter amabant; a
abstinebant, inediam, frigora, nives
paupertatem æquo animo tolerabant
ad captandam virtutum vmbram, ver
que sapientia destitutos existimabant
qui id non facerent: quantò magis in
lege Euangelica ad faciendum est, vbi
ad veram virtutem sapientiamque con
tenditur, ac exiguo labore cum gratia
diuina coniuncto perfecta obtinetur
passionum victoria?

CAPVT XII.

*Quòd homo beneficio mortificationis satisfa
ciat pro noxis admissis, & à promeritis
pœnis liberetur.*

QVoniam homo dum peccat, aut
voluptatulam quandam venatur,

quam

quam non deberet, aut refugit pœnam, quam suscipere fas erat; diuina iustitia voluit, vt ad satisfaciendum pro culpa, & ad animam debito ordini restituendam se ipse mortificaret, abstinendo ab rerum quarundam licitarum vsu, quæ oblectare poterant, & pœnam aliquam tolerando, quam poterat licitè declinare. Id beatus Gregorius declarat his verbis: *Cogitandum summopere est, vt qui se illicita meminit commisisse, à quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc Conditori suo satisfaciat, vt qui commisit prohibita sibimet ipsi, abscindere debeat etiam concessa.* Hortabantur siquidem quondam sancti Patres ipsos pœnitentes, vt ad satisfaciendum Deo, & ad expiandam offensam non modò à peccandi consuetudine discederent, verùm etiam contrarijs operibus virtutum Deum iratum sibi reconciliarent. Vnde sanctus Chrysostomus. Quemadmodum, inquit, sauciato non satis est telum vulneri exemptum, sed præterea opus habet chirurgi cura; sic in crimen lapso post confessionis & absolutionis antidotum necesse est fructus dignos pœnitentiæ adiungere. Declarans autem, cuiusmodi esse debeant fructus, subijcit; Car-

Greg. ho. 34. in Euang.

Aug. de vera & falsa pœn. c. 15.

Tertull. con. Phyth.

Chrys. hom. 3. oper imperf. in Matth.

nem

nem tuam nimio cibo & potu pe
temperantiam oneraſti? caſtiga eam
ueriore ieiunio & aquæ potu. Ocul
venuſtarum rerum aſpectu æquo pe
lantius oblectaſti? coerce deinceps illo
& vſu coniugij etiam licito, quo
potes, te priua. Verbis factiſve inim
affeciſti proximos? nunc labora, vt om
nibus maledicentibus benedicas, & b
neficijs etiam tibi eos deuincias In
dem ſententiam B. Ambroſius alic
alloquitur virginem lapſam: *Ampu*
tur, inquiens, *crines, qui per vanam glori*
occaſionem luxuriæ præſtiterunt. Defluan
culi lachrymis, qui maſculum ſimpliciter no
aſpexerunt. Palleſcat facies, quæ quondam v
ruit impudicè. Denique totum corpus ieiu
maceretur, cinere aſperſum & opertum cilic
perhorreſcat, quia malè ſibi de pulchritudi
placuit. Ita Ambroſius.

Ambr. ad virg. c. 8.

Hanc doctrinam proculdubio Deu
ſcribit in cordibus verorum pœnite
tium: nam quando anima hominis
Deo illuminata ſeriò expendit, quid
peccando fecerit, vt quod ob breuem &
vilem voluptatulam diuinam maie
ſtatem contempſerit, illumque, cui
ſummum amorem & gloriam, ve
pote infinito bono, imò omnium bo
norum fonti, debebat, quaſi calce abie
ce-

cerit, ac creaturæ è nihilo factæ, quæ pura vanitas est, omnium rerum creatorem posthabuerit: adhæc dum considerat, quoties sempiternas inferni meritus sit pœnas, & quod peruersæ corporis inclinationes perpetuò ipsum ad omnia mala exstimulârint, in seipsum sancta quadam indignatione accenditur, atque ad tuendum diuinæ iustitiæ honorem, vindicandosque temerarios lapsus suos, sedulò cogitat, quàm crucem singulis membris deinceps imponere velit, vt verè carnem crucifigat cum concupiscentijs suis. S Paula Romana aliquando corporis delitijs nimium indulserat; at postquam Deus ei oculos mentis patefecit, vt commemorat sanctus Hieronymus, grauiter corpus afflixit, mollia linteamina & serica pretiosa asperitate cilicij commutauit, & tantæ fuit continentiæ, vt exceptis diebus festis, vix oleum in cibo caperet, sed nec vini guttulam in potum admitteret. Dum hoc genere mortificationis dicta matrona vteretur, dicebat: *Affligendum est corpus quod multis vacauit delitijs: longus risus pe peti compensandus est fleru, &c.*

Hier. ep. 27. ad Eustoch.

S. Eligius, dũ iuuenis esset, teste Audœno Rothomagensi Episcopo, olim

eius

eius sodali, locuples erat, pulchet, omnibus charus. Vestibus vtebatur cis auro & argento pertextis, cing gemmis & lapidibus pretiosis spl do, cõsuetudine vtebatur princip aula regia virorum, ipsique adeo coniunctissimus. Postquam autem cor eius tetigit, perfectæ mortific nis desiderium in illud immisit, prorsus, vt conatus & studia eius nia superiori vitæ essent contraria vestimenta byssina & aurea conu in cilicium, cingulum gemmis fulg in funem rudem, aulicos ludos & tia in nocturnas preces & vigil sodalitatem optimatum regni, in miliaritatem peregrinorum, egeno infirmorum, captiuorum, aliorum hominum miserabilium, quibus o nia officia seruilia, (etiam dum Episcopatum, licèt inuitus, esset e ctus) detulit, aquam manibus fundendo, easque exosculando, cibu potumque mensæ inferendo, pe calida abluendo, & alia id genus age do. Hic semper in Christi Ecclesia Pœnitentium spiritus.

Atque hinc alius ingens mortifica tionis fructus exoritur; quod, nempe per illam omnibus corporis animique

liberemur incommodis, quæ Deus in peccatorum nostrorum pœnam destinârat. nullum enim peccatum, siue magnum, siue paruum immune esse potest à pœna. Vel enim à Deo castigandum est in altera vita cruciatu inferni aut purgatori, vel in hac vita afflictione temporali; aut certè ab ipso homine mortificatione volũtaria; qua vindictam quasi sumat de seipso, vt docet B. Anselmus. Cùm verò Deus, vt ait Propheta Naum, non puniat peccatum aliquod bis in idipsum, consequens est, si Deus aliquem in hac vita propter peccata immissa afflictione, quam tamẽ ille patienter propter Christum toleret, plenè castiget, non esse deinde castigandum in altera: & si nos voluntariam de nobis pœnam, quæ grauitatem lapsus adæquet, sumamus, fore, vt non solùm alterius vitæ supplicijs, sed etiam multis huius vitæ ærumnis, cæteroquin euenturis, eximamur. Hoc vtrumque mysterium declarauit sanctus Paulus, cùm diceret: *Si nosipsos dijudicaremus, non vtique iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* Dijudicare semetipsum est agnoscere suum lapsum, eumque coargue-

Anſel. in ep. 1 Cor. 11.

Naum 1. iuxta 70.

1. Cor. 11.

guere,& pœna volũtaria expiat
si homo fecerit, Apostolus eum
reddit, quod in hac vita à Deo
per tribulationem aliquam ca
das non sit. Sin per incuriam neg
rit hoc iudicium instituere, Deus
in eum iudicio animaduertit, &
vita affligit; quam afflictionem
tienter ferat, tum immunem eum
nuntiat fore à damnatione æterna
mnibus mundi amatoribus defu
Hæc doctrina est B. Gregorij in mo
Greg. libr 9. mor. c. 24. bus, vbi clarè scribit, nisi præsentis
pœnis aliqui liberarentur à torm
æternis, non dicturum fuisse S. Pau
dum iudicamur à Domino, nos co
ne cum hoc mundo damnemur. Id
tunc adimpletur, quando homo pe
bulationes commouetur ad veram
peccatis agendam pœnitentiam. O
bilem mortificationis effectum, qu
omnibus huius alteriusque vitæ pe
liberamur. Quis non sponte susc
mortificationis exercitium, quo,
gua tolerata molestia, liberamur
nis grauissimis? & breui afflictio
cruciatibus sempiternis? Nõ vis, in
Chrysost. in 1. Cor. 11. B. Chrysost. à Deo castigari, nec in
nec in altera vita? sis iudex tui ipsius
tiones à te exige, te reprehende, & cor
ge.

De hoc mortificationis effectu singularia in sacris litteris exempla exstãt. Monuerat Deus per Ionam Prophetam Niniuitas de impendẽte eis clade, & totius vrbis subuersione, nisi pœnitentiã de commissis criminibus agerẽt. illi verò monitis parentes, vnà cũ Rege suo ad expiãda scelera, conciliandũq; diuinũ numẽ seueriſſimã sui mortificationem amplexi sunt, cilicijs & saccis se induerunt, cibo omni & potu abstinuerunt; diuinamque clementiam precibus & lacrymis implorârunt, quam & impetrarunt; qui verò in probitate vitæ constãtes deinceps permanserunt, etiam ab æternæ damnationis vastitate liberati fuêre. Filij Israhel Machabæorum temporibus cum extremum sibi animaduertissent impendere excidium ab exercitu hostium potentissimo, hoc est, 47. millium hominum armatorum, cõtra ter mille inermes, nullo alio præsidio, quàm mortificationis in sacco, cinere, ieiunio, & intimis ad Deum clamoribus cladem illam auerterunt, imò victoriam ex hoste reportarunt. Consultò profectò facimus, quòd non sinamus nos ab inimico humani generis, qui exinuidia præsidium mortificationis omne nobis eripere conatur, in frau-

Ionæ 3.

1. Mach. c. 3. & 4.

fraudem induci: certum enim
re, ne carni quidem noſtræ, ma
num præſtari poſſe; cum exigua
ficatione eam & grauioribus pœ
imamus, & reſurrectionis futu
riam illi adaugeamus. Pulchrè
monet nos beatus Auguſtinus
verba: *Quid facis*, inquit tentator,
iunas: defraudas animam tuam,
quod eam delectat, tibi ipſi ingen
tuus ipſe tortor & cruciator exiſtis
placet, quia te crucias. Ergo crudelis
delectatur pœnis ſuis. Reſponde huiuſ
tatori. Excrucio me planè, vt ille par
me pœnas, vt ille ſubueniat, vt place
eius, vt delectem ſuauitatem eius.
victima excruciatur, vt in aram impe

Aug. de vtil. ieiun.

CAPVT XIII.

Quòd beneficio mortificationis orationes
ſtræ efficaciores reddantur ad impetra
Dei dona & munera.

QVando infans à matre poſt
puppam, ſuumque deſiderio
tantùm ſignis & nutibus de
rat, nonnunquam mater aut reni
porrigere, aut differt: at quando pe
lat cum lachrymis, non poteſt fe

tius continere, quin confestim eam tradat. Sic homo, quando à Deo in oratione postulat dona aliqua vel beneficia spiritualia, sed verbis tantùm & simplici desiderio ea obtinendi, non facilè impetrat, quemadmodum quotidiana nos docet experientia. Quoties enim virtutem humilitatis, patientiæ, caritatis, tẽtationis alicuius victoriam, pacem cordis, precandi donum, fidei augmentum, supplices à diuina maiestate petiuimus, & tamen consecuti nõ sumus, nisi fortè post diuturnum tempus? Dũ verò cum studio precandi coniũgimus carnis, cupiditatũque nostrarum mortificationem, & coram Deo nos affligimus, citius & certius, ampliorique copia, postulata impetramus. Cuius rei causa est, quod dum mortificatio sui ab oratione abest, homo non eo modo quo deberet se ex parte sua comparat ad recipiẽdam diuinam gratiam, quæ facientibus, quòd in se est, & sibi ipsis imperantibus semper parata est. Deinde Deum mouere ad sua charismata impertienda id cumprimis solet, si videat ea magni fieri, & cupidè expeti, impetrataque magno cum studio conseruari: idcircò enim suorum donorum largitionem sæpè differt, vt

in

in oratione perseuerantis desid
accendat magis,&æstimet rem pe
pluris, impetratamq; tandem vig
tius custodiat. Accedit, Deum, vt
gnoperè amat hominem iustum,
cernit eum affligi desiderio rei
latæ, commiseratione motum li
lius & libentius dona sua cœlestia,
ad salutem vel necessaria, vel co
nientia sunt, in tales effundere.

Quoniam verò huius rei n
plurimum valet ad salutem no
promouendam, Spiritus sanctus
voluit illustrissimis vtriusque testa
ti exemplis confirmari: è quibus p
commemorabimus; si modò in
tem reuocetur, quod initio monu
in sacra Scriptura nomine ieiunij,
ut & in scriptis SS. Patrum, crebro
nem carnis castigationem com
hendi. Nobilis illa Iudith, &
uersa cum ea Bethuliæ ciuitas,
sui patrocinium à Deo postularent
contra inimicos victoriam, non
tioni vacarunt modò, sed etiam ieiu
runt, cilicijs se induerunt, cine
capita asperserunt, alijsque modis
pora sua afflixerunt, & impetra
quicquid petiuerunt. Regina
ster, cum omnibus viris & mul

Tract. huius ca. 1.

Iudith 9.

Hest. 4.

bus Iudæis, quotquot in ciuitate Iuda degebant, vt orationibus suis à Deo impetrarent ne sententia mortis in omnes decreta effectum suum consequeretur, monitis Esther triduò ab omni cibo & potu abstinuêre, saccis se operuêre, & carnem afflixêre. Et mox felix successit exitus. Rex Iosaphat cum toto suo exercitu, omnibusque regni Iuda principibus, vt liberaretur à summo discrimine, quod inter medios hos adierat, *totum*, vt loquitur diuina Scriptura, *se ad orandum contulit, & prædicauit ieiunium in vniuerso Iuda*. Daniel quoque Propheta ad obtinendam pro populo suo libertatem, aliaque dona, non orationibus modò, sed etiam seueriſſimo ieiunio se dedidit, abstinens à vino, carne, & pane delicato, contentus herbis, alijsq; edulijs viliſſimis. Quo mortificationum genere non solum à Deo impetrauit vt populus longa illa seruitute solueretur, sed etiam promeruit multorum mysteriorum patefactionem, & diuinam consolationem ab Angelo. Ac vt constaret orationi eius vim & efficacitatem illam à mortificatione accessisse, Angelus in hæc verba locutus est: *Noli metuere Daniel, quia ex die primo, quo posuisti cor tuum ad*

2. Par. 29.

Dan. 9.

Cap. 10.

intelligendum, vt te affligeres in [illegible]
ctu Dei tui, exaudita sunt verba tua.
hoc exemplo liquidò apparet mo
cationis virtus; quamque salutar
Theod. orat. eius cum oratione copulatio,
10. in Dan. nimaduertit beatus Theodo
Exemplo, inquiens, Danielis,
contemptis vnctionum delitijs,
carne & vino abstinuit, solisque
leguminibus, discimus, quàm sa
ris & fructuosa sit mortificatio so
suscepta, quia ieiunio, afflictioni
li preces iungens, impetrauit quod
luit.

Quia verò idem Spiritus sa
noui Testamenti Patres plenius
tuit, quàm instituerat in veteri, c
Spiritu deprehendimus vtrosque
&os. De Apostolis, Ecclesiæque p
ribus non semel commemorauit
tus Lucas, eos dum orationi incum
rent, precibus adiunxisse ieiunia. C
sanctus Paulus, & sanctus Barn
prædicatum mitterentur Seleuciam
Act. 13. aliò, ita ordinante Spiritu sancto,
ieiunantes, inquit, *& orantes, impo*
que eis manus, dimiserunt illos. Et cu
dem Paulus & Barnabas Antiochiæ
cederent, ait: *Et cùm constituissent illis*
singulas Ecclesias presbyteros, & or

cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt. Hic fuit Apostolorum mos, ieiunium, aliasque mortificationes iungere precationibus, idemque eorum exemplo docti postea omnes sancti in Ecclesia fecerunt; quibus, vti lumen gratiæ diuinæ excellentius vberiusque in nouo quàm in veteri Testamento fuit communicatum, sic non dubium est, maiorem eorum mortificationem fuisse.

De sancto Martino refert Seuerus Sulpitius, etsi vita eius fuerit continua quædam mortificatio, tamen, cùm pro arduo aliquo negotio preces erat ad Deum instituturus, vt postulata facilius impetraret, opera pœnitentiæ mortificationisque adauxisse Euersurus enim delubrum quoddam idolorum, in abditum locum orandi causa se recepit, triduumque ipsum cilicio indutus & cinere conspersus in oratione [illegible] rans promeruit, vt duo angeli o[illegible] suam in subuertendo delubro præstarent. Acturus item de rebus ad cultum diuinum pertinentibus cum Valentiniano Imperatore, cùm aditum postularet, indignissimè repulsam passus est. Quid faceret vir sanctus? Ad consueta sua arma confugit. Sacco amic-

Sulp. in vita eius.

ctus, & cinere resperſus, cibo omn
potu abſtinens ſe in preces dedit. Se
mo die aſtitit precanti angelus, n
nuitque vt iterato accederet Imper
rem, felicem, fore ſucceſſum. In v
ſe dat, patentes omnes palatij porta
uenit. Imperator eo conſpecto ina
cenſus exclamat, hominem arce
non dignatur è ſella ſua ſurgere; m
miraculosè æſtuare cœpit Imperat
ac ſi ignis ſellæ ſubiectus eſſet; ita
nimaduertens cenſuram diuinam m
te mutata omnibus ſancti viri poſtu
tis vltrò ſubſcripſit.

In hiſt. relig. c. 2. Narrat & beatus Theodoretus
ſanctiſſimo monacho Iuliano mul
miraculis claro, cùm Cyrenſes Cath
lici in calamitatem magnam venifſe
propter hæreticos, qui hæreſiarch
quodam authore, ſuis concionib
multos è populo à vera fide abduce
bant, eos ad dictum S. Iulianum perfu
gium ſuum habuiſſe: qui non al
conſilium afflictis ſuggeſſit, quàm v
ſupplices in ieiunio & planctu ad diu
num numen confugerent. Conſili
paruerunt, eoque ipſo die quo di
uinæ maieſtatis opem implorârunt
exauditi ſunt, hæreſiarcha repentino
quodam morbo miſerabiliter extin-

cto.

cto. Hic fuit sanctorum spiritus, hoc ex sacris Scripturis didicerant, hoc Deus eis inspirârat, hoc experimẽtia probârãt, nempe orationẽ mortificationi associatam multo efficaciorẽ reddi ad quiduis à Deo impetrandũ. Vnde S. Cyprianus: *Quotquot*, inquit, *viros virtutum vidimus, quoties aliquid à Deo obtinere conati sunt, ieiunijs incubuêre & lachrymis, & pernoctantes in orationibus, cilicijs carnẽ hærentibus supplices beneficia postulârunt, nec aliquid magnum vnquam moliti sunt, nisi prius abstinentia præcessisset.*

Cùm ergò hæc res sit tam certa, & à Sanctis toties frequentata, meritò cum amore & sollicitudine complecti debemus hoc mortificationis exercitium. Vnde & hoc loco notandum est, sicut qui peccato lethali obnoxius est, non idcircò debet precandi studium cum desiderio emendandæ vitæ defugere; cum ipsa oratio valeat ad impetrandam conuersionem: sic qui mortificandi studium necdum complexus est, non debet ideò ab orandi consuetudine abstinere, cum ipsa oratione Deo cum pijs desiderijs oblata à Deo & voluntatem & vires mortificationis exercendæ consequi possit. Nam etsi mortificatio o-

rationi maximum præsidium affe
tamen ipsa oratio ideo non desin
sua vi & impetrandi & merendi, su
conditiones, necessariæ non desint.

CAPVT XIV.

Mortificatione speciatim iuuari orationem eaque obtineri puritatem lumenque internum res diuinas contemplandi.

ETsi mortificatio qualicunque
randi modo & formæ suam v
& efficaciam conciliet, peculi
tamen affert orationi mentali, quan
in silentio de rebus cœlestibus co
mentamur. Vt enim oratio illa int
tuatur, quemadmodum oportet, m
gnam postulat animi puritatem & n
torē. Siquidem precatio mentalis n
est aliud, quàm spiritualis diuinor
mysteriorum, & perfectionum operum
que inspectio ac contemplatio, vt al
diximus. Quocirca, sicut oculos co
porales, claros & mundos esse nece
est; sic oculos mentis, quibus res diu
næ considerandę sunt, opus est esse pu
gatos & nitidos. At mortificationis pro-

Tract 3 de orat. ment.

proprius effectus est, animam expurgare à spiritalibus sordibus. Nam præter sordes primarias peccati mortalis, quæ abluuntur Sacramento Pœnitentiæ, nonnullæ aliàs quoque, licèt leuiores animæ inhærent, quæ vt non prorsus eam inquinent, tamen vehementer impediunt, quo minus aciem defigere possit in res diuinas. Eæ sunt passiones, alieque inordinatæ in rem creatam affectiones, noxæque veniales, ad quas remouendas seruit mortificationis virtus. Etenim dum homo sponte sibi ea commoda & voluptates seculi, quibus vti poterat, subtrahit, & libenter amplectitur ea, quæ carni & voluntati suæ sunt aduersa, paulatim peccata venialia, ex cupiditatibus effrænatis orta, euanescunt, animusque maiorem semper accessionem facit ad veram puritatem. Itaque non dubium est hoc mortificationis medio imprimis nobis cõmunicari virtutem sanguinis Christi animam nostram mundantis & purificantis. *Sanguis enim Christi*, teste sancto Ioanne, *mundat nos ab omni peccato*. Vnde & admonet nos beatus Paulus, vt ab omni inquinamento carnis nos expurgemus, & spiritus, quod vel operibus externis, vel solo consensu mentis con- 1. Ioan. 1. 2. Cor. 7.

tractum est : dum enim nos pœnitentiam agimus vel mortificandis affectibus operam damus, Christus peripsam pœnitentiam mundat nos, vt principalis causa, qua Deus ; vt instrumentaria, qua homo est. In quam sententiam Eusebius Emissenus scripsit: Ieiunia, vigiliæ, & afflictiones macerant quidem corpus, sed corda inquinata expurgant ; robur quidem adimunt corpori, sed augent animæ puritatem & splendorem.

Hom. 10. ad Monachos.

Est verò & alia causa cur mortificatio orationem mentalem efficaciorem reddat, nempè, quia ad considerandas, & multò magis ad contemplandas res diuinas cum fructu, non modò cordis puritas, sed etiam lumen quoddam spirituale necessarium est, haud secùs quàm oculis corporalibus ad cernendum, videmus non solùm munditiem, sed etiam lucem quandam quæ aerem illustret, & obiectum patefaciat, esse necessariam. Lumen naturale quidem aliquid operum diuinorum patefacit, sed debile est & languidum. Lumen quoque fidei mortuæ, quantùuis res supernaturales, & admodũ sublimes manifestet; quamdiu tamen tenebris peccati lethalis adiunctum est, non

pa-

parum obscurè, & exiguo sensu eas cognoscendas repræsentat. Hinc fit, vt ad instituendam rectè orationem, & ad contemplandum de rebus diuinis opus habeamus lumine supernaturali fidei viuæ, donoque sapientiæ. Quoque hoc donũ maius est, auxilijsq; supernaturalibus magis munitum, hoc res diuinæ penitius & penetrantur, & mentem hominis afficiunt & commouent. Hoc autem lumen beneficio mortificationis obtinetur; qua per illam Deus animam participem facit donorum cœlestium.

Scriptura diuina commemorat Gedeonem in bellum contra Madianitas innumerabiles proficiscentem trecentos tantùm è populo suo delegisse, hoc est, illos qui stantes, & non poplitibus humi flexis, aquam è flumine in os proiecissent. deinde singulis præbuisse in siniſtra deferendam lagenam, cui inerat lampas ardens, in dextra verò tubam, ac demum complosione lagenarum & confractione; tubarumque strepitu hostes in fugam vertisse. Idem faciunt serui Dei opera mortificationis; corda nimirum ab effectu rerum terrenarum abstrahunt, nec vlla affectione inordinata illis addicti sunt, sed vtuntur tantùm illis, quoad neces- *Iud 7.*

sitas sola postulat; corpora sua, qu
lagenas terreas concutiunt variis p
narum generibus & castigant, & sic v
ctoriam contra omnes tentationes ho
stium obtinent. Atque vt confractis h
genis ibi emicuit lampadum lumen
sic ex mortificatione nostra hic emica
pulcherrima lux gratiæ, & doni sa
pientiæ ad res diuinas contemplan
das. O quanta animæ felicitas est, hu
luce perfruentis, eiusque ope res cœle
stes considerantis. O quot nouæ re
giones, nouique mundi, ante nunquam
conspecti in hac cõtemplatione se ocu
lis mentis obijciunt? O quanta lætitia
perfunditur; dum huius lucis beneficio
incredibilem mysteriorum diuino
rum thesaurum intuetur? quomodo
stupet, & animo suspensus hæret in
consideratione immensæ Dei bonita
tis & sapientiæ? quo flagrat amoris in
cendio, cum acie mentis penetrat in i
psa infinitæ Dei caritatis ac misericor
diæ viscera? Quòd si tam admiranda &
efficax lux in oratione mentali obti
netur per mortificationis exercitium,
æquum est, vt strenuè in ea nos exerceã
mus, voluntatem nostram coercen
do, cupiditates carnis refrenando, &
corpora castigando: etsi enim & alia

bo-

bona opera multum prosint ad idem consequendum, parum tamen efficiunt sine mortificatione.

Palladius in historia sua Lausiaca narrat Panfusium sanctitate, miraculis clarum monachum cœlesti reuelatione motum adijsse rustici tugurium, eique Dei nomine mandasse, vt rationem vitæ anteactæ sibi redderet. Rusticum autem, Dei nomine audito, respondisse. Ego homo peccator sum: vitæ autem meæ hæc est institutio. Matrimonio iunctus sum huic mulieri, tribus autem liberis editis de seruanda deinceps castitate, & habitatione separata inter nos conuenimus: & iam ipsos triginta annos seiuncti viximus. Operam do peregrinis, & egenis hospitio recipiendis; appono illis, quod habeo, & neminem vacuum dimitto. Si quem è populo rescisam inopia aliqua laborare, eum, quibus modis possum, solor & iuuo. Si aliquos inter se discordes reperio, conor eos conciliare. Liberos ea honestate morum imbuo, vt nemo iure de eis queri possit. Iumenta, vt nulli damno sint, procuro, & ne quid alienum in domum meam inferatur, vigilo. His auditis Panfusius ex parte

Pallad. in hist. Laus. c. 64.

Dei ei benedixit & addidit: Vnu tantum tibi est necessarium, nempe primaria quædam virtus, quæ est, no titia affectuosa Dei, eamque consequ non potes, nisi relinquas mundum, & crucem Christi suscipias. Paret consilio rusticus, & monentem in mo tem sequitur, in oratione & morti ficatione se exercet tanto cum fructu, vt morientis animam Panfusius gloria mirabili fulgentem viderit ab angelis deportari in æterna tabernacula. Affectuosam autem vel sapidam Dei notitiam sanctus Panfusius appellabat ardentem illum amorem vnitiuum, quem rerum diuinarum contemplatores in oratione experiuntur, cum perfecto sapientiæ doni auxilio. Ad obtinendum autem hoc nobile donum sapientiæ, & pretiosum illum rerum diuinarum gustum meritò agnoscebat idem sanctus opus esse mortificatione propriæ voluntatis & carnis castigatione, quam vocabat crucem Christi, & idcircò rusticum illum deduxit ad locum, vbi cõmodè in ea ferenda se exercere posset. Nã quãuis quouis in statu vel loco hoc donum obtineri queat, tamen præstat eligere semper cõmodiorem, vbi plura adiumenta suppetant, &

im-

impedimenta adsint pauciora. Denique hinc discimus eos, qui operam nauare volunt orationi mentali, saluberrimè se dedere mortificationi omnium prauarum cupiditatum; tum, vt puritatem & lucem animi, de qua diximus, consequantur, tum vt muniti sint contra multos lapsus, pericula, & detrimenta. Experientia enim quotidiana liquet, eos qui humilitatis & abnegationis sui studia refugiunt, nec consilia Patrum spiritalium sequuntur, turpissimè sæpè à dæmone, carne, & mundo in fraudem induci. Vnde alicubi S. Gregorius *Sancti*, inquit, *viri, qui à mundi operibus, non corpore, sed virtute sepiuntur, laboriosius dormiunt, quàm vigilare potuerunt: quia in eo, quod actiones huius seculi deserētes superant, robusto conflictu quotidie contra semetipsos pugnant; ne mens per negligentiam torpeat, ne subacta ocio ad desideria immunda frigescat.* *Lib. 5. moral. c. 22.*

CAPVT XV.

Mortificatione orationem mentalem etiam in eo iuuari, quod internam pacem & solatium spirituale conciliet.

QVoniam orationis mentalis exercitatio ingentem fructum affert vitæ Christianę, vt alibi de-

monſtrauimus, congruens eſt, vt
per mortificationem magis
perficiamus. Ac vt ad hoc ſtudium
crius incitemur, alias proferemus
tiones, cur illud nobis eſſe debeat co
mendatum. Ad orationem mentalem
rectè inſtituendam, non parum cond
cit pax cordis; anima enim tranqui
& pacifica ſponte ſe dedit precatio
in eaque perſeuerat, & cupidè rem
diuinarum contemplationi inhæret
Pſalm. 75. Vnde dixit Pſalmiſta: *Factus eſt in pace locus eius*, id eſt, Dei, qui pacis amator eſt. Ad quod ſignificandum Deus mandauit tempore ſummæ pacis ædificari templum, in quo habitaret, & beneficia ſua fidelibus impartiret. Pro
3. Reg. 5. tiuitate quoq; ſua in carne delegit tempus altiſſimæ pacis, quanta non fuerat à multis ſeculis, quibus tyrannis inceperat. Eliæ quoque Prophetæ Deus non
3. Reg. 15. ſe manifeſtauit in vento vehementi, aut forti, nec in terræmotu, nec in igne ardenti, ſed in aura leni & ſuaui. Certum eſt, etiamſi homo, quando turbatus eſt, & inquietus, orationem relinquere non debeat, quia & ipſa ad componendum tranquillandumque animum perturbatum valet: tamen & illud certum eſt, turbationem, diſtra-

ctio-

ctionemq; animi plurimum impedire & attentionem in orando, & fructum orationis spiritualem. Ad obtinendam autem pacem illam, & tranquillitatem, maximè seruit mortificandi labor: nihil enim aliud mentem de statu suo deturbat, nisi passionum internarum furor & intemperies, quæ mortificationis beneficio coercentur, & expugnantur. Quanquam enim negari non possit, pacem ac quietem animi non parum disturbari iniurijs, contumelijs, aduersitatibus, bonorum rapina, & alijs huiusmodi; tamen affirmandum, primariam causam omnis inquietudinis esse passionum, & cupiditatum nostrarum intemperantiam. Nam si homo iracundiam vicisset, elationem animi pedibus suis subiecisset, amorem caducarum rerum exstirpasset, soliusq; Dei voluntatem, nō suam in omnibus quæsiuisset, nulla perturbatione agitari potuisset: si quis tetros aliquos odores collectos, & inter se permixtos, in massam panis coquendi inclusisset, eoque cocto alius accessisset, & pane illo in duas partes secto nares circumstantium fœtore complesset, tum non ille, qui panem secuerat, sed qui odores incluserat, fœtoris illius auctor diceretur:

haud

Haud secus censendum est de corde
stro: Habet homo cordi sæpè inci
viuas passiones iræ, superbiæ, auar
quamdiu ex sententia & voto omn
succedūt, æstimatur probus & sanc
at simulatque verbo vel facto in re
qua suæ voluntati aduersa læsus
mox expallescit, indignatur, & fu
prodit, quibus perturbationibus sit
noxius. Hic non habet, quòd quēqu
alium accuset, tanquam auctorem
perturbationis & inquietudinis, n
velit incusare Deum, sine cuius volu
tate nulla aduersa nobis eueniunt, q
& hortatur nos, vt ea patientes tole
mus, tanquam de sua manu profect
sed omnem culpam conijcere debet
semetipsum, quòd edomandis passio
num suarum bestijs non satis magnam
operam impenderit.

Quæ si vera sunt, vt sunt verissima,
liquidò patet ad pacem animi solidam
obtinendam, orationemque mentalem
cum fructu instituendā, opus esse mor
tificationis exercitio, voluntatem pro
priam coercendo, & naturæ nostræ cor
ruptæ effrenes motus contrarijs actio
nibus refrenando. Hanc vitæ regulam
Spiritus sanctus nobis per os Apostoli
Galat. 6. tradidit, cum diceret: *Absit mihi gloria-*

ri, nisi

ri, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, id est, pœnis & opprobrijs, *per quæ mihi mundus crucifixus est, & ego mundo*. Nomine mundi, intelligens honores, humanas laudes, opes, voluptates carnis, & alia, quæ mundani homines magni faciunt, quæ omnia Apostolus pro re viliſſima, & cadauere fœtido & putrido, vnde nullam voluptatem caperet, æstimabat. Ipse quoque crucifixus & & mortuus erat mundo, quia nihil eorum, quæ mundi sunt, optabat vel expetebat, non secus, quàm si omnis rerum terrenarum cupiditas in eius pectore esset extincta & mortua. Deinde mortuus erat illi, quia illum tanquam cadauer mortuum, & rem abominabilem execrabatur, persequebatur, & tantum non pedibus conculcabat. Hanc regulam viuendi, quotquot sectati fuerint, hoc est, in cruce Christi gloriati, & mortui mundo fuerint, pacem illam Dei, quæ exsuperat omnem sensum, & puras reddit conscientias, diuinamque misericordiam, qua ab omni noxa liberentur, hæreditabunt.

Refert Beatus Dorotheus, se initio susceptæ religiosæ vitæ mortificasse suam voluntatem, parendo alienæ superiorum, & honorum cupiditatem, pate-

patefaciendo ijsdem tentationes &c
dis sui cogitationes, eoq; exercitio
secutum tantam animi pacem & tr
quillitatem, vt nec vllum religiosi
tæ opus, nec vlla calamitas dein
molestiam aliquam, aut pertur
nem ipsi attulerit. Et quia illis in
nondum erat rerum diuinarũ tam
telligens, ac postea; dubitare cœpit
curamnè & rectam viam teneret in
lum, eò quod per tribulationes mul
quas ipse non experiebatur, aditus pa
ret ad cœlum. Cùm vero nec dubitat
illa consuetam ei pacem adimeret, se
pto proposuit eam suo cuidam Pa
spirituali, magna sanctitate conspicu
qui ei respondit. Metum omnem d
poneret, tranquillitatem illam natam
esse ex mortificandi studio, quòd ex
luisset, voluntatem & iudicium subi
ciendo iudicio, & voluntati superio
rum, & in manus Dei, maiorumq;
suorum omnia tradendo. Fœlices itaq;
què & beati sunt, qui à Deo impetra
runt voluntatem, viresque se mortifi
candi, diligensque studium adhibent
in refrænandis prauis animi perturba-
In Beniamin minori. c.26. tionibus: illi enim in hac terra incipi
unt gustum capere illius sereniſſimæ
pacis, quæ erit in cœlo. Nam, vt præ-
clarè

clarè notauit Richardus de S. Victore, duabus in rebus consistit beatitudo. Primùm, vt homo careat ijs, quæ habere non cupit. Secundò, vt possideat omnia, quę habere concupiscit. Vtrumque autem consequitur seruus Dei, dum se mortificat in terra: nam cum ex amore Dei abhorreat à voluptatibus sæculi, & corporis afflictiones diligat, vbicunq; tandem fuerit, inuenit quod desiderat, nec aduersitatem aliquam patitur, quam non optârit: qui status hominis non est aliud, quàm principium, & delibatio quædam æternæ fœlicitatis.

Altera ratio, cur conueniens sit cum oratione mentali iungi mortificationem, est huiusmodi: Oratio mentalis, vel diuinarum rerum meditatio, est ordinarium medium, & exercitium proprium, quo homo fit diuinarum consolationum, omniumque sanctarum affectionum amoris, spei, contritionis, gaudij, aliorumque donorum spiritalium particeps, vt alibi demonstrauimus Quare certum est, exercitiũ quo anima disponitur ad recipiendas huiusmodi consolationes, esse mortificationis, quippe cum huius beneficio omnes cupiditates rerum caducarum terre-

Tract. 5. de orat. mentali p. 3.

terrenarumq; solatia resecentur, acq-
que & libenti animo pœnæ & affli-
nes ijs contrariæ suscipiantur. Con-
siquidem terrenas consolationes ê-
metro pugnare cum cœlestibus, &
morem inordinatum rerum creat-
cum gustu diuinarum: atq; ideò quia
diu animus hominis affixus est solat-
terrenis, fieri non potest, vt se erigat
cœlestes, vt testatur S. Bernardus in hæc
verba. *Sunt multi inter nos, qui de vno pa-*
ne comedunt nobiscum, miseri & miserabi-
les, vtpote socij tribulationis, & non consola-
tionis. Huiusmodi autem, si diu ita perma-
serint sub onere, aut opprimuntur, & suc-
cumbunt, aut quodammodo in inferno sunt,
vt nunquã ad plenum respirent in luce mise-
rationum Domini, nec in libertatem spiritus,
quæ sola facit iugum suaue, & onus leue. Un-
de autem tam perniciosa tepiditas emanat,
quia affectus, id est, voluntas eorum nondum
purgata est; nec bonum sic volunt, sicut nouc-
runt à propria concupiscentia abstracti gra-
uiter & illecti. Amant enim in carne sua
terrenas consolatiunculas, siue in verbo, siue
in signo, siue in facto, siue in aliquo alio: eas-
hæc interrumpant aliquando, non tamen pe-
nitus rumpunt. Inde est, quòd rarò affectiones
suas dirigunt in Deum, & eorum compunctio
nem continua, sed horaria est. Impleri autem

Serm. 3. de Accens.

viss-

visitationibus Domini anima non potest, quæ hic distractionibus subiacet: & quantò magis illis euacuabitur, tantò amplius istis implebitur: si modicum, modicum: si parum, parum. Hucusque Beatus Bernardus. Quæ doctrina, vti certa & vera est, multaque experientia probata, sic magna consideratione digna est. Nam ex vna parte vehementer damnat tepiditatem eorum, qui initio seruiendi Deo facto, ne vilissima aliqua consolatione destituantur, minimas etiam mortificationes subterfugiunt: & ne voluntatem suam alteri subijciãt, aut carni aliquam crucem imponant, maximos thesauros spiritales consolationum diuinorum, quibus pulcherrimis virtutibus meritisque, animam complere poterant, vltrò negligunt & contemnunt. Ex altera verò parte hæc eadem doctrina sedulò expensa plurimum mouere nos potest ad sanctæ mortificationis exercitationem amplectendam. Quis enim deinceps in rebus exiguis non coerceat cupiditates suas, si postea velit ijs dominari in magnis? Quis non voluntati suæ renunciabit in rebus terrenis nullius pretij, vt acquirat cœlestes summi pretij? Quis non consolationes viles rerum creatarũ posthabeat diuinis suauissi-

uissimisque consolationibus creatoris, maximæque promissioni nobis Isa. 58. Deo per Isaiam Prophetam iam olim factæ; cum diceret: *Si auerteris de sabbatho pedem tuum facere voluntatem tuam in die Sancto meo, & vocaueris sabbatum delicatum, & Sanctum Domini gloriosum, & glorificaueris eum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem. Tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui.* Delectari in Domino, quid est aliud, quàm mirabili consolatione perfundi? quid sustolli super altitudines terræ, quàm pectore generoso, spiritu quæ diuino donari, quo omnes res caducæ huius mundi, cùm nihil sint, nihili pendantur; quid denique cibari hæreditate Iacob Patriarchæ promissa, quàm animam omnibus gratiæ donis in pignus æternæ fœlicitatis ornari, & instrui.

CAPVT XVI.

Mortificationis ope tentationes, omnesque animi hostes expugnari, peccata futura impediri, & gratiam semel acceptam conseruari.

Ad

AD superandum validissimum inimicum, præsentissimum remedium est studiosè circumspicere, qua in re summum eius robur positum sit, illudque cumprimis illi, vt Philistæi fecêre fortissimo Sampsoni, adimere. Illi enim ex relatione Dalilæ cognôrant omne robur eius fuisse in crinibus, quibus resectis eum cœperunt. Capitalis noster inimicus est, *caro nostra*: nam *caro*, teste Apostolo, *concupiscit contra spiritum*. Hic inimicus omnes vires suas habet in commoditatibus & lauta tractatione, quoque copiosius & crebrius illi subministratur cibus, potus, somnus, otia, aliæque recreationes, hoc maiores vires & robur capit ad oppugnandum spiritum, & in omnia flagitia præcipitandum. Id Leuitæ filij Israhel confitentur, vt commemorat diuina scriptura; nam loquentes in oratione cum Deo, dixerunt. *Tu Domine dedisti* (maioribus nostris) *regna & populos gentium, & humum pinguem, & possederunt domos plenas cunctis bonis, vineas, olueta, & ligna pomifera multa, & comederunt, & saturati sunt, & impinguati sunt, & abundauerunt deliciis in bonitate tua magna. Prouocauerunt autem te ad iracundiam, & recesserunt à te,*

Iudic 16.

Gal. 5.

2 Esdr. c. 9.

à te, & proiecerunt legem tam post terga
Hoc ergò robur carnis; remedium
tem ad expugnãdam eius rebellio
est moderari cibum potumque
nentia & ieiunio, lasciuiam & mo
tiem asperitate cilicij & disciplinæ
primere, submittere eam, & ad labo
adigere: sic enim vigorem suum, &
tulantiam facilè deleret, vt benè
Orat. 8. de temperantia. nuit beatus Basilius: Necesse est, inq
ens, totum corpus nostrum castiga
eique tanquam feræ belluæ frenum
ijcere: si enim delitijs & blandimen
illud foueamus, instar equi ferocis,
indomiti currum cum auriga euer
tis, animam nostram in cœnum flag
tiorum præcipitem aget. Sin verò sus
tractione voluptatum & illecebrarum,
quæ sunt vitiorum quasi esca; & vo
luntaria susceptione pœnarum, quæ le
men sunt virtutum, affligamus, robur
eius facilè langueſcet, & spiritus impe
rio rationis & voluntatis diuinæ nul
lo negotio illud subiugabit. De eadem
serm 29. in Cant. re sic loquitur beatus Bernardus. *Carnis infirmitas robur spiritui auget & submi
strat vires, ita è contrario noueris carnis fortitudinem debilitatem spiritus operari.*
Neq; id ita intelligẽdũ, quasi naturalis
carnis debilitas vim habeat vires suppe

ditandi

ditandi spiritui, passionibusque & pravis inclinationibus partis animi sentientis efficaciter medendi: fieri siquidem potest, vt in homine quantumuis macilento, & viribus destituto perturbationes iræ, aliæque huiusmodi remaneant vehementissimæ; sed quod beneficio moderatæ mortificationis, qua nonnihil carnis intemperantia coercetur diuinæ gratiæ dona, peculiaque à Deo auxilia, quibus caro debilitetur, & spiritus roboretur, obtineri soleant.

Vnde sequitur, per mortificationem quoque vinci dæmones, qui instrumento carnis nostræ ad oppugnandum spiritum ferè vtuntur. Qua de causa vnus è primis D. Francisci socijs Beatus Aegidius perfacetè consueuit dicere, nullum carne nostra valentiorem militem merere dæmoni, itaque ea subacta in nihilum recidere omnes eius conatus. *In Chrō. ord. Minor.*

Eadem causa Sanctum Franciscum ad mortificationis studium impellebat. Nam, vt scribit Beat. Bonauentura, sui mortificandi causa, vel cineres, vel aquam in cibos iactabat, vt saporem adimeret; inter dormiendum lapidem capiti, puluini loco, subijciebat; veste nulla, nisi aspera, vti volebat; & si mollior *In eius vita.*

porrecta fuisset, eam interius funicu
exasperabat; eiusq; rei duas causas re
debat. Vnam, quod illud placeret Chr
sto. Alteram, quòd asperitas plurim
valeret ad vincendos dæmones. Et
dit certissima cum expetientia di
cisse, dæmones voluptatum, & de
ciarum illecebra primum hominē
tare, ad mortificationem autem om
horrere & fugere Vnde D. Augustin
ad fratres in eremis. *Per ieiunii*, inqu
*fratres mei, humiliatur caro, & diabolicæ
uincuntur virtutes.* Hoc cœleste docum
rum suo ore quoque prodidit Christ
cùm diceret: *Hoc genus dæmoniorum n
eijcitur, nisi cum ieiunio & oratione.* In q
verba Augustinus. *Vidit*, inquit, *quan
sit ieiuniorum virtus, vt id facere ieiunia v
leant, quod Apostoli nequiuerunt*, nem
sola inuocatione nominis Christi: ni
nim mortificationem ieiunij inuoca
tioni iunxissent, efficaciorē oratione
reddidissent.

Serm. 23. Matth. 17.

Serm. 65. de Temp.

Ex hac doctrina sequitur, nos pe
mortificationem, non modò libera
à peccatis præteritis, satisfaciendo p
illis, vt dictum est, sed etiam à futuris
quæ committere poteramus. Idcirco
nim homo in peccatum labitur, qua
cùm ipse sit infirmus, dæmon verò for
tis,

tis, facilè eius tentationi succumbat: at per mortificationem dæmonis vires imminuũtur, & spiritus noster roboratur, vt tentationibus obsistere possit, à quibus alioquin erat in peccatum præcipitandus. Hoc expendens S. Bernard. *Primum quidem*, ait, *fratres pro eo, quod ab ipsis quoque licitis abstinemus, ea nobis, quæ prius commisimus illicita, condonantur. Quid verò est condonari commissa, nisi ieiunio breui ieiunia redemi sempiterna? Gehennam enim meruimus, vbi nullus vnquam cibus est, consolatio nulla, terminus nullus, vbi guttam aquæ dines postulat, & accipere non meretur. Bonum ergò & salutare ieiunium, quo redimuntur æterna supplicia, dum remittũtur hoc modo peccata. Non solũ aũt abolitio est peccatorũ, sed extirpatio vitiorum: nõ solum obtinet veniam, sed & promeretur gratiam: non solùm delet peccata præterita, quæ cõmisimus, sed & repellit futura, quæ cõmittere poteramus.* Hæc omnia Bernard. O immẽsam Dei misericordiam, ô bonorum ineffabilium pelagus, hominem Christianum tam facilè, abstinẽdo illecebris carnis, & propriæ voluntatis solatijs, pœnam exiguam corpori infligendo, sensusque coercendo posse efficere, quod omnes Imperatores & monarchæ huius mundi, omnes, quantumuis potentissimi

Serm. 4. de quadrages.

Lucæ 16.

exercitus, qui integras regiones armis suis subigere voluerunt, efficere nusquam potuerunt, hoc est, vt vel vnum dæmonem expugnarent, vel vno peccato quempiam liberarent. O admirabilis Christi in nos fauor & humanitas, qui tam leui & facili remedio in suis electis operari voluit tam heroica facinora, vt Satanæ frangere potentiam & flagitiorum tyrannidem compesceret. Quare meritò B. Leo Pontifex maximus inter Spiritus sancti maxima dona, quæ Deus suæ impertiuit Ecclesiæ, numerandum putat, quod ad carnis vitia, dæmonisque fraudes superandas nobis præsidium ieiunij, & mortificationis concesserit, cuius opera, Deo adiuuante, omnibus tentationibus resistere possimus.

Serm. de Pentec.

Ex eadem doctrina id quoque efficitur, mortificationis bono à nobis etiam obtineri donum incomparabile virtutis perseuerantiæ. Neque enim vel gratia, vel caritate antè excidimus, quàm tentatione graui in noxam lethalem nos prosterni sinamus. Cùm ergò, vt dictum est, mortificationis virtute omnibus tentationibus superiores euadamus, perspicuè sequitur in gratia semel accepta nos perdurare. Magnum profectò

fectò solatium est, in hoc nostræ vitæ exilio, tot periculis & calamitatibus pleno, tam grande & efficax antidotum habere contra omnes lapsus; neque enim omnes serui Dei alia de causa ingemiscunt, & suspirãt in hac vita, quàm quia solliciti sunt, vt hoc perseuerantiæ donum, quo vno coronam de manu summi Imperatoris sui, & iudicis tandem rapient, à Deo consequantur. Omnes virtutes currunt ad brauium, inquit quidam, sed sola perseuerantia coronatur. *C. Trid. sess. 6. can. 23.*

Scimus, neminem posse de condigno, vel ex iustitia mereri hoc perseuerantiæ donum, quia lege ordinaria homo manet in hac vita liber ad peccandum mortaliter, ac proinde in eo statu, quo gratia spoliari possit.

Quare magni beneficij loco ducere debemus, à Deo nobis relicta media, quibus illud obtineamus, saltem ex misericordia, vt orationem, mortificationem, & eleemosynam, quibus mediis, opitulante diuina gratia, hunc mirabilem perseuerantiæ effectum impetrare possumus, vt fatetur Concilium Tridentinum his verbis: *De perseuerantiæ munere nemo sibi certi aliquid absolutæ certitudine polliceatur; tametsi in Dei* *Sess. 6. c. 13.*

auxilio firmißimam ſpem collocare, & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere. Et declarans quibus mediis obtineatur perſeuerantia, ſubijcit, nos debere *operari ſalutem noſtram in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus, in ieiuniis, & caſtitate.* Deinde clarius exponens mortificationis virtutem, adiungit. *Scientes, quod in ſpem gloriæ, & nondum in gloriam renati ſumus, de pugna, quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum diabolo: in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia Apoſtolo obtemperent, dicenti: Debitores ſumus, non carni, vt ſecundum carnem viuamus: ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.* Hucuſque Concilium.

Rom. 8.

CAPVT XVII.

Mortificationis exemplo multos ædificari, & ad bona opera commoueri.

Greg. in paſtoral p. 2. c. 3 & in prol. dialog. Bern.

NON dubium eſt, vt ſancti Patres conſitentur, vti bona doctrina multi ędificantur & mouentur ad vitam piè inſtituendam, ſic bonæ

bonæ vitæ exemplo efficacius multò plures commoueri. Deum, antequam humanam assumeret naturam, visibileque virtutis exemplum præberet, cognoscebant & imitabantur in mundo pauci, cantabaturque illud Psalmi: *Notus in Iudæa Deus, in Israhel magnum nomẽ eius.* In solo enim angulo illo orbis, nempe Palæstina ferè agnoscebatur verus Deus, & colebatur. At postquam Deus factus est homo, seque exemplum spectabile omnibus proposuit nostræ imbecillitati accommodatum, & de eo dictum est, *cæpit Iesus facere, & docere,* cognosci cœpit ab omnibus, sicut in persona eius à Propheta Malachia erat prædictum. *Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus*: nempe quia agnoscebatur, & adorabatur pro vero Deo in toto mundo. In conuersione quoq; mundi ad Christi fidem, etsi multum effectum sit ministerio prædicationis Euangelicæ, & miraculorum patratione, tamen multò plus profecit S. Apostolorum, Apostolicorumque virorum, ac fidelium omnium, qui in communi vitam perfectam deducebant, exemplum, vt affirmat Sanctus Chrysostomus. Gentiles, inquiens, plus permoti sunt ad iugum

serm. de S. Benedicto.

Psalm. 75.

Act. 1.

Mal. 1.

Hom. 71. in c. 13. Ioan. &

hom. 6. in 1. Cor 2. gum legis Christi susciendum sanctitate vitæ, quàm miraculis. Et alibi, Gentiles, inquit, non miraculis tantum ad credendum adducti sunt, sed etiam vita fidelium integra & sancta, cum vnum cor essent, & vnicuiq; ex communibus facultatibus distribueretur, quàtum opus erat. Et si nunc talem vitam agerent Christiani, totus mundus facilè fidei Christi adiungeretur. Sic Chrysostomus. Et certè experientia ipsa docet, nos reuera insigni virtutis exemplo à magno Dei seruo præsito magis ad pietatem moueri, quàm omnibus concionibus, & admonitionibus.

Et quamuis quoduis opus virtutis externum à seruo Dei profectum, efficacitatem quandam habeat ad alios in virtutis amorem inflammandos, nihilominus mortificationis exercitium in eo genere peculiarem sibi vendicat gratiam. Si enim quispiam ab omnibus delitijs studiosè mortificandi, etiam licitis abstineat, amet pœnitentias, eaque quæ pœnam & molestiam corpori afferunt, ac præterea nihil in eius vita reprehensione dignum animaduertatur, dici non potest, quantum hoc vitæ exemplo alios commoueat ad vitæ an-

teactæ emendationem, quantum alios pudefaciat voluptatibus, corporisque commodis deditos, ignauos quoque & tepidos coarguat, vt ex veterno suo emergant. Confirmabimus id exemplis nonnullis, quia (vt diximus) ordinariè plus mouent exempla, quam verba.

Commemorat Simeon Metaphrastes, cùm S. Saba Abbas in spelũca quadam delitesceret vnà cũ discipulo suo, nomine Basilio, qui genere nobilis, & diues omnibus relictis statuerat cum dicto Patre pœnitentiam agere, nocte quadam speluncam ingressos latrones, vt inde aliquid abriperent, & cum nihil apud eos pretio dignum inuenissent, cœpisse eos cogitare, illos procul dubio homines esse sanctos, qui vitam tam inopem, omnibus rebus necessarijs distitutam ibi traducerent, se verò esse homines perditos, & damnationis reos; In qua cogitatione dum essent, cœpisse vehementer dolere de peccatis, & impendentem Dei metuere vindictam: occurrisse deinde in vasta solitudine ingentes leones; illos verò, cùm remedium liberationis aliud non veniret in mentem, præcepisse, vt propter B. Sabæ orationes terga verterent, quòd

Sur. in Decemb.

& fecerunt, non secus, quam si telis confixi fuissent. Illi verò continuò ad S. Sabam reuerterunt, vitam commutârunt, & manuum labore deinceps vixitârunt. Tãtum potuit bonum iustorum sanctorum, mortificatorum exemplum.

Nec mouet solum mortificatio peccatores ad corrigendam vitam, abdicãdo se voluptatibus pœna æterna dignis, sed etiam ad imitãdum ipsius virtutis exemplum. Quot enim homines, conspecto aliquo mortificati serui Dei exemplo, excluso omni languore, torporeque ad imitandum se comparant, & quod antè credebant impossibile, experiuntur esse facile? S. Vincentius ordinis Prædicatorum, vt est in eius vita, prædicatione sua non solum prouocabat homines ad internum dolorem de peccatis, sed etiam ad acerrimas corporis diuerberationes, quæ sæpè à multo populo, totisque ciuitatibus circum Ecclesias publicè instituebãtur. Id cum in Francia quoq; fecisset, accidit Lugduni militem quendam pessimum, qui omnibus erat scandalo, tandem adire sacerdotem, & peccatorum facere exomologesin. Cui sacerdos loco pœnitentiæ cum iniunxisset, vt in publica ali-

V in Iustin. in eius vita.

aliqua supplicatione disciplinam cum alijs ferret, & ille ægrè tantam pœnitentiam susciperet, nō aliud illi mandauit, quàm vt comitaretur saltem in processione: libenter paruit, & spectaculo verberantium durum illud pectus ad tantum criminum suorum dolorem commotum est, vt detractis vestibus flagro accepto tam immaniter in tergum suum desæuierit, vt circumstantes omnes mouerit ad lachrymas, ac tandem, ne necem sibi immani iteratione ictuum afferret, opus fuerit disciplinam è manibus extorquere. Itaque apud hūc hominem plus valuit bonum exemplum, quàm verborum Confessarij auctoritas; cumque magnum Dei donum sit emollire hominis duri cor ad agendam tam magnam pœnitentiā, facilè apparet, quanta sit mortificationis vis & efficacia, maximè cum quo ad mouendum est potentior, hoc Deus quoque procliuius per illam operetur, fiatque aliquando, vt vnius hominis verberatio plurimos, imò totos populos ad idem imitandum permoueat.

Beatus Petrus Damianus, Cardinalis, narrat S. Dominicum Loricatum inter cæteras mortificationes, hanc im- *In eius vita, & in Epist. in appendi.*

Biblioth. sacræ.

primis vsurpasse, vt totum corpus crebris virgarum ictibus in quinque vel sex horas affligeret, totumque interfectus psalterium, quòd memoriæ mandârat, recitaret. Quòd exemplum fecit vt disciplinæ vsus, in ditione illa, totaque patria, in qua morabatur, frequentari cœperit, non modo inter religiosos, sed etiam inter seculares, viros & fœminas, nobiles & ignobiles: tantoq; ardore hanc castigationẽ suscipiebant, vt crederent se hoc genere supplicij omnes pœnas peccatis in alio seculo debitas expurgaturos. Cur autem serui Dei mortificationis exemplo tantoperè homines permoueant, illa vna causa est, quòd, vt sunt addicti voluptatibus, & illecebris carnis, omnesque afflictiones illius refugiunt, vehementer admirantur, si quem cernant tanta virtute præditum, vt omnia huius mundi blandimenta contemnat, & tam acribus flagris in hostem domesticum sæuiat. Hoc ipsum S. Petrus in Epistola canonica obseruauit. Nam cùm hortatus fuisset fideles, vt exemplo Christi armarent se contra inordinatas carnis cupiditates, mortificationemque crucis Christi amplecterentur, mox addit, *In quo admirantur, non concurrentibus*

Epist. 1. c. 4.

vobis

vobis in eãdem luxuriæ confusionem. Altera causa est, quia peccata ferè cõmittuntur ab hominibus, aut ad capiẽdam aliquã voluptatem, aut ad euitandam aliquam afflictionem, vel pœnam: cùm ergo homines huius seculi vident seruos Dei contemptis carnis blandimentis vltrò eam crucifigere cum concupiscentijs, prorsus in eam sententiam veniunt, esse eos ab omni crimine & malitia immunes. Hoc signo Iustinus martyr olim primorum Christianorum innocentiam agnouit, & ad eorum numerum se aggregauit. Confitetur enim ipse in suis libris, se, cùm gentilis esset, cerneretque Christianos martyres summo cum gaudio acerbissimis se obijcere tormentis, potiùs, quàm vt idola colerent, in eam cogitationem veniisse, fieri non posse vt tales homines sint flagitiosi. Si enim fuissent, commodis suis studuissent, ac proinde saluos & incolumes se esse voluissent, omnique conatu durissima tormenta subterfugissent.

Perion in eius vita, & Surius.

Atque hinc discere queunt pietatis studiosi, quibus curæ est animæ salus, quanto studio fugere debeamus superuacaneas carnis delitias & continuæ

mortificationi operam dare, ne prauo exemplo alicui præbeamus causam ruinæ, pro quo Christus mortuus est. Hoc perpetuum fuit omnium Sanctorum studium, vt sicut magno zelo ardebant salutis animarum, atque ideò omnes offendiculi occasiones cauebant, ita etiam se proprio solatio, multisque commodis ad vitam necessarijs sponte exspoliarent, ac præterea corpus multis pœnitentijs, ad bonum exemplum relinquendum alijs, diuexarent. Sanctus Antonius, cùm in adolescentia, maximas pœnitentias fecisset, multisque annis incredibiles pugnas cum dæmonibus sustinuisset, quando ad extremam senectam, in qua quietia liquid dandum videbatur, peruenit, renouare cœpit omnia pristina pœnitentiæ exercitia, ad dandum bonum exemplum alijs, quibuscum tunc versabatur.

Athan. in eius vita.

Idem fecit sanctus Franciscus, qui etsi multis mortificationibus, quas initio conuersionis suæ subierat, viribus esset debilitatus & æger, atque idcirco non opus habebat tanta vitæ asperitate ad domandam carnem, quam spiritui iam perfectè subiecerat: tamen vt suo exemplo præiret alijs, etc.

Libr. 1. vitæ, c. 42.

crebrò iterabat opera abstinentiæ & mortificationis. Sciebant nimirum illi sancti Patres vnam tepiditatis & laxitatis in quibusdam religionibus causam esse, quod qui recens ingrediuntur religionem, vt habet beatus Bonauentura, oculos conijcere soleant in exempla seniorum, quod ad pœnitentias & mortificationem attinet, non considerantes, quid egerint, dum essent iuuenes; & ideò nihil imitari volunt; nisi quod in illis viderint, & à primo feruore discedunt. Itaque vt huic incommodo occurrerent, à pristina seueritate viuendi nihil remittebant.

Cæterùm, quia non omnibus suppetunt vires id præstandi, nihilominus congruens est & iustum, vt serui Dei in affecta ætate aliqua mortificationis exercitia, quæ vires non excedant, amplectantur, vt omnes intelligant, quanti illa æstiment, quamque necessaria sint ad virtutum perfectionem assequendam, seque non voluntatis, sed sanitatis vitio à durioribus corporis castigationibus abstinere.

Sanctus Dominicus, tantum operæ ponebat in hominibus bono exemplo iuuandis, auertendisque omnibus of- *In eius vitâ, l. 4. c. 3. & 9.*

fen-

fendiculis, vt ne æger quidem lautiores cibos admitteret, & dum ire faceret pedibus, lassusque & sitibundus diuersorium adiret, ne aquam quidem ad satietatem bibere auderet, & cuiquam in re tam parua malum exemplum daret: vnde ad sitim restinguendam sæpenumerò fontes in via inquirebat. O quàm longè ab hoc sanctorum spiritu absunt, qui suis commodis student, & neglecto bono exemplo, id vnum laborant, vt lautè cum culam curent, & cum in vestitu, tum in habitatione nihil desideretur quod optari queat. Merito sanè sanctus Bernardus perstringit eos, qui in victu, alijsque rebus plus æquo sunt solliciti & curiosi, non contenti ijs, quæ ad vitam tolerandam sufficiunt, ac conscientiam eorum stimulat hisce verbis: *Parce obsecro primùm quidem quieti tuæ, parce conscientiæ: Conscientiæ, dico, non tuæ, sed alterius, illius videlicet, qui propè sedens, & edens, quid sibi apponitur; de tuo singulari ieiunio murmurat.* Vigilantes igitur simus in cauendis scandalorum occasionibus, alijsque bonum exemplum præbeamus, vt mortificationis, quæ instrumentum est ad omnes virtutes, stu-

Serm. 30. in Cant.

studium magni ab omnibus fiat. Sic enim faciemus rem gratam Domino, qui pro salute animarum vitam profudit, & in virtute meritisque apud Deum magnos progressus faciemus. Quemadmodum enim qui prauo suo exemplo alios impellunt in ruinam & perditionem, tot homicidiorum spiritualium apud Deum rei sunt: sic qui bono exemplo plurimis sectandæ virtutis auctores fuêre, vel ad rationes vitæ sanctioris ineundas perduxêre, totidem meritorum & coronarum immortalium apud Deum participes reddentur.

FINIS I. PARTIS.

PARS

PARS II.

IN QVA SIGILLATIM DI claratur quibus in rebus homo si debeat mortifi- care.

PROOEMIVM.



Actenus satis declaravimus, quis finis & scop proposit us nobis esse de beat in hoc Mortificatio nis exercitio, & quo admirandi sint eius fru ctus; nunc superest, u singillatim exponamus, quid homo in se debe mortificare, nempè, amorem proprium, v luntatem propriam, passiones, & alias pr pensiones pravas. Nec arbitrari debem ea, quæ mortificanda sunt semper esse pecca mortalia; sæpè enim ne venialia quide sunt, sed inclinationes tantùm ad peccatu mortificanda autem vel coercenda, n in peccatum aliquod graue vel leue labamur.

CA-

CAPVT I.

Qualis sit Amor proprius, qui mortificandus est, & qui eius effectus.

EST quidam amor, quo homo se amat ordinatè, & bono fine, qui est gloria Dei, vel alius honestus finis, qui natura sua tendat in Deum, quo amore homo amat beatitudinem extremam, eaque omnia quæ ad illam consequendam adiumento esse possunt. Hic amor non appellatur amor proprius, quia etsi eo quæramus nostrum profectum, tamen quia principalis finis loco propositum non habet semetipsum, sed Deum, idcircò potius est amor veræ charitatis, & merè spiritualis. Amor ergo proprius est, quo quis amat seipsum, hoc est; quo quis tãùm studet suis commodis, nulla habita ratione gloriæ diuinæ, idque bifariam fieri potest. Primò, si partem spiritualem hominis pro obiecto habeat, & amet per se virtutes & dona spiritualia animi, ac felicitatem quoq; ipsam, quatenus vtilitatẽ aliquam spiritualem conciliant. Et hic amor proprius est in re spirituali. Verùm quamuis amor proprius, qui primarij finis loco propositum

situm habet seipsum, & non Deum, s
imperfectus, nec sufficiat ad salute
tamen facilè corrigi potest & perfe
nempè mutatione tantùm finis; res
nim spirituales, quæ amantur, exsc
næ sunt. Mortificandus est autem hic
mor, primùm attentè expendendo b
neficiorum diuinorum magnitu
nem, & quanto Dei amore illa sint
bis communicata, deinde capessendu
ardens desiderium placendi ei, qui ta
to amore dignus est, & tot munerib
ad se redamandum nos sibi dev
Quando enim anima erit hoc desid
rio inflammata, facilè longiùs prog
dietur, perspicietque, nihil æquè à De
requiri ad suam gloriam amplifica
dam, quàm vt solidis virtutibus op
ram demus in hac vita, & in altera in
conspectu iucundissimè aliquand
perfruamur, amemusque virtutes, no
tam, quia nobis vtiles sunt, quàm qua
placent Deo, eiusque gloria per illa
promouetur. Et quia in talibus amo
rem proprium exscindere, eumque in
folius Dei amorem conuertere, ma
gnum Dei donum est, & supernaturale,
coniungendæ sunt huic exercitio hu
miles ardentesque preces, & corporales
nonnullæ mortificationes cæteris facil

lio-

liores, vt hoc donum mortificationis à Deo impetretur.

Alius est amor proprius, qui obiecti loco habet sensitiuam hominis partem in voluptates & delitias carnis procliuem, ac etiam rationalem in honores, opes & alia bona temporalia inclinantem. Hoc amore homo non virtutes, sed res naturæ corruptæ inclinationi obnoxias complectitur, nec alium scopum propositum habet, quàm commodum suum temporale. Et hic propriè vocatur amor proprius; qui quidem pernicioſissimus est, quia animum vehementer excæcat. Vnde beatus Gregorius: *Sunt*, inquit, *multa peccata, quæ committimus, sed idcirco nobis grauia non videntur, quia priuato nos amore diligentes, clausis nobis oculis in nostra deceptione blandimur.* Deinde quia est omnium malorum fons & origo, vt paulò post ostendemus. Ex hoc amore manant effectus quidam vitioſi, qui apertè sunt peccata, secundùm Apostolum, dum ait: *In nouissimis diebus erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, & voluptatum amatores magis quàm Dei.*

Hom. 4. in Ezech.

2. Tim. 3.

Dei. Ex eadem radice oriuntur & alij ef-
fectus, sed nō sunt omnes peccata mo-
talia; nec peccati rationem vendicant
nisi quod finem debitum propositum
non habeant. Hos nos patefacere con-
mur, vt constet quid in proprio amore
mortificandum sit. Vnus è vitiosis pro-
prij amoris affectibus est, quando ho-
mo sibi placet, & quando illi sua facta
arrident, non tanquam Dei dona, sed
suæ industrię opera. Alius, quando no
propter Deum, aut alium bonum finem
desiderat ab omnibus amari, sed tan-
tum vt inde aliquod solatium capiat &
voluptatem. Quos affectus fatetur
Augustinus ex proprio & inordinato
amore proficisci.

Lib. 10. conf. c. 36. & 39.

Alij affectus vitiosi ab amore pro-
prio deriuati, sunt, plus æquo pudē
fieri ob defectus naturæ, vt defor-
mitatem vultus, membra distorta,
vocem asperam, inopiam parentum,
officij quod geritur vilitatem, & cæte-
huiusmodi. De solo enim peccato, Dei-
que offensa verecundari debet homo
pudefieri autem de rebus à Deo pro-
fectis, & quæ nullam peccati notam
habent, est hominis nimium se amantis, suumque honorem in omnibus
quærentis. Alius effectus est, si quis

ægrè

ægrè admissam culpam confiteatur, eo quòd coram hominibus sanctior videri velit, quàm sit coram Deo, vel ne aliquid de bona opinione, quam apud alios habet, detrahatur. Si quis ea libenter tractet, vel de ijs rebus loquatur, vnde spes aliqua est honoris & humanæ laudis, si ambiat dignitates maiores & honoratiores, si suas virtutes, sui generis nobilitatem, & alia prædicet: Si optat alios in ea persuasione esse, vt existiment ipsum, non voluntate, sed necessitate, aliorumque imperio ad fastigium alicuius dignitatis euectum, ac proinde credant eum esse humilem, alijsque multis virtutibus ornatum, quæ foris non appareant. Si in operibus bonis, alijsq; actionibus laude dignis præstandis, quæ nouit in hominum oculos incursura, magnum studium adhibeat, vt rectè, & sine cuiusquam querela vel calumnia fiant; quæ verò secreta facit, soli diuino cõspectui nota, non tantum studium in ijs cum omni perfectione exercendis ponat. Vt si, cùm diuinum officium publicè dicendum est, aut paruulæ orationes vocales recitandæ, sit valdè deuotus: si verò priuatim, distractus & incompositus. Si, quoties in præsentia aliorum

ab

ab eo petitur eleemosyna, aut aliud ca-
ritatis opus, promptissimè porrigat; si
clam, nullo præsente, nihil vel parum
communicet. Si domi ob res leuissimas
ira accendatur, publicè verò ob res gra-
uiores iracundiam comprimat, ne sub-
iectus passionibus videatur. Contra
quoque, si negligat bona opera præsta-
re, vt ieiunare, carnem castigare, aegris
seruire, aliaque caritatis opera exerce-
re, ne videatur ab hominibus, non quo
metuat, sanctus ab hominibus reputari;
sed ne existimetur vanæ gloriæ captan-
dæ causa illa fecisse.

Alius eiusdem amoris proprij effe-
ctus est, metuere, ne parui apud alios æ-
stimemur: magnam diligentiam adhi-
bere in procurandis proprijs commo-
dis, facultatibus augendis, & honori-
bus consequendis; contra verò, negli-
genter agere in salute animæ & gloria
diuina promouenda. Multum tempo-
ris consumere in concinnandis ve-
stibus, & componendo cubiculo; exi-
guumque spatium faciendo examini
conscientiæ, & Rosario lectitando re-
linquere. Aduigilare vt famuli do-
mus, & liberi summo mane è lectis se
propriant, & ne minimum quidem tem-
poris punctulum ad quæstum facien-

dum

dum negligāt: nihil autem laborare, vt sacrificium Missæ tempore audiant, vt confessionem peccatorum faciant, doctrinam Christianā addiscant, & diuina mandata præstent. Operam dare, vt reditus, & census annui exactè persoluantur, & negligere, vt famulorum salaria, & debita contracta suo tempore restituantur. Omnem lapidem mouere, vt ęquè ab externis ac à domesticis honor sibi magnus cū magna submissione deferatur, & parui facere, si exigu⁹ honor præstetur Deo, imò iuramētis, blasphemijs, murmurationibus, detractionib⁹, & alijs peccatis indies offendatut. Si omnem industriam collocet, vt supellex domestica, & quicquid in ædibus obiectum est oculis carnis, bellè niteat, sit mēsa lauta, & palato grata, parùm verò curet animam esse puram à vitijs, & virtutibus humilitatis, māsuetudinis, alijsque ornatā, atq; ita compositam, vt diuinis oculis placeat. Si in multis pijs operibus exercere se negligat, ne ab alijs irrideatur, aut detrimētum aliquod patiatur, maximè si erant opera lege aliqua diuina vel humana imperata. Si singulari amore aliquem prosequatur, cuius consuetudine in magnas animi distractiones & perturbationes incidat,

contristetur autem, si eius familiarita
frui nequeat Hi omnes, alijsque id g
nus, sunt affectus inordinati exam
proprio profecti, quibus homo in
rebus præcipuè seipsum & non De
quærit. Sed iam videbimus, quem
modum sint cum sua radice mor
candi & subiugandi.

CAPVT II.

Qua ratione mortificandus sit amor proprius, cum affectibus ex eo ortis.

SEruus Dei ad mortificandum
morem proprium in rebus ad
norem spectantibus, debet eum
tum honorem optare & acceptare,
se vel alios credat posse reddi me
res, vel quem non potest sine iusta
sa repudiare. Quòd si honor ad
horum necessarius sit, aut prosit, ex
tendus vel quærendus non est, cùm
illo aucupando homo non nisi p
prium commodum finis loco spect
possit. Pugnandum autem est co
tra huius generis amorem exerci
contrariorum, vt si quando occasio
offerat defectus naturales cum aliqu
pudore patefaciendi, patefacere non
formidet: noxas quoque in quas rel

gu

gnorantia vel incuria lapsus est, modò scandalum absit, & periculum animæ, non cælet, instar eorum qui fastu & arrogantia tumidi suas laudes effutiunt coram alijs, quãdo nulla etiam se offert occasio: id vero in animo propositũ habeat, talis apud homines haberi, qualis sit apud Deum, & in humilitate facere progressum, exstirpata superbia Item si, quæ opera bona præstare possit clam, ea non faciat publicè citra necessitatem: sed nec dona & charismata diuinitus accepta cuiquam aperiat, nisi Patri spirituali, quem in salute animę curanda elegit Quòd si quædam opera bona non ita secretè fieri possint, quin in aliorum notitiam veniant, ea vanæ gloriæ, vel calumniarum metu prætermittat, sed in omnibus tantum quærat Dei gloriam, suamque salutem, & gaudeat in corde, quod à nonnullis irrideatur. Si ob aliquem defectum arguatur, aut bonum eius opus in malam partem trahatur, si scandalum damnumque omne spirituale absit, silentio se tueatur, non excuset, nec purget. Sic mortificãdus est amor proprius circa honorem. Sed quia magni momenti est mortificatio huius affectus, nonnulla maioris declarationis causa adiungemus.

In rebus ad vitæ conseruationem, curamve corporis & fortunarum pertinentibus seruus Dei amoris propri mortificandi causa non debet vel expetere, vel admittere superuacanea, & quæ tantùm ad voluptatem conciliandam seruiant, sed quæ sunt necessaria. Quod docuit alicubi B. Basil. Corpori, inquit, seruiendum non est, nisi necessitas postulet. Et rationem addit: quia si molliter tractetur, bonis animi viam præcludit. Et quia in rebus necessarijs fallere nos potest amor proprius, vt vel inordinato affectu, vel peruerso fine illas usurpemus, amorem proprium coercere inter eos limites debemus, vt ex parte nostra carere velimus voluptate & gustu quem præbent, modò sit res licita & honesta. Loquor de rebus ad vitam necessarijs, vt cibo, potu, vestitu, somno, honesta recreatione, alijsque similibus, quæ quia inclinationi nostræ sunt conformes, voluptatem quandam habent annexam, qua si homo ex parte sua carere cupiat, multum apud Deum meteri potest. Quod fit, quando homo in corde suo dicit: si possem sine vlla voluptate necessitati succurrere, ob Dei amorem, & ad imitandam Christi crucem, libenter facerem. Itaque amor proprius

Orat. 22. de anima.

mor-

mortificatur, quando rebus necessarijs, neque affectu, neque fine inordinato vtimur, sed tantùm vt naturali necessitati, diuinæq; ordinationi, quæ est, vt vtamur creaturis ad corporis nostri sustentationem, faciamus satis.

Vt autem rectius intelligamus, quo fine res necessarias vsurpare debeamus, ad mortificandum amorem proprium, cumulandaque merita (quæ res est maximi ponderis) obseruandum est, inter opera, quæ ad gloriam Dei à nobis præstantur, quædam suapte natura esse bona, & sancta, vt orare, quod est opus religionis: eleemosynam pauperi dare, quod est opus caritatis, debita restituere, præceptis parentum obsequi, & superiorum, quæ sunt opera iustitiæ, vel virtutum. In his operibus, vt bona sint, & vt in gratia existens illis aliquid mereatur, non opus est alium propositum esse finem quàm ipsa habent. Itaque si seruus Dei in horum operum exercitio non apponat prauum finem, vel hominibus placendi, vel nomen & famam aucupandi, sed tantùm ea præstet, quia sunt præcepta vel consulta in noua lege à Deo, vel quia per se sunt opera bona, iam verè illis promereri potest vitam æternam.

Verum est, ea præstantiora maioris-que meriti fore, si actuali consideratione ad Dei gloriam referantur, vt hæc magis ei placeamus: tamen id necessarium non est, satis enim est ad ea præstanda moueri, quia bona sunt, & in lege diuina approbata, ac vitæ æternæ, amplioris-que gratiæ in iustis meritoria. Nam vt affirmat diuus Thomas Aquinas, & cum eo Theologi omnes, ratio-que naturalis euincit, vt opus aliquod sit meritorium, sufficit si natura sua bonum sit, si finem bonum cuicunque virtuti præstitutum habeat, si non affectum circumstantijs vitiosis, & exerceatur ab homine existente in gratia & caritate, qua Deum diligat super omnia. Cuius doctrinæ illa causa est, quia omne opus bonum nullo vitioso fine inquinatum ex se tendit in Deum, ac maximè, quia illa voluntas, qua iustus Deum sibi proponit tanquam vltimum finem, serio-que constituit illi seruire, & in omnibus placere, omnia opera bona quasi secum trahit, vt recta intentione fiant. Itaque quia illa ex tam bono fonte & radice prodeunt, certum est omnia virtualiter, vt Theologi loquuntur, referri in Deum, esse-que vitæ æternæ meritoria.

1.2. q. 21. a. 3. & 4. 2. sent. d. 40. q. 3. a. 5. & 38 q. 1. a. 1. ad. 4. Caiet. 1.2 q. 114. a. 3.

Qua

Quæ res magno solatio est pijs & iustis, eosque vehementer inflammat, vt iugi bonorũ operum exercitationi se dedãt.

Iam verò alia seruorum Dei opera sunt, quæ sua natura nec bona, nec mala sunt, & ideo vocantur adiaphora, vel indifferentia, vti sunt edere, bibere, dormire, ambulare, ludere, ciuilia officia tractare, liberos educare, emere, vendere, ædificare. Hæc & id genus alia innumera opera, in quibus magna temporis & vitæ humanæ pars consumitur, vt bona sint, iustoque valeant ad promerendam vitam æternam, suæ naturæ relinquenda non sunt, sed aliquo fine bono exornanda, vt si seruus Dei ea faciat, quia Deus voluit ea fieri, vel quia ad vitam humanam sunt necessaria, vel quia ad bonum aliquem finem conducunt, vel etiam quia ratio humana dictat facienda. Quòd si ea præstet, nullo horum finium proposito, tum à solo amore proprio oriuntur, commodi tantùm sui studioso, ac proinde nullam vim merendi apud Deum habent. Sin verò ob dictos fines, vel alium cuiusuis virtutis faciat, vt quia parentes vel superiores ita mandârint, quod est obedientiæ, vel vt solatium aliquod præstet proximo, quod est charitatis,

tunc illa alioquin adiaphora, efficiuntur bona, & in eo qui existit in gratia
1. 2. q. 18. a. 9. 2. sent. d. 40 q. 5. a. 5. de malo. q. 2. a 5. teste sancto Thoma, alijsque Theologis vitæ æternæ meritoria.

His ita constitutis, vt intelligatur quando amor proprius mortificandus sit in dictis operibus ad vitam humanam necessarijs, animaduertendum est, hac mortificatione opus non esse, cùm ita sunt necessaria, vt sine detrimento omitti non queant: sed tantum cùm citra damnum aliquod deseri possunt, etiamsi non sint superflua, cuiusmodi sunt corporum recreationes quædam, varia famulorum ministeria, ædium ornamenta, victus, vestitusque commoda, quæ citra iacturā minui possunt. Sed & mortificationi aliquando locus est, quando diuina ordinatione etiam valdè necessaria subtrahuntur, conformando suam voluntatem cum diuino exemplo Iob, & dicendo: Sit nomen Domini benedictum. Vt verò homo persuadeat sibi, ita esse faciendum, debet oculos mentis ad se reflectere, & penitius expendere, quantum malorum ex vno amore proprio profectum sit, quomodo omnium peccatorum ante hac contra Deum commissorum fons fuerit & seminarium. Et quemadmodum

dum homo sceleratus non modò persequitur hostem, à quo iniuria affectus est, sed etiam eius parentem, à quo genitus est: sic amator virtutis, non solùm debet odisse, & è medio tollere peccatũ, à quo occisus est, verùm etiam persequi, & mortificare amorẽ proprium, qui fons est & origo omnium peccatorum commissorum, quo fonte semel sublato, longius absit ab occasione deinceps delinquendi. Illud quoque scire debet, quo plus amorem proprium mortificârit, hoc Deum liberaliorem fore in diuino amore illi communicando: idcircò enim filius Dei in hunc mundum venit, factus homo, & pro homine passus, vt ignem cœlestem secum deferret, eumque in cordibus nostris accenderet. Et quia amoris diuini ignis repugnat igni amoris proprij: quo homo maiores progressus faciet expugnando cum diuina gratia amorem proprium, expurgando per mortificationem animum ab eius sordibus: hoc Deus magis magisque indies sua diuini amoris & gratiæ dona pretiosissima cumulabit.

Luc. 12.

Aug. l. 83 q. 36.

CAPVT III.

Quid sit propria voluntas, & quomodo mortificanda sit.

VOluntas propria ab amore proprio discrepat, sicut à genere species, & à parte totum: nomine enim amoris proprij omnes affectus & motus inordinati tam sentientis, quàm rationalis partis, quibus homo seipsum quærit, continentur. Voluntas verò propria duntaxat comprehendit actiones & commotiones partis intelligentis, quibus se, non Deum, homo quærit, tanquam primarium finem. Quod vsu venit homini, quotiescunque cupiditate in rem quampiam nullo virtutis fine præstituto fertur, sed tantùm facit, quia ita collibuit. De qua voluntate beatus Bernardus: *Lepra*, inquit, *nimis pessima propria voluntas, eoque pernitiosior, quò magis interior. Voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantùm: quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo, & prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum.* Nulla opera bona ex hoc proprio amore fa-

Serm. 3. de resurr.

cta sunt grata Deo, quia recto fine destituta sunt, vti declarat Propheta Isaias, quando populus obmurmurans querebatur, dicens: *Quare ieiunauimus, & non aspexisti: humiliauimus animas nostras, & nescisti?* Et respondit Dominus: *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra*: quasi diceret, non habuistis propositum in ieiunijs rectum finem, nempè meæ voluntati parendi, sed inordinatos fines ex propria voluntate ortos. *Isaiæ 58.*

In quæ verba beatus Bernardus: *Ego*, inquit, *non solùm de ieiunio, sed de silentio, de vigilijs, de oratione, de lectione, de opere manuum, postremò de omni obseruatione monachi, vbi inuenitur voluntas sua in ea, & non obedientia magistri sui, idipsum sentio.* Et paulò post exclamat: *Grande malum propria voluntas, qua fit, vt bona tua tibi non bona sint, quia nihil omninò quod propria inquinatum sit voluntate gustabit Christus.* Nec solum huius mali causa est propria voluntas, sed multorum aliorum inde manantium; sicut enim efficit, vt opera nostra Deo grata non sint, sic etiam vt transeant in noxam, ob quã digni reddimur pœna. Nam cùm teneatur præstare opera ad obsequendum voluntati diuinæ, non præstat nisi vt obsequatur suæ: qua in re iniuriam fa- *Serm. 61. in Cant.*

cit Deo, vt notauit idem sanctus, dicens: *Voluntas propria quo furore Dominum maiestatis impugnet, audiant, & timeant seruui propriæ voluntatis. Primò namque seipsum subtrahit & subducit eius dominatui, cui iuxquam auctori seruire iure debuerat, dum efficitur sua. Hæc aduersus Deum inimicitias exercens est, & guerram crudelissimam. Quis enim odit, aut punit Deus præter propriam voluntatem? Cesset voluntas propria, & infernus non erit.* Hæc omnia Bernardus, qui optimè intellexit, quàm pernitiosa res sit propria voluntas, quantaq; mala ex ea dimanent.

Serm. 3. de resurr.

Verùm omissis grauioribus peccatis, ex propria voluntate natis, quæ pœnitentia expianda sunt, declarabimus tantum affectus inordinatos, occultaque quædam vitia, quæ ex ea oriuntur, qualia sunt teneri cupiditate rerum curiosarum, vt historiarum, vitæ ab hominibus actæ, & rerum futurarum. vnde fit vt homo se dedat lectioni librorum vanissimorum, itinera inutilia faciat ad huiusmodi spectandá, superstitiosis quoque commentis sortium, cœlestium aspectuum, chiromantiæ, & alijs huiusmodi ad indagandos fortuitos euentus vtatur. Deinde amare contentiones & li-

tes, nec discedere ab illis, nisi parta victoria: non subijcere se aliorum imperio, non ferre aliorum monita, nolle legibus vllis ad officium compelli. In omnibus rebus venari commoda propria, nulli parcere labori in ijs, quę cum quæstu priuato cõiuncta sunt, in communibus verò vtilitatibus procurandis agere languidiùs: cogitationibus omnem impartiri licentiam, vt ferantur quocunque libido impulerit: alios in suam sententiam & voluntatem trahere, vt faciant quid, quando, & vbi ipse voluerit, nec quidem in licitis rebus aliorum voluntati se accommodare. Consuetudinem & amicitiam colere cum quibusdam, non profectus causa, sed quia ex eorum conuersatione capiunt voluptatem. Copiam rerum omnium adamare, nihil tamen alijs dare, vel commodare, ne aliquid de nostra commoditate detrahatur. Nihil velle sibi negari, importuneque petita extorquere. Nulla in domo vel loco diu morari, sed nulla necessitate facilè & data opera, quia libet, aliò commigrare. Si rei alicuius cupido in mentem veniat, non expendere, an conueniat eam exequi, sed mox excogitare media, quibus illa ad effectum deducatur.

Si eius auxilium in exercendo caritatis opere postuletur, vel si à Superiore idem imperetur, excluſa omni deliberatione, possitne facere, necne; repente se excusare, & onus in alios reijcere. Velle sibi promptissimam ab inferioribus obedientiam in imperatis, & ab æqualibus in consultis præstari, non ob gloriam Dei, aut vtilitatem illorum, sed tantùm, quia ita visum est. Facilè alijs contradicere in ijs, quę palato non sapiunt, nullius autē contradictionem & obloquia ferre.

Hi, alijque similes sunt propriæ voluntatis affectus, in quibus homo neque Dei glóriam, nec animæ suæ salutem, aliumúe virtutis finem ante oculos obiectum habet, sed tantùm laborat, vt suæ voluntati satisfiat. Quare efficitur, vt opera inde nata sint inordinata, & Deo ingrata. nam vt Sanctus Gregorius scribit, qui propriam voluntatem sectantur, sæpè arbitrantur opera sua grata esse Deo, & tamen ab eo, licet grandia sint, & præclara, minimè approbantur.

In 1. Reg. c. 15.

CA-

CAPVT IV.

Quemadmodum mortificanda sit propria voluntas cum suis inordinatis affectionibus, vt curiositate, familiaritate nimia, aliisq; huiusmodi.

AFfectiones prauæ, quas supra diximus, oriri ex voluntate propria, in hunc modum mortificandæ sunt. Curiositas comprehendendarum artium, hostoriarū & fabularum mortificatur, si apud animum nostrum constituamus, nulli rei cognoscendæ operam dare, quàm quæ status & officij, quod gerimus, legibus congruat, & ad maiorem Dei gloriam, proximiq; salutem procurandam prosit. Sic loquitur Sanctus Paulus. *Dico,* Rom. 12. inquiens, *per gratiam, quæ data est mihi, omnibus, qui sunt intra vos: non plus sapere, quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatē,* hoc est, ea moderatione, quā ratio postulat, non arrogare sibi nimium, sed humiliter de se sentire, non inuestigare quæstiones curiosas, sed fidei, bonorumque morum documenta, vt exponit B. Anselmus.

Curiositas inquirendi in vitam alterius mortificanda est desiderio solas vir-

virtutes, & pia opera proximorum cognoscendi, non autem defectus, ni quos ex officio, vel ex caritate corrigere possemus: alia siquidem indaganoxium est, teste Sancto Gregorio, cum ait: *Graue curiositatis est vitium, quæ quamcuiuslibet mentem ad inuestigandam vitam proximi exterius ducat, semper ei sua intima abscondit, vt aliena sciens se nesciat: & curiosi animus, quanto peritus fuerit alieni meriti, tanto fiat ignarus sui.* Curiositas verò cognoscendi res occultas, vel futura contingentia, bona vel mala, quæ indocti vocant bonam vel malam fortunam, mortificanda est studio magno non cognoscendi vel scrutandi alia, quam diuinis litteris sint patefacta, & fructuosa sint ad præstandam legem diuinam, ac peccata cauenda. In hac enim curiositate non solùm est inordinatio, sed periculum, ne quis fallatur à dæmone, qui curiosis huiusmodi rebus se immiscere consueuit, quemadmodum Ecclesia nos commonet in quodam decreto, his verbis: *His portentis per diabolorum fallaciam illuditur curiositas humana, quando id impudenter appetunt scire, quod nulla ratione competit eis inuestigare. Hæc potestas immundis spiritibus ideo datur, vt peruersos sibi aptent, hoc est, praues homines*

Hom.36. in Euang.

c. nec mirũ, 25.

seduc-

seducant. Certè Sancti voluerunt seruum Dei tam alienum esse à curiositatis vitio, vt S. Dorotheus inter alia documenta grauissima virtutum amatoribus data, tradat & hoc, vt quoties domum vel cubiculum amici ingressus fuerit, nullo modo curiosus sit in considerandis & scrutandis rebus, quæ in eo reperiuntur.

Affectio contendendi vel rixandi mortificanda est, non solùm, quando causam nullam habet litem intendendi alteri, sed etiam quando habet: itaq; cum bis terúe rationem iustitiæ suæ causæ reddiderit, aduersarius verò iniustè repugnet, taceat potius, quàm litem prosequatur, & vinci malit, quàm vincere. Sic faciet actum magnæ charitatis cum proximo, sublato scilicet omnium rixarum, & altercationum, quę inde oriri poterant, fomento. Humilitatis quoque exemplum non exiguum dabit, quòd vinci potius, quàm vincere studuerit: imò & caritatis in Deum, quòd hoc facto omnia bella, quæ nasci potuerant, resecârit. Quam ob causam dicit Sapiens: Separa te à contentionibus, & peccata euades. Huius exemplum dedit B. Gregorius, qui cum sententiam suam de quodam Euangelij argu-

Eccl. 28. hō. 36. in Euan.

argumento exposuisset, mox subijcit, si quis contrarium sentiat, se salua fidei veritate, potius velle alienæ sententiæ subscribere, quàm cum aliquo contendere. Hoc monitum de mortificanda propria voluntate in contentionib. tanquam magni momenti commẽdat Sanctus Vincentius Ferrerius. In rebus humanis, inquit, etiamsi contra omnem rationem, quis tibi litem moueat, ne tuam, sed illius sequere volũtatem: maioris enim pretij est iacturam facere rei temporalis, quàm tranquillitatem cordis perdere, quæ perditur alteri repugnando. Quod si de re spirituali illis sit, etiamsi tibi tua causa videatur præstantior & sanior, non tuæ, sed alterius obsequare voluntati, nec plus fieri potest citra peccatum, quia ex contentione maiorem iacturam facies humilitatis & internæ pacis, quàm vtilitatem capies ex defensione partis sanioris.

In vita spir. c. 3.

Cæterùm, quando qui tecum de re aliqua controuersiam habent, persuadere tibi volunt aliquod malum, vel quod impediat spiritalem profectum, vel maiorem Dei gloriam, etiamsi ei nec; credere debeas, neque parêre, non tamen debes cum illo cõtentionem prosequi,

vel

rel animo excruciari, sed omni studio ex parte tua adhibito, negotium totum Deo committere. Ac nôris, Deum nũquam id permissurum, si tibi non foret conducibile, experientiaq; ipsa disces, impedimentum, quod in cursu pietatis tibi obijcere suo litigãdi desiderio voluêre, cessurum in vberiorem animæ tuæ profectum, ac ad finem & scopum, quò collimasti, melius & facilius peruenturum.

Hæc omnia monet Sanctus Vincentius, accurateq; docet, quemadmodum propria voluntas mortificanda sit in litibus, qua de re copiosius infra age- *Cap 31.*
mus.

Voluntas præterea mortificanda est, voluntati maiorum & Superiorum fideliter obsequendo, & gubernationem eorum in omnibus rebus optando. In rebus quoque multis, non illicitis subijciendo æqualibus & inferioribus, vt monet S Petrus. *Subiecti*, inquit, *estote* 2. *Pet.* 2.
omni humanæ creaturæ propter Deum, quod sanè est opus magnæ humilitatis, & subiectionis. Mortificanda item est in multis rebus, quas rogamur, in consilijs quoque, quæ auditis aliorum sententijs, agitantur, in omnibus, commodis nostris posthabitis, id tantum.

pro-

probantes, quod ad maiorem Dei gloriam, prouentumque spiritalem nostri & proximorum facere videatur. Mortificanda est & imaginatio, vel phantasia, pertrahendo eam ad rerum diuinarum considerationem, aliarumque rerum salutarium. Ad retinendam autem caritatem, & animorum vnionem mortificanda est natura, vt se in rebus licitis conformare conetur cum omnibus. Familiares etiam amicitiæ & consuetudines, quæ necessariæ non sunt, & seruiunt tantùm ad viles consolatiunculas, omni studio dissoluendæ sunt, quia animum maiorem in modum ledunt & distrahunt.

Imprimis autem ijs, qui in congregatione multorum viuunt, cauendæ sunt, nam si secus fiat, colloquia fere de rebus vanis & inutilibus, non autem de spiritualibus & diuinis instituuntur, crebræ incidunt obmurmurationes contra superiores, & alios, arcana multa, quæ silentio premenda erat, nullo fructu panduntur, & alia non parua damna animis inferuntur. Hoc documentum reliquit B. Basilius. Qui, inquit, viuunt in communi virorum vel fœminarum cœtu, non plus vnum, quam alterum diligant, non cum hoc potius,

Serm. 2. de instit. mon.

potius, quam cum illo conuersentur: cùm enim æqualem omnibus debeamus charitatem, quando peculiares illæ familiaritates ineuntur, violatur iustitia. Qui enim maiori amore prosequitur vnum, quam alium, declarat se álios non amare perfectè. Deinde multæ ex priuatis illis amicitijs & congressibus nascuntur suspiciones, & inuidiæ. Quare prorsus exterminandæ sunt. Neque inde consequetur, si æqualiter omnes amandi sint, aliquid detractum iri honori maiorum, & superiorum: nam, sicut in membris corporis accidit, licet æqualiter omnib. compatiamur, totumque corpus ad quodvis curandum inclinemus, tamen non ideò honorem suum primarijs, magisque necessarijs detrahimus: sic in societate multorum, licet æqualiter omnibus amoris officia deferamus, non idcirco suum honorem, & venerationem negamus maioribus, & dignioribus. Hæc omnia Beatus Basilius, qui magna verborum exaggeratione hanc doctrinam vrget, pro monasticæ & cœnobiticæ vitę institutione ac conseruatione.

Denique seruo Dei incumbit cohibere eandem voluntatem suam in reliquis

quis omnibus rebus similibus: sic pressus, vt paratus sit suo solatio, & voluptate priuari, vt consoletur & roboret alios: vt commodis suis aliquid detrahat, quo possit prouidere aliorum inopiæ, vt liberalis sit in largiendo, & non importunus in petendo, vt aliorum lapsus & imperfectiones moderatè ferat, sicut vellet ferri suas: ac denique non antè aliquid tentet aut aggrediatur, quàm in trutina iudicij expenderit, quid facere conueniat, ac tandem faciat, non quod propriæ voluntati, quæ ducit ad perditionem, sed quod voluntati diuinæ, quæ sanctificat & saluat animas nostras, responderit.

CAPVT V.

Quam vtile, magnique momenti sit exercitium mortificandi propriam voluntatem.

QVamuis omnis mortificatio admodum vtilis sit, & salutaris: vt qua nobis conciliamus Deum, imitamur Christum dominum, animamque variis virtutum ornamentis, vt diximus, expolimus; tamen propriæ voluntatis mortificationi nihil est anteferendum, siue fructum spiritualem,

tualem, siue necessitatem spectemus. Nam licet prauæ carnis inclinationes, tentationesque dæmonis & mundi sint fons & radix peccatorum, tamen nisi consensus propriæ voluntatis accesserit, veri peccati rationem non habent. Quare primaria, & propria peccati radix, cui resecandæ mortificationis cultellus applicandus est, est voluntas propria. Sic probârunt & docuerunt Patres. Cassianus enim ita loquitur: *Multis experimentis edocti Patres tradunt monachum, & maximè iuniores, ne voluptatem quidem concupiscentiæ suæ refrenare posse, nisi prius mortificare per obedientiam suas didicerint voluntates. Ideoq; pronunciant nullatenus prævalere vel iram, vel tristitiam, vel spiritum fornicationis extinguere, sed nec humilitatem cordis veram, nec cum fratribus vnitatem perpetuam, nec firmam diutu: namq; posse retinere concordiam: sed nec in cœnobio quidem diutius permanere eũ, quin prius volũtates suas didicerit superare.* Hæc scripsit Cassian. de ijs, qui sunt sub aliorum obedientia. Qui verò non sunt sub obedientia aliorum, & tamen syncerè desiderant seruire Deo, cordisque puritatem tueri, illi sibi imperare debent, & propensiones animi sui ad examen reuocare, & con-

Lib. 4. de instit. c. 8.

& contraria cõtrarijs pellere. Vt exempli causa : Venit cuipiam desiderium honorificum officium suscipiendi, pallium elegans vsurpandi, adeundi publicum spectaculum, conuiuium nobile frequentandi : ilico secum expendit, sitne corpori vel animæ salutare, desiderio parere; si non sit, decernit satius esse desiderio non satisfacere. In mentem incidit commemorare coram alijs res cum laude gestas vel à se, vel à maioribus, loqui eruditè de rebus sublimibus, & reconditis, vt nomen & famam aliquam apud alios colligat, & aduertens non esse necessarium, tacet. Capitur cupiditate cognoscendarum rerum nouarum ex varijs regionibus, & videns, rem esse magis curiosam, quàm vtilem, repudiat. Sentit difficultatem, si primus salutare debeat conditione inferiorem, vel à quo læsus est; si inuisendus sit homo abiectus & inops, si ægri cura habenda, si cibus sumendus cum quibusdam, qui nauseam moturi videantur, & tamen vbi collegerit se, vincens seipsum, facit. Hoc modo, qui nulli subiectus est, mortificare potest voluntatem propriam, particepsque fit omnium meritorum, ac fructuum spiritalium, quos gignit

mor-

mortificatio, nec non paulatim radicitus euellit omnium peccatorum fontem, & pertingit ad perfectionē abnegationis sui tantopere à Christo in Euangelio laudatæ, vt obseruauit S. Vincentius, dum scribit: Abnegare seipsum, & Christum sequi, esse in omnib' rebus mortificare & subijcere propriam voluntatem. *In vita spir. c. 2.*

Est quidem difficile, licet salutare, mortificare carnem ieiunijs, disciplinis, alijsque asperioribus pœnitentijs, verùm longè difficilius, atque etiam vtilius est mortificare, etiamsi nulla corporis afflictio accedat, propriam voluntatem, vt Sanctus Gregorius animaduertit. *Quid*, inquit, *est humanæ menti angustius, quàm voluntates propriàs frangere? de qua fractione veritas dicit, Intrate per angustam portam.* Et alibi tradit esse sublimioris meriti propriam voluntatem submittere alienæ, quàm corpus magnis ieiunijs affligere. Confirmat hanc doctrinam S. Dorotheus, dum scribit, discipuli sui Dosithei hanc præcipuam exercitationem fuisse, vt crebrius frangeret propriam voluntatem. Nam cum aliquid illi adferrent ad vsum quotidianum necessarium, diligenterque & nitidè confectum, imperabat, *Lib. 32 mor. c. 23. Lib. 6 in Reg libros. c. 15. Doroth. sermon. 1.*

rabat, vt alij potius, quam sibi traderent. Si aduertebat superiorem affici ad librum, vel cultellum, quo vtebatur in curandis ægris, mandabat, ne amplius eo vteretur. Si quid scisciabatur cognitione dignum, sine serio responso eum dimittebat. In his omnibus Dositheus promptè obediebat, patienterque cum silentio omnia perferebat, ac intra quinquennium ad tantam virtutis perfectionem peruenit, vt post mortem conspectus sit inter religionis illius sanctos ad magnam euectus gloriam. Mirabantur alij monachi, Dositheum tam breui tempore ad tantum virtutis fastigium conscendisse, cum tamen ob corporis debilitatem, in sustinendis ieiunijs, vigilijs, alijsq; asperitatibus longè inferior esset reliquis. Verùm rogatus de ea re, respondit, se omnem operam & studium posuisse in mortificanda iugiter propria voluntate, eaque voluntati superiorum conformanda.

O quàm ingentes opes animæ in hoc mortificationis propriæ voluntatis scrinio delitescunt! O quàm præsens & efficax antidotum est breui tempore magnos faciendi progressus, pacemque & tranquillitatem animi perpe-

tuam

tuam comparandi, ac inprimis concordiam & vnionem cum omnibus? Quòd idem Dorotheus in hanc sententiam exponere pergit. Si volumus, inquiens, frui perfecta libertate spiritus, exerceamus nos in cohibendis proprijs cupiditatibus, auxilioque diuino nixi in veræ pietatis studio eousque proficiemus, vt rerum omnium terrenarum amorem facilè exuamus, veram serenamque conscientiæ quietem acquiramus, tantamque in aduersis tolerandis animi fortitudinem, vt sine vlla perturbatione, libenterque de manu Dei omnia, quæ euenire possunt, accipiamus: eò quod nulla res æquè homini cõducat, ac mortificatio propriæ voluntatis. Hucusq; ille sanctus, qui vti à Deo eximiè illustratus, experientiaque longa edoctus probè intelligebat efficaciam huius exercitationis.

Illud verò, quod beneficio mortificatæ propriæ voluntatis præcipuè acquiritur, est cõformitas nostræ voluntatis cum diuina, nihil enim impedit, nos ab explenda Dei volũtate, nisi voluntas propria, quare hac per mortificationem subacta, anima ab omnibus impuris affectibus, quibus res caducas sectabatur, & suis commodis inhiabat.

expurgatur, atque directò & purè in omnibus quærit Deum, sanctissimamq; eius voluntatem. In quem sensum dixit S. Augustinus: *Nutrimentum charitatis est imminutio cupiditatis*, id est, inordinati affectus erga res temporales. *Perfectio verò caritatis, nulla cupiditas.* Hæc enim imminutio fit per mortificationem propriæ voluntatis. O dulcissimos fructus, ô præmia admiranda eorum, qui suæ voluntati dominantur. Hæc sunt cœlestia promissa à Christo per D. Ioannem data, dum ait: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Fructus ligni vitæ, qui est Christus in medio Ecclesiæ existens, est diuinus amor, quo animæ sustentantur & delectantur. Et rursum dicit *Vincenti dabo manna absconditum.* Hoc manna est beata pax & tranquillitas conscientiæ, qua fruuntur omnes, qui strenuè mortificationi studeant.

CAPVT VI.

De inordinatione propriæ voluntatis circa honores & laudes humanas, & quam magno beneficio à Deo afficiantur, qui huic vitio medentur.

Inter

INter omnes affectus propriæ voluntatis pernicioſiſſimus eſt honoris & humanæ gloriæ, atque idcircò ſingulari ſtudio per mortificationem comprimendus eſt. Quoniam enim anima humana tantæ dignitatis eſt, & nobilitatis, conditaque ad perfruendum ſumma æternæ fœlicitatis gloria, idcircò vt naturali ſuæ cupiditati quadantenus faciat ſatis, ſemper in omnibus rebus aucupatur honorem ampliorem, & locum excelſiorem. Vnde quando ſecundum doctrinæ cœleſtis inſtitutionem non deſigit affectum omnem in gloria cœleſti, quàm poſt hanc vitam expectamus, totam ſe conuertit ad venandos honores huius mũdi caducos & fluxos: & eadem de cauſa hæc honoris terreni cupiditas ſic intimè inhæret mortalium pectoribus, vt quotquot eam vel fidei Chriſtianæ, vel gratiæ diuinæ ope non mortificârunt, aliud non videantur quærere & inſectari, niſi honores. Vnde Ethnicus Poeta quidam cecinit: *Omnes mortales ſeſe laudari exoptant.* Quæ verba conſiderans Beatus Auguſtinus, notat illum ita locutum, quia id in ſe & alijs expertus fuerat. Tanta enim cupiditate honorum & ambitione erant gentiles accenſi,

Ennius. Aug. l 13 de Trinit. c. 3.

censi, vt nullos labores, nulla vitæ discrimina ad eos consequendos refugerent. Id idem Augustinus testatur alibi. *Propter amorem*, inquiens, *laudis humanæ multa magna fecerunt, qui magni in hoc sæculo nominati sunt, multumque laudati in ciuitatibus gentium, quærentes non apud Deum, sed apud homines gloriam, & propter hanc, velut prudenter, fortiter, temperanter, iustèque viuentes, ad quam peruenientes, perceperunt mercedem suam, vani vanam.* Agens verò sigillatim de Romanis, qui in virtutum studio cæteras gentes superauerunt. *Veteres*, inquit, *primique Romani gloriam adentissimè dilexerunt, propter hanc viuere voluerunt, pro hac & mori non dubitauerunt, cæteras cupiditates huius vnius ingenti cupiditate presserunt.* Tamq; hac honorũ ambitione excęcati erant, vt tanquam virtutem Reipublicæ necessariam, & fructuosam reputarent: quare & opera tali fine facta inter virtutum opera recensebant. Ita enim testatur idem Beatus Augustinus: *Non solùm*, inquiens, *hoc vitio non resistebant, verumetiam id excitandum & accendendam esse censebant, putantes hoc vtile esse Reipublicæ.* Putabant ergò vtilem esse fastum & superbiam, omnium criminum fontem, & virtutis omnis-

In Psal. 185. conc. 12.

Lib. 5. de ciuit. c. 12.

Ibid. c. 13.

omnium hostem capitalem. Vnde sequebatur, vt quæ doctrina Christi loco antidoti habet ad extirpandam superbiam, vt fugam honorum laudumque humanarum, contumeliarum, & illusionum cum gaudio tolerantiam, ea illi loco magnæ stultitiæ haberent, & Euangelium, in quo verbo & exemplo hæc prædicantur, rem iudicarent dementissimam.

Cæterùm ij, quibus diuina sua luce Deus oculos illustrârat, inde clarissimum testimonium pro fidei Christianæ veritate sumpserunt, dum non obscurè cernerent, pestilentissimi vitij superbiæ, (quod non modò virtutes omnes excindebat, sed etiam mortales in alia horrenda flagitia pertrahebat) fœditatem, eiusque radicem, insatiabilem honorum appetitum, splendore fidei Christianæ discuti & condemnari, atque efficacissimis congruentissimisque remedijs sanari, efficiendo homines è superbis humillimos, omniumque laudum humanarum contemptores, & solius gloriæ diuinæ zelatores. Id insinuat S. Paulus, cùm ait: Verbum crucis filijs perditionis existimatam stultitiam, ijs verò, qui saluifiunt, virtutem Dei ac sapientiam 1. Cor. 1. 1. Tim. 3.

Gloriæ siquidem humanæ amatoribus opprobriũ crucis,& q; Deus hoc medio mundum voluerit ab exitio æterno vindicare, ingens quædam stultitia visa est. Ijs verò, quibus cœlestis gratia illuxit,iniuriæ & contumeliæ crucis visæ sunt infinitæ Dei sapientiæ ac potentiæ indices, eò quod illæ solæ valerent ad reprimendam mundi superbiam, vanumq́ue honorum temporalium amorem.

Affectiones inordinatę ex honorum cupiditate profluentes, sunt ambire dignitates, optare, imperare & dominari alijs, aucupari nomen, famam & existimationem magnam apud omnes, res suas verbis efferre immodicè, per ostentationem, alijsq́ue inculcare, quibus naturę & gratię donis reliquis præluceat mortalibus, iactare eloquentiam in publicis hominum conuentibus, vt cum acclamatione applaudatur, excitare opera æterna in terris, vt laudes celebrentur in secula, errata lapsusquè suos vel defendere, vel certè, quoad fieri potest, obtegere; & si contingat ea patefieri, laborare vt homines intelligãt non necessitate coactum, sed sponte ex humilitate se ea detexisse: optare, vt dum honoribus cupidè inhiat, alij

tamen

tamen existiment eum nec optare nec aucupari illos. Velle impensè diligi à maioribus, & timeri à minoribus: existimare omnes actiones suas esse laude dignas, & ab omni querela ac reprehensione immunes. Expetere vt omnes credant eum progeniem ducere à nobilissimis maioribus, abundare cognatis & amicis generis & virtutis splendore clarissimis, se multum eorum auxilio fultum posse, illosque sui respectu magnifica multa agere Hi alijque similes sunt affectus inordinati, qui nascuntur ex propria hominis voluntate, & magnoperè mortificationis beneficio indigent.

CAPVT VII.

Qua ratione mortificandi sint affectus propriæ voluntatis, dum quis aucupatur honorem & laudes humanas.

ETsi nonnunquam vsuueniat, vt licitè homo possit, & exoptare & acceptare honores laudesque humanas, non sui solandi, vel comparandæ apud homines existimationis causa, sed quia ita expedire videtur ad ipsius aliorumque profectum & salu-

tem; quo fine & cauterium ferro candenti corpori inurimus, vel medicinam aliam vſurpamus ad recuperandam ſanitatem: nihilominus, ſicut ad refrænandas alias prauas inclinationes, & inordinatas appetitiones, non modò abſtinemus ab illicitis & vetitis, ſed etiam licitis (quòd ſacræ ſcripturæ ſanctorumque Patrum teſtimonijs probauimus) ſic etiam mortificare debemus inordinatam cupiditatem honorum, eoque magis, quò occultius in intimis animi receſſibus hæret, ac difficilius expugnari poteſt.

Ad mortificandum, exſcindendumque igitur hunc appetitum, primum neceſſe eſt, vt apud animum noſtrum certò conſtituamus, deinceps nolle inhiare dignitatibus, prælaturis, alijſque officijs, quæ onus alijs imperandi habent coniunctum, & ſi ab alijs obtrudantur, tergiuerſemur, nec accepte-mus, niſi vel auctoritas Maiorum, quibus obſecundare fas ſit, interueniat, vel ſi ex Sapientum iudicio lege charitatis ad id obſtringamur. Sed & decernamus, non conſcendere ad alium quemuis ſublimiorem ſtatum, etiamſi gubernandi alios curam annexam non habeat, niſi ſecus conſulant Patres ſpiri-

spirituales, qui perspectam habent cõscientiam nostram, existimentque sine periculo salutis nostræ ad maiorẽ gloriam Dei cessurum, si talem dignitatem non renuamus. Imò in omnibus alijs rebus cum fama & celebritate nominis coniunctis, ianuam cordis nostri occludere debemus, ne eas concupiscamus, vel nobis procuremus, nisi vera necessitas, aut vberior animæ nostræ aliorumque profectus, & diuinæ gloriæ amplificatio ad id obligare videatur: cùm autem ea de causa amplexi fuerimus, toto pectore optemus, quod ad nos attinet, nullum honorem suscepto muneri congruentem nobis deferri. Ita monet Sanctus Augustinus. *Vbi fuerint*, inquit, *carnalium voluptatum illecebræ superatæ, cauendum est, ne surrepat, atque succedat cupiditas placendi hominibus, aut per aliqua facta mirabilia, aut per difficilem continentiam, siue patientiam, aut per aliquam largitionem, aut nomine scientiæ vel eloquentiæ; In eo genere est & cupiditas honoris, contra quæ omnia doceatur, quam sit pudendum ea placere velle, quos nolis imitari. Aut enim boni non sunt, & nihil magnum est à malis laudari: aut boni sunt, & oportet imitari. Sed qui boni sunt, virtute boni sunt, virtus aũt non appetit,* Lib. 83. q. 36.

quod in aliorum hominum potestate est. Qui ergò imitatur bonos nullius hominis appetit laudem. Si autem placere hominibus ideò vis, vt eis prosis ad diligẽdum Deum, non iam hoc sed aliud cupis. Et alio in loco scribit: *Tantò quisque est Deo similior, quantò ab hac immunditia mundior*, id est, cupiditate honoris. *Quæ in hac vita, etsi non funditus eradicatur ex corde, quia etiam benè proficientes animos tentare non cessat, saltem cupiditas gloriæ superetur dilectione iustitiæ.* Hæc omnia Augustinus: quibus verbis indicat, hominem Christianum conuenienter legi diuinæ esse obligatum omnem inordinatum amorem gloriæ, laudumque humanarum mortificare.

Lib. 5. de ciu. c. 14.

In reg. breu. q. 10.

Sanctus Basilius quæstione posita, possitne homo Christianus aspirare ad honores? respondet, mandatum Domini esse, vt honoremus alios: vetitum autem esse, ne honorari ipsi velimus, eò quòd idem Dominus ea de causa reprehenderit pharisæos. *Quomodo*, inquiens, *vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis?* Ex quibus verbis colligitur, si tã noxium est oblatos honores libenter suscipere, quàm periculosum sit nõ oblatos quęrere. Et alibi dicit: Qui in cęlo cupit bonorum operũ mer-

Ioan. 5.

In constit. monast. c. 25

mercedem recipere, non solùm non debet inhiare honoribus humanis, verùmetiam oblatos repudiare, ne gloria parta in terris, imminuat vel tollat veram gloriam in cœlis. Quocirca, quisquis virtutis amore tenetur, sedulò caueat, ne nimis cupidè gloriam huius sæculi sectetur, & alijs velit anteferri.

Mortificari adhæc debet ille immodicus honorum appetitus, eligendo & acceptando ea, quę opinione hominum minus sunt honorifica, & pudorem aliquem inijcere possunt, si modò licitè, & sine iactura salutis fieri queat; vti esset, assumere nomen vel officium in speciē vilius, honorifica officia deriuare in alios, virtutes bonaque opera sua, cùm scandalum abest, occulere, & apud familiares dissimulare, omnibus in rebus concursum, applausumque hominum defugere, quando fieri potest sine cultus diuini iactura: potius operam suam & opes conferre in adiuuandis operibus bonis, quæ vendicant autores alienos, quàm aliquid facere nomine suo; non purgare se de lapsibus suis, optareque ab alijs corrigi, & humiliari. Quando ab ipso, vel ipsius consilio præclarum aliquod opus designatum fuerit, nulli, nisi necessitas ita postulet, com-

memorare. Si in aliorum comitatu minus aliquod sustinendum sit eligere, quod minus videtur honorificum, si quæ ampliorem conciliant laudem & nomen apud homines, ea commendare alijs, contentum esse labore & vtilitate negotij quod gestum est, ad maiorem Dei gloriam, etiamsi de ipso nulla mentio fiat. Hæc mortificatio, si diuina gratia adsit, est antidotum procul dubio præsentissimum contra immodicam honorum laudumque humanarum cupiditatem. Hoc inculcant vulgatæ & notæ Sanctorum sententiæ, vt illa: *Amari, & pro nihilo reputari.* Desiderium alijs imperandi tanquam pestem animæ fuge. Cui conuenit, quod sanctus Vincentius scripsit; desiderium ascendendi ad altiora, quocunque colore caritatis prætexatur, cauterio mortificationis, tanquam draconis infernalis caput in principio esse resecandum.

S. Bonauent. ep. 25.

Isai Abb. in bibl. sacra. orat. 27.

Rationes verò, quæ mouere nos debeant ad vsurpādum hoc mortificationis exercitium, non desunt. Vna est, Quemuis hominem Christianum, debere congruenter rationi & prudentiæ in cultu pietatis, eligere quod melius & securius est, omniaque obstacula & quæ discrimen aliquod saluti afferre possunt, defugere. Iam verò indubita-

tum est in omnibus dignitatibus, Prælaturis, alijsque officijs cum magno honore hominumq; applausu coniunctis, ingentia esse errorum lapsuumque pericula, tentationemque vindicandi honoris, laudumque humanarum capiandarum esse vehementissimam. Hanc rationem affert sanctus Gregorius, cùm ait: *Christus ideircò in carne apparuit, vt non solùm nos per passionem redimeret, verùm etiam per conuersationem doceret, exemplum se sequentibus præbens, rex fieri noluit: ad crucis verò patibulum sponte peruenit, oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetijt, vt membra eius videlicet discerent fauores mundi fugere, terrores minimè timere, pro veritate aduersa diligere, prospera formidando declinare: quia & ista sæpe per tumorem cor inquinant, & illa per dolorem purgant. In istis sæpe & anteacta bona depereunt: in illis autem longi quoque temporis admissa terguntur. Namplerumque aduersitatis magisterio sub disciplina cor premitur: quod si ad regiminis culmen eruperit, in elatione protinus vsu gloriæ permutatur. Sic Saul, qui indignum se prius considerans, fugerat, mox vt regni gubernacula suscepit, intumuit: honorari namq; coram populo cupiens, dum reprehendi publicè noluit, ipsum, qui in regem se vnxerat, abscidit: sic David autoris sui iudicio penè in*

Past. p. 1. c. 3.

cum-

cunctis actibus placens, mox vt pressura pondere caruit, in tumorem vulneris erupit fœtusque est in morte Vriæ crudeliter rigidus, qui in appetitu fœminæ, fuit eneruiter fluxus.

Cap. 6. Hucusque Gregorius. Vnde concludit non multò post seruum Dei licèt donis conuenientibus ad alios regendos instructus sit, tamen eò vsque debere et corde hoc culmen fugere, donec à superiore imperetur: eoque imperante non debere amplius esse pertinacem. Et addit: Dum beatus Paulus ait, Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat, nomine boni operis, non honorem Episcopalem, sed labores eius & sudores intelligi, & quia id temporis offerre se ad Episcopatum, erat offerre se ad martyrium. Quod autem ad prædicationis officium attinet, in quo ordinariè non est tantùm honoris aut periculi, ac in prælatura, ait: cùm Isaias se Domino offerret ad prædicandum, non antè aggressum iter, quàm visione diuina manu Seraphin purgatus esset, hoc est, habilis ad tale munus gerendum redditus. Quia verò difficilè est cognoscere, quis sit purgatus, securius quoque est prædicationis officium refugere, donec superioris iussu ad id vocemur. Hæc omnia Gregorius.

Cap. 7.

Al-

Altera ratio, quæ hanc doctrinam persuadeat, est experientia propriæ imbecillitatis. Videt enim homo, se etiam in statu infimo ab omnibus negotijs & honorum periculis libero, non facere satis omnibus legibus diuinis & humanis, sæpeque per infirmitatem in varias culpas relabi, siue apertas, siue occultas: quare necesse temerarius sit qui hæc agnoscens in se, offerat se ad statum vitę sublimiorem, in quo crebriores sunt occasiones errandi, & maiora ob maiorem obligationem pericula, atque imprimis ad dignitatem cum cura alios gubernandi coniunctam. De qua Concilium Tridentinum pronuntiat, eam onus esse etiam cœlestibus virtutibus, angelicisque humeris formidandum; quippe cuius munera tam arduum sit explere, vt opus sit pectus omni virtutum præstantissimarum genere esse obarmatum. Vnde beatus Bernardus lumine diuino & experientia quotidiana edoctus scribit: verè paucos esse, qui alios regant cum profectu, & pauciores, qui cum humilitate. Eandem rationem tradit beatus Gregorius: Si, inquiens, homines sancti, licèt Dei mandato essent vocati, tamen reformidârunt gubernationem aliorum susci pere, quàntæ culpæ

Serm. 2. in Cant.

In 1. lib. reg. c. 10.

pæ erit offerre se spontè ad illam? & no-
uis obligationibus se onerare ad curan-
dam aliorum salutem, qui vix sufficit
ad curandam suam? Et alibi dicit: Etsi
gubernationis onus graue sit, mai-
tamen esse honoris, eò quòd accipe
honorem, & non se efferre, sed illud
spernari, res tam ardua sit & exotica, n
facilius intelligi, quàm verbis expri
queat: certè imbecillis & imperfectis v
detur impossibile dare locum honori
subditorum fructu, & non animo e-
tolli. Et quia homines à Deo electi t
ment ne ei displiceant, idcircò fugiun
quoad fas est, officium Prælati. Ha
Gregorius, qui vocat impossibile, quod
erat admodum difficilè, & rarum apud
homines.

Ob has, aliasque rationes grauissi-
mas commonefaciunt nos sancti Pa-
tres, magno studio in nobis coercen-
dum esse honorum & dignitatum appe-
titum, licèt inter honores varij existant
gradus, & in vno quàm in alio maior
delinquendi occasio: *Sermo*, inquit bea-
tus Augustinus, *ore procedens, & facta, qui
innotescunt hominibus, habent tentationem
periculosissimam ab amore laudis, qui ad pri-
uatam quandam excellentiam contrahere te-
mendicata suffragia tentat, cùm à me inme-*

*Lib. 10. con-
fess. c. 38.*

a.

arguitur, eo ipso quo arguitur Et sæpè homo de ipso vanæ gloriæ contemptu gloriatur, ideo quoniam de ipso gloriæ contemptu gloriatur.

CAPVT VIII.

Sanctorum exemplis confirmatur mortificandam esse honorum cupiditatem, fugienda ex parte sua officia honorifica, & oneri gubernandi obnoxia.

QVod Sancti verbis docuerunt, hoc, vt fidelissimi Christi ministri, confirmarunt operibus: & sicut in eo genere consenserunt in doctrina, sic & in vita: & idcircò omnes dignitatum & Prælaturarum, aliorumque officiorum honorificorum culmen defugerunt, nec antè amplecti voluerunt, quàm ex maiorum mandato, vel populorum importunitate, vel maxima necessitate coniecturam fecissent eā esse Dei voluntatem. Vnde B. Gregorius ait, homines electos, quoad possunt, fugere officium Prælaturæ, quando autem à Deo ordinati sunt non posse se abscōdere. Et quamuis penè innumeris exēplis res hæc explicari possit, nos tamen paucis, ijsque selectis contenti erimus, è quibus facilè & aliorum spiritus dignoscatur. *In lib. reg. c. 10.*

Ac

In eius vita. Ac primum quidem sit ipsius Gregorij Papæ iam nominati, vt liqueat factis ab eo demonstratum, quod dicuerat verbo. Nam, teste Ioanne Diacono, electus in summum Pontificem Romano clero efficaces ad Imperatorem Mauritium litteras dedit, obtestans eum enixè, ne electioni consentiret: ementito que habitu vrbem egressus in syluis & cauernis terræ, ne reperiri posset se abdidit; sed columnæ igneæ indicio proditus dignitatem acceptare coactus est. Sanctus Ambrosius Mediolanensium iudex communi cleri & populi approbatione electus in Episcopum, vt eos ab hac voluntate deduceret, è tribunali diram de torquendis rebus sententiam tulit, vt æquo crudelior haberetur. deinde nocte intempesta ex vrbe elapsus, licèt Ticinum versus iter intendisset, tamen mane discussis tenebris deprehendit miraculo sese esse ante portam, qua Mediolano effugerat. Sanctus Martinus, authore Sulpitio tantoperè ab Episcopatu abhorrebat, vt ne quidem sancti Hilarij persuasione Diaconatum suscipere voluerit contra suam deinde voluntatem electus ad Episcopatum, cùm Episcopi quidam, qui ad eum consecrandum conuenerant,

S. Paulinus in eius vita.

In eius vita.

rint, vilitate personæ & habitus offensi, eius electionem improbarent, & indignum tam sublimi loco iudicarent, ille vehementer gauisus est, illosque Episcopos maiori amore prosecutus.

Sanctus Ioannes Chrysostomus tanto studio fugiebat honores & laudes, vt flagitiosus homo nullus tantoperè laboret in cælandis suis sceleribus, quantum ille laborabat in occultandis suis virtutibus, & rebus cum laude & gloria gestis. Cùm autem animaduerteret, sibi, quamdiu inter homines viueret, ob virtutis & doctrinæ præstantiam magnos deferri honores, confugit in solitudinem, in qua rerum diuinarum contemplationi vacans tamdiu permansit, donec graui morbo coactus est redire in vrbem. Deinde renuit gradum Sacerdotij, donec Flauianus Episcopus diuina reuelatione edoctus de spelunca, in quam se abdiderat, extractum in sacerdotem consecrauit. Antiochia quoque arte doloque pio euocatus, vi Constantinopolim pertractus est & Archiepiscopus eiusdem vrbis constitutus. Sanctus Augustinus item tanta sollicitudine & cura honores respuit, maximè sacerdotij & Episcopatus, vt cognita morte Episcopi fugeret ex vrbe illa, ne eli-

Metaphr. in eius vita.

Epist. 148. ad Valer.

eligeretur: cùm autem degeret in Episcopatu Hipponensi sub Episcopo Valerio vi pertractus est ad sacerdotium, licèt ipse, cùm fugæ locus non restaret, postulante scilicet populo, & Valerio antistite vrgente, tandem consenserit, sed cum tanto animi dolore, vt cum ordinaretur totus perfunderetur lachrymis.

Epiph. ep. ad Ioan. Episc. Marian. In eius vita. Vega in hist. S. Hiero.

Sanctus Hieronymus, tam diligenter & serio omnibus honoribus, eorumque captandorum occasionibus restitit, vt licèt sacerdos; tamen ministeria sacerdotis in suo monasterio exercere reformidaret. Sic vt sanctus Epiphanius, cùm monachi quererentur de penuria sacerdotum, ob Hieronymum qui ex humilitate functione sacerdotij abstinebat, Pauliniarum minorem sancti Hieronymi fratrem decreuerit sacerdotio initiare. Et quia ille quoque hanc dignitatem deprecabatur, opus fuit vi illum ordinare, & ne tempore ordinationis diuini nominis reuerentiam inuocaret, os illi obturare, donec ordinatio perfecta esset.

Leon Iustin. in eius vita.

Sanctus Nicolaus ad effugiendum honores, deserta patria, vbi notus erat, Myræam abijt, vt ibi ignotus delitescere posset & inglorius. Sed Deus diuinitus

tùs antistitibus ibidem pro eligendo Episcopo congregatis patefecit, vt eligerent qui summo diluculo primus Ecclesiam ingrederetur, nomine Nicolaus: qui vt vidit diuina voluntate se electum, acquieuit.

Sanctus Fulgentius contra voluntatem suam in Africa præfectus cuidam monasterio, intelligens securiùs esse parere, quàm imperare alijs, fuga elapsus est, & ab omnibus secessit in cœnobium pauperrimum, quod in medio mari in insula quadam extabat, omni solatio humano destitutum: sed inde postea magna vi extractus est, & ad Episcopatum Rupensem promotus. *Sur. in Iann.*

S. Ammonius eremita, cùm animaduerteret se per vim capiendum ad gubernacula Ecclesiasticæ gubernationis in vrbe quadam, diuino, vt creditur, instinctu motus, aurem sibi præscidit, & sic manus eorum euasit. *Pallad. in hist. Lausiæ.*

S. Cæsarius magna sapientia & pietate vir ad Episcopalem dignitatem postulatur, aufugit, & in certis monumentis, ne inueniri posset, tamdiu delituit, donec diuina reuelatione proditus inde extraheretur, & ad Arelatensem Ecclesiam, licèt inuitus, promoueretur. *Cypr. in vita.*

S. Ed-

Sur. in Nou. S. Edmundus, licèt ab omnibus in Anglia, ipsoque Pontifice Romano Gregorio nono dignissimus Archiepiscopatu Cantuariensi iudicatus, non prius consensit, quàm authoritate Pontificis summi sub pœna lethalis peccati imperatum esset, vt susciperet, eoque suscepto palam protestatus est, se non fuisse susceptorum, nisi obligatus fuisset sub pœna Deum offendendi.

In eius vita. S. Antoninus litteris diuinis humanisque excultus, Archiepiscopatum Florentinum ab Eugenio IV. oblatum repudiauit, omniaque media adibuit vt ipsum ab hac voluntate abduceret. Verùm Papa omnibus rationibus eius neglectis sub pœna excommunicationis illi imperauit, vt susciperet, sed non tunc, nisi quæstione discussa ab omnibus litteratis, quòd teneretur consentire, in sententiam Papæ concessit, tot lachrymis profusis, vt & circumstantes ad lachrymas prouocârit.

S. Bernard. in eius vita. S. Malachias Archiepiscopatum non prius acceptauit, quàm Episcopi congregati ei comminarentur anathema, ni pareret. Omnem enim locum excelsum & sublimem velut animæ præcipitium fugiebat teste S. Bernardo.

Sur. in Aug. S. Bernardus in Remorum & Lingo-

ner-

nensium antistitem, atque etiam in Mediolanensium Archiepiscopum nominatus, omni studio & conatu se purgauit, & onus excussit: impetrarat enim à Deo, ne mandato aliquo sub peccato mortali obligante ad id adigi posset.

S. Thomas Aquinas, cùm Clemens IV. Papa Archiepiscopatum Neapolitanum ei detulisset, tot rationibus suam Sanctitatem ab hac voluntate reuocauit, vt nec illum, nec alium illi deinceps offerret. *Sur. in Mart.*

Sanctus Goar bonorũ operum meritis, miraculorumque gloria clarus à Francorum rege Sigeberto vrgebatur, vt Archiepiscopatum Treuirensem susciperet, ille verò cùm se purgasset, videretque regium animum flecti non posse, multis lachrymis inducias petijt orandi, diuinamque voluntatem ea de re consulendi. Rex viginti dies indulsit, ille verò à Deo petiuit liberari à dignitate, & impetrauit, ac in decimum vsq; annum deinceps lecto affixus vsque ad mortem decubuit, potius eligens infirmitatem, quàm dignitatem. Quam animi submissionem multis miraculis Deus illustrauit. *Sur. in Iul.*

Beatus Ferdinandus de Talauera Granatensis Archiepiscopus multa *Vega in hist. S. Hier.*

sanctitate & eruditione conspicuus, à Rege adscitus, ad Salmanticensis Episcopatus fastigiū, multis vijs & rationibus se excusauit. Scripserē Reges ad summū Pontificē, & capta vrbe Granatensi, cūm Episcopatu Granatensi ornare voluere sed, quoad potuit diu tergiuersatus est verùm cùm ob instantiā regū non posset oēs Episcopat' oblatos excutere, maluit Granatensem, vtpote pluribus laboribus & ærumnis obnoxium, amplecti. Et quamuis ante semper plurimum abhorruisset à Prælaturis, tamen quam primum experientia quotidiana edoctus clarius cognouit earum difficultates & discrimina: consuērat dicere, se capere non posse, quomodo homo ratione & prudentia præditus tantum onus, quod tantam vitæ perfectionem postulet, spontè optare & acceptare possit. Hæc ergo vota, hæc studia fuere sanctorum hominum, fugere omnibus modis honores & dignitates.

Iam verò non solùm hunc zelum demonstrārunt in declinandis magnis dignitatibus Episcopatuum, in quibus labor, periculumque maius est, sed etiam in monasteriorum præfecturis. Vbi, licèt non appareret tam grande periculum, tamen quia illa

illæ quoque cum honore & cura animarum coniunctæ erant, iustissimas causas prætexere poterant, cur se inidoneos fatentur, atque etiam, quibus modis fas esset defugerent & renuerent.

Pinusius sanctissimus & venerabilis Abbas, ne suo præficerentur monasterio, confugit ad Tabennosiatarum cœnobium longè illo districtius, ibique maluit esse hortulani famulus, quàm in suo Prælatus. *Cassian. l. 4. c. 30.*

S. Marcellus diuina iuxta ac humana Sapientia instructus, tanto studio fugit monasticam Præfecturam, totque vijs ac rationibus à se repulit, vt tandem voto sit potitus; tantoque gaudio officium omnium in cœnobio vilissimum recepit, vt petiuerit in eo per omnem vitam perdurare. Hinc quilibet prudens æstimare potest, quàm rectè faciant, qui suæ infirmitatis gnari, non aspirant ad gubernationem aliorum; postquam Sancti tanto lumine à Deo illustrati, tantoque spiritus robore ad vincendas tentationes muniti, hoc onus refugerunt. Si cæcus, vel alius exigua videndi facultate præditus, post initam cum fido & perito duce viam admodum strictam, sed im- *Sur. in Dec.*

peditam, & præcipitijs plenam, tandem ducem ſuum deſerat, nonne in apertum vitæ diſcrimen ſe conijcit? Nos omnes viam cœli inuenimus, anguſtam & ſtrictam, multis occultiſque tentationum periculis horrentem: antecedunt nos duces viæ Sancti, qui, vt ſunt lumine diuino illuſtrati, pericula viæ oſtendant. Cùm ergò hi tam periti duces declinent à via cupiditatis honorum & dignitatum, nos verò illis deſertis in eam vltrò nos ingeramus, quid aliud agimus, quàm quòd ſapientiores videri volumus ſanctis, & manifeſtum ſalutis periculum adire?

Matth. 7.

CAPVT IX.

Sanctorum exemplis declarantur media, quibus mortificanda eſt propria voluntas quoad honores temporales, quibus ob donum prædicandi & eruditionem alijs deferuntur.

QVamuis fere omnium maximum periculum & damnum animæ noſtræ ſit in nimia dignitatum, officiorumque, quibus alijs imperandum eſt, cupiditate; tamen in alijs quoque honoribus expetendis nec damnum, nec periculum omne abeſt.

Qua-

Quare operæpretium faciemus, si expendamus, quibus medijs sancti affectionem illam mortificârint. Officium in Ecclesia Dei valdè honorificũ est, verbum Dei prædicare, quod si fiat cum magno hominum concursu & applausu, magnum concionatori impendet periculum lapsus, ne dum aliorum salutem quærit dicendo, suam perdat applausu illo gaudendo. De quo periculo sanctus Gregorius in moralibus scribit, nos sæpè assumere munus prædicandi alijs, & dum auditoribus prodesse volumus, propriæ laudis amore nos defœdare: sicut enim latro per diuerticula irruens, sæpè occidit viatorem recta via progrediẽtem: ita honoris proprij illecebra sæpè insultat concionatori alioquin rectâ tendenti, hoc est, salutem aliorum quærenti: vnde fit vt in vno eodemque opere initium à virtute sumatur, finis verò reddatur vitiosus. Quòd etiam crebrò accidit concionatoribus, nempè vt prædicationis initium quidem videatur laudabile, quatenus voluntate quadam imperfecta conantur prodesse hominibus, sed re ipsa intentio & scopus prædicantium aliò feratur. Nonnunquam etiam, licèt non aucupentur laudes

Lib. 9. mor. c 3.

hominum & famam, imò contemnant: tamen id non faciunt ex vera animi submissione, qua seipsos despicant, indignosque honore æstiment, sed ex arcana quadam elatione, qua plus æquo sibi fidere solent, aliosque contemnere. Hæc ferè B. Gregorius, qui vti optimus vitæ spiritualis magister, accuratè detegit vulnera, quæ in hoc officio esse solent, vt curationem eorum addiscamus.

Medium verò, quod sancti vsurpârunt ad mortificandum honorem in hoc officio, erat, data opera sæpè in iis locis concionari, vbi parùm essent grati, aut vbi exiguus erat populi concursus. Sanctus Otto Bambergensis Episcopus, quamuis apud suos in magna hominum existimatione esset, sic vt totus clerus populusque illum aliundè venientem cum canticis & hymnis solemniter in vrbem receperit: tamen deserta diœcesi sua contulit se in Pomeraniam ad annunciandum Euangelium infidelibus, à quibus licèt deterrimè haberetur, & luto aliquando sordidaretur, summisq; onneraretur iniurijs, ille tamen à prædicatione non cessauit, humilitatisque & patientiæ exemplo prædura pectora gentis tandem ad fidem traduxit.

Surius in Iul.

Bea-

Beatus Norbertus, Colonienſis & Xantenſis quondam Canonicus, poſtea verò Ordinis Præmonſtratenſis inſtitutor, cùm concionator eſſet celeberrimus (quem ſanctus Bernardus vocat fiſtulam cœleſtem) tamen neglectis vrbibus malebat verba facere in vicis & pagis, nec minus paucis, quàm multis; pauperibus quàm diuitibus; ruſticis quàm nobilibus operam ſuam præſtabat. *Sur. in Iun.* *Bern. ep. 56.*

Sanctus Dominicus, ſanitate & ſapientia clarus, ac propter admirabilem fructum quem concionibus in lucrandis animis colligebat, admodum carus in Toloſano Epiſcopatu; tamen maluit alio ſe conferre, nempe Carcaſſonam, vbi non ſolùm non afficiebantur homines ad eius conciones, verùm etiam eum perſequebantur & irridebant. Ac rogatus aliquando cur id faceret, reſpondit, Quia Toloſæ multi me honorant, Carcaſſonæ verò multi mihi contradicunt. *Theod. in eius vita, l. 4. c. 10.*

Sanctus Cutbertus, ſanctitatis, miraculorumque fama celebris in villis montanis locisque ſolitarijs & horridis, quò nulli prorſus concionatores ventitabant, multos dies libentiſſimè verbum Dei annunciabat. *Beda in eius vita.*

In eius vita. Sanctus Franciscus pro sapientia & gratia quam à Deo ad prædicandum acceperat, cùm à multis libentissimè, nec sine ingẽti fructu audiretur in oppidis, tamen crebrò conferebat se ad loca vilia, vbi à paucis audiebatur. Atque hoc est vnum medium, quo Sancti vsi sunt in mortificando appetitu honoris, qui decerpi potest ex officio prædicationis.

Ad mortificandum verò honorem, quem poterant consequi ex opinione sapientiæ, nonnulli conati sunt eam cælare, donec Deus patefaceret.

Sur. in Mar. S. Thomas Aquinas, sublimi præditus ingenio, & diuina æquè ac humana instructus sapientia, tantum studium in ea occultanda posuit, vt propter iugem silentium tardissimi ingenij haberetur, & per conuitium à sodalibus suis bos mutus appellaretur, nec antè sapientiam suam, disputando in Scholis prælegendoque prodidit, quàm id à Superioribus exactum fuisset.

Sur. in Iun. S. Antonius de Padua, cùm esset eloquentissimus, doctissimusq;, ac singulari prædicandi dono ornatus, existens in S. Francisci ordine sic thesaurum hunc cælauit, vt à vili & indocto fratre haberetur, atq; ad infima culinæ, verrendorum-

rumque cubiculorum ministeria detruderentur. Multoq; tempore in hac functione tam abiecta perdurauit, donec Deus cuidam superiori inspirauit, vt imponeret illi munus prædicandi in triclinio: tunc enim, vt obedientiæ faceret satis, prædicauit, & donum, quo præditus erat, patefecit. Non formidabant sancti illi, ne proximo fructum aliquem spiritualem detraherent, si aut sapientiam suam occultarent, aut æquè paucis ac multis verbum vitæ annunciarent. Probè siquidem nôrant, caritatem perfectam, in ijs quæ ad animam attinent, incipere à seipsis, atque idcirco existimabant Deo gratius esse honoris cupiditatem mortificare dando operam humilitati, & contemptui sui, quàm iuuãdo alios huius spiritualis fructus iacturam facere. Quamquam & hoc ipso studio plus commodare poterant proximo: quò enim ipsi maiores in virtute progressus fecerant; hoc alios quoque poterant sibi reddere similiores. Et res ipsa docuit tales concionatores & pluribus à Deo beneficijs fuisse diuinitùs instructos, ac potentiores fuisse in Ecclesia ad conuertendos peccatores.

Aliud quoque medium vsurpârunt sancti ad mortificandam honorum ap-

petitionem, nempè, vt exercerent se in officijs humilibus & abiectis, vilibusq; personis ministrarent.

S. Bernard. in eius vita. Sanctus Malachias post susceptum Archiepiscopatum, vilia monasterij officia repetere non dubitauit, vt coco ministrando, & mensæ inseruiendo, & tempore mensæ in triclinio legendo, aliaque id genus.

Octau. in vita. Sanctus Bonauentura item, licèt opinione hominum doctissimus, tamen non refugiebat abiectissima quæque monasterij officia siue culinę, siue mensæ, siue euerrendæ domus obire, sic vt opus fuerit illius in hoc genere ardorem temperare.

Vinc. Mainard. in vita Sanctus Antonius ram factus Archiepiscopus suis famulis inseruiebat, aliaque officia domestica subibat.

Est & aliud medium efficacius, quo sancti vsi fuêre, amplecti scilicet & quærere contemptum sui, aut ea munera obire, ob quæ homines ab hoc mundo rideri & contemni solent.

Ioa Patriar. in eius vita. S. Ioannes Damascenus eruditione præstans, etsi in vrbe Damascena à consilijs fuisset Principi, tamen monastica vita susceptа non dubitauit Damascum, sportis oneratus, quas mona-

chi

chi texuerant, ingredi, easque publi-
vænum exponere, ac ad maiorem sui
confusionem carius pretium exige-
re, vt plurium se ludibrio, in loco, vbi
antè fuerat honoratissimus, expone-
ret.

Sanctus Plato Bizantinus, qui in sæ- *Theod. in e-*
culo magna nobilitate & auctoritate *ius vita.*
præditus fuerat, religionem ingressus
ad mortificandum appetitum hono-
rum, non contentus ab alijs reprehendi
& contemni, citra tamen vllam culpam
suam à Superiore verberari exoptabat:
qui vt desiderio eius faceret satis, con-
sensit: quod loco magni beneficij ille
ducebat.

Sanctus Franciscus non semel se cu- *In eius vita.*
rauit à fratribus suis publicè coargui, &
ludibrio affici, appellariqúe rusticum,
indoctum: nulla virtute præditum, &
os suum pedè conculcari: In oppidi cu-
iusdam ingressu animaduertens homi-
nes honoris causa sibi obuios fieri
vt ludibrio exponeretur, se vnà cum
socio applicuit ad collem terreum viæ
re proximum, magnaque celeritate
puerorum more in eum incurrit, atque
ita obtinuit, vt opinionem Sanctitatis,
quam de eo obuij conceperant, depo-

Tract. huius p. 3 c. 1. l. 2.

nerent. His alijsque, ac etiam maioribus opprobrijs toleratis (quæ tamen magna moderatione susci pienda sunt, vt infra dicemus) Sancti ad perfecta mortificationis culmen, absolutamque omnibus numeris humilitatem peruenêre, experientiaque ipsa didicêre, hoc medio tantam se à diuina maiestate consecutos gratiam, vt prorsus liberos se senserint passionum cùm aliarum, tum huius, de qua agimus, tyrannide, ac in omnibus actionibus suis non nisi honorem gloriamque Dei ante oculos propositam habuerint. Pace quoque & tranquillitate animi tanta, & viua in Deum fiducia fruiti fuerint, vt se tantum non beatos arbitrarentur. Hæc experientia quendam sancti Francisci discipulum fecit erumpere in hæc verba: Beatus est, qui contemnitur ab hominibus, modò amet & optet contemptum, aut certè patienter toleret: hoc enim præcipuum certumque fundamentum est itineris ad cœlum. Quibus verbis significare voluit, hoc esse medium, quo honoris temporalis contemptus, veraque humilitas, omnium virtutum fundamentum, acquitur.

Chron. minorum p. 3. l. 5. c. 47. & 48.

CA-

CAPVT X.

Quam necessaria sit intellectus, proprijque iudicij mortificatio, & quo modo exerceri debeat.

POst propriæ voluntatis mortificationem principem locum obtinet, vtpotè cum maximo merito coniunctum, mortificatio intellectus, quoad iudicium proprium: hæc enim est facultas animi omnium nobilissima, & dux voluntatis. Proprium autem iudicium vocamus, quo homo iudicat de rebus, non quia Deus ita statuit, aut sancti & sapientes docuêre, sed quia ita ei videtur. Hoc iudicium proprium est pernicioſissimum, & grauissimorum criminum radix, ac omnium errorum & hæresum seminarium. De quo optimè tractat Sanctus Bernardus. *In corde*, inquit, *duplex est lepra, propria voluntas, & proprium consilium. Lepra vtraque nimis peßima, eoq; perniciosior, quò magis interior. Voluntatem, inquam, propriam, quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantùm, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad vtilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo, & prodesse fratribus.* Serm. 3. de resurrect.

sed satisfacere propriis motibus animorum. Huic contraria est recta fronte caritas Hæc ille. Hoc iudicium mortificandum est, non inordinatè illi fidendo, sed aliorum iudicio & opinioni in omnibus, quæ rationi sunt consentanea, subijciendo.

Quædam homo credit certitudine infallibili, vt quæ à Deo reuelata sunt, & ab Ecclesia proposita tanquam fide Catholica tenenda. Alia sunt, quæ homo certa esse iudicat, quia rationi naturali, & sapientium dictis sunt conformia. Alia rursus, quæ nec reuelatione diuina, nec ratione naturali, sed quia communi Sanctorum, Doctorumque Catholicorum consensu asserũtur, nobis certa sunt. In his omnibus locum non habet mortificatio proprij iudicij, neque enim homo in ijs nititur proprio iudicio, sed magno cõsilio & prudentia adhæret luci, quam Deus in hac vita communicauit, vt illam sequamur. Sunt ergò alia, ad quæ credenda homo huiusmodi motiuis non ducitur, sed quia sibi videntur esse credenda, vel sequenda, & in his mortificatio proprij iudicij locum habet. Quando alicui videtur aliquid verum, & certum, vel probabile & verisimile, & aduertit

uertit multos doctrina, experientia & virtute sibi pares nō idem videre, mortificare debet suum iudicium, & aliorum anteferre, nam cum vtrinque sit paritas, iustè ceditur, cùm multorum vnius iudicio præstet. Hinc S. Basil. Non est rationi consonum, si quis in omnibus suo stare velit iudicio, nec periculo, aut contumaciæ suspicione caret, in congregatione multorum nolle maioris partis sententiæ acquiescere: nec dubium est arrogantiæ argumentum esse in hoc genere, suo potius, quàm aliorum iudicio adhærescere. Nam, vt scribit Sanctus Bernardus, quæ maior superbia esse potest, quàm si vnus suum iudicium præferat vniuersæ congregationis iudicio, quasi solus haberet spiritum Dei? Similiter in cæteris omnibus rebus, in quibus neque rei euidentia, neque maiorum auctoritas cónciliat certitudinem, nullumque impendet vel salutis, vel virtutis deserendę periculum, consultius est iudicio suo cedere, & alieno parêre, maximè eorum, qui auctoritate, vt sunt superiores, aut doctrina, vel ætate & experientia superant.

In reg. brev. q. 123.

Serm. 1. de resurrect.

E rationibus, quæ ad hoc permouere nos debeant, vna est, consideratio huma-

humanæ ignorantiæ, hoc est, quàm pauca sint, quæ certò & clarè cognoscamus: quàm multa item, quæ certissima verissimaq; nobis quondam visa sunt, & tamen post accuratius examen deprehensa sunt vel falsa, vel admodum dubia, & crebrò talia, vt pudeat nos in ea sententia fuisse. Deinde quanta sit in vna aliqua quæstione, vel consilio opinionum varietas, vt frequenter dici possit, tot esse sententias, quot auctores, tot placita, quot capita. Hinc fit, vt quæ iuuenes nimia ingenij & iudicij celeritate & immaturitate leuiter effutiuim⁹, augescente ętate & iudicio tandem corrigamus.

Lib. 5. c. 14. in 1. Reg. Et l. 11. mor. c. 21.

Dè qua ignorantia, in quam per Adæ peccatum incidimus, loquens Beatus Gregorius, dicit: *Magnum pelagus est ignorantiæ humanæ.* Et alibi. In peccati, inquit, pœna in hac mundi peregrinatione & exilio tanta cæcitate percussi sumus, vt nobis ipsis ignoti simus. Nam luce veritatis semel ab anima nostra depulsa, nihil in ea præter ignorantiæ tenebras remanet: quæ causa est, vt frequenter in fossam peccati labatur, & tamen ignoret. Et hæc est ignorantia, in quam per peccatum incidimus: licet enim lumine naturali nonnulla

nobis

nobis patefacit, tam pauca tamen sunt, quæ certò & perspicuè innotescant, vt remoto fidei lumine, fateri, vt vult B. Gregorius, ingenuè debeamus, nos plenos esse tenebris ignorantiæ. Hæc ergò tanta ignorantia toti generi humano communis meritò commouere nos debet, ne facilè nostro iudicio fidamus, sed aliorum sententiæ subscribamus.

Ignorantiam deinde & cæcitatem animi non parum augent passiones, quæ facilè impellunt hominem in sententiam veritati contrariam. Sicut enim ardentissima siti laboranti nihil melius dulciusue videtur aquâ, quia secundum dispositionem suam iudicat; sic qui cupiditate aliqua inordinata, vel perturbatione concitatur, longè aliter iudicat de rebus, quàm reuera sese habent. Cùm ergò quilibet homo sciat se non esse immunem à passionibus, & affectionibus prauis, non debet proprio iudicio admodum fidere, sed tanquam domesticum hostem habere suspectum, abnegareque illud, vbi ratio suaserit. Vnde sanctus Dorotheus. Cùm subiecti, inquit, simus multis passionibus, prauisque affectibus, nostro iudicio non debemus omninò fidere; Serm 19.

quan-

quando enim norma vel regula curua est, & inflexa, nunquam quod secũdum eam dirigitur rectum efficitur, sed distortum.

Iam & alia, eaque principalior mortificandi iudicij proprij ratio est, quod opus sit magnę humilitatis, Deoq; gratissimum. Sicut enim homo ob naturæ corruptelam procliuis est ad fouẽdam propriam voluntatem, sic etiam ad sequendum proprium iudicium: vnde si vincat se, & iudicium intellectus, qui principatum inter animi facultates obtinet, alterius iudicio submittat, exercet actum virtutis maximæ: & quia ob amorem Dei facit, magnum meritum apud Deum colligit in hac vita, in futura verò singularem gloriam. Vnde illud bonum incomparabile nascitur, vt homo à Deo ita luce illustretur, totque peculiaribus armetur præsidijs, vt ægrè hallucinari in re aliqua, vel in fraudem ab inimico induci possit. Nam hanc lucem fauoremque suum promisit Deus ijs, qui propter Deum se humiliant in re tam graui & difficili, vt
Serm. 8. est proprij iudicij mortificatio. Hanc rationem idem Sanctus Dorotheus sedulò ponderat, dum ait: Quando suæ opinioni & iudicio homo adhæresci t,

tunc

tunc capitalis humani generis hostis mox nectit illi laqueos, quo præcipitem agat in errores & peccata. Atque hæc est causa ordinaria, & radix, cur qui fundamentum cultus diuini iecerant, excidant è gratia, & pereant. Lapsus quidem causas, alij alias referunt: at ego primam causam, & radicem statuo, quod suo iudicio nimium fisus sit, sui ipsius magister factus, quo nihil est pernicioſius. Sicut contrà nihil ad præcauendum lapsum, auertendasque omnes Satanæ insidias & fraudes, est salubrius, quàm superiorum Patrumque spiritualium consilio & iudicio sese regendum tradere. Confirmat idem Dorotheus hanc doctrinam appositione vnius exempli. Magnus, inquit, Macarius Abbas, cùm aliquando conspexisset dæmonem oneratum ollis, quibus varia esculenta continebantur, percunctatus eum est, in quem vsum tot ollæ seruirent. Ille verò diuina virtute constrictus cælare veritatem non potuit, dixitque se varijs illecebris monachos, vti non vnum omnibus est palatum, tanquam escis à cultu virtutis, ad vitium allicere. Addebat vnum inter cæteros magnum suum amicum esse, quem ilicò, quotiescunque vellet,

vellet, posset in suam sententiam trahere, eiusque nomen prodebat. Macarius mox monachum adijt, & deprehendit eum deceptum, quòd nimium suo iudicio præfidens tentationes non patefeciſſet Patri ſpirituali: monuitque illum, ſi immunis à lapſu eſſe velit, in poſterum ſuo iudicio non temerè fidat, quod & fecit. Vnde S. Macarius, cùm poſtea iterum ſe videndum dæmon obtuliſſet, rogauit, num monachus dictus adhuc eſſet eius amicus; ille verò magno furore reſpondit, non eſſe amplius amicum, ſed hoſtem. Omnes S. Macarij monachos tentabat dæmon, ſed maximam eorum partem idcircò vincere non poterat, quòd proprio ſuo iudicio non niterentur, ſed totos ſe Patrum ſpiritualium arbitrio conſilioque regendos dedidiſſent.

CAPVT XI.

De mediis, quibus proprij iudicij mortificatio exercenda eſt, ne in temerarium iudicium incidatur.

EX mediis, quæ Sancti Patres ad mortificandum proprium iudicium docuêre, & vſurpauêrè, illud, ſicut diximus, vnum eſt, deligere ſibi

sibi Patrem spiritualem, cui tota conscientia nostra perspecta sit, & explorata, cui omnes perturbationes animi tentationesque ingenuè patefaciamus, cuiusque consilio & prudentia nos duci regique sinamus; confisi, hanc tutissimam esse viam rationemque vitæ piè sanctèque traducendæ & procurandæ salutis æternæ. Quod medium seruire potest, non solùm religiosis, qui sub aliorum obedientia viuunt, sed etiam secularibus, si optant securam inire rationem seruiendi & placēdi Deo: omnes enim expositi sunt, & proprij iudicij & passionum suarum, & variarum dæmonis tentationum periculis, eoque magis, quò in seculo maiores, quàm in religione, se offerunt occasiones. De S. Malachia commemorat Sanctus Bernardus, eum cùm esset in seculo, optaretque seruire Deo, diuino instinctu edoctum, vt quæreret Patrem spiritualem, & inuenisse quendam Dei seruum nomine Imarium, cui omnia animi sui sensa detegebat, cuiusq; consilio totam vitam instituebat. Hic ab infantia à Deo singulariter institutus, à diuina eius maiestate documentum accepit, vt loco Dei alicui homini in omnibus obediret. Quo medio, licet esset *In eius vita.*

in

in seculo, breui ad magnam vitæ sanctitatem peruenit.

Aliud medium ad mortificandum proprium iudicium saluberrimum est assuefacere se ad exquirenda aliorum consilia, non solum in rebus grauibus, magnique momenti, (quia ad cauendos errores id omninò necessarium est) sed etiam nonnunquam in leuioribus, & quæ nullo negotio comprehendi queunt. Nam quo in hoc genere rerum magis alienis consilijs nitimur, hoc plus, & maiori cum merito exercetur proprij iudicij mortificatio. Sed ad hunc fructum, procul dubio maximum, carpendum, curandum est, vt qui alienum implorat consilium, non ita suæ opinioni adhæreseat, vt secum decernat ab ea non recedere: tunc enim fictè & frustrà confugeret ad alienum: sed vt paratus sit in eam sententiam inflectere mentem, quam iudicabit præstantissimam: sic enim verè homo humiliat se, & proprium iudicium mortificat, diuinisque donis locum præbet. Vnde Sapiens dixit: Prou. 11. Ibi esse salutem, vbi multa vigent consilia, quòd præcipuè intelligitur de vera animæ salute. Atque hoc medium petendi consilium ab alijs in rebus etiam

iam leuioris momenti vsurpârũt multi Sancti.

Sanctus Arsenius, vir sanctissimus, diuinaque & humana sapientia instructus, qui in sæculo Imperatorum Honij & Arcadij magister fuerat, cùm in eremum secessisset, non modo à monachis doctrina & scientia magna præditis, sed etiam ab indoctis & rudibus salutaria ad progressum in virtute faciẽdum consilia scisciabatur, idq; ingenti animi submissione, persuasus Deum per hoc medium subministraturum, quæ magis accommodata essent ad suam salutem. *Metaphr. in vita.*

Beatus Raimundus, à doctrina celeberrimus, qui cum facultate Summi Pontificis Episcopatu se abdicârat, S. Dominici religionem complexus, ad coercendum iudicium proprium submittebat se religiosi cuiusdam fratris non admodum eruditi voluntati & arbitrio. Atque hac submissione tantùm sanctitatis nomen breui sibi conciliauit, vt in Generalem Ordinis sui præpositum electus sit, multisque miraculis claruerit. *Leander in eius vita.*

Aliud quoque medium mortificandi iudicij ergò vsurpârunt sancti, vt dũ in dictis factisue suis vel monerentur,

vel

vel carperentur ab alijs, non repugnarent, sed facilè aliorum sentẽtiæ, quando inde nullum timebatur periculum, subscriberent; idque faciebant, non solum quando alij solidioribus, quam ipsi, rationibus niterentur, sed etiam quando longè infirmioribus: sciebant enim hac via maiorem occasionem dari exercendæ veræ humilitatis.

Metaph. in eius vita. Surius in Maio.

S. Pachomio degenti in monasterio, & opera manuum cum alijs fratribus exercenti texendis è iunco sportulis, cùm discipulus eius, quem alijs præfecerat, diceret, eum non rectè texere, cõtinuò surrexit, dicens: Fili doce me, quæ sit optima texendi ratio, quem docentẽ humiliter secutus est, posthabito pristino suo more. Qua humilitate, inquit Metaphrastes, arrogantiæ spiritum, carnisque prudentiam repressit.

In Chron. Francisc. p. 1. l. 1. c. 69.

Hoc medio crebrò vtebatur S. Franciscus, vt fructum aliquem spiritualem in se colligeret, fratresq; suos ad idem hortabatur. Nam cũ diuturna familiaritate cum Deo diuinisq; illustrationibus, ac experientia ipsa edoctus, probè sciret, quid, quo loco & tempore agendum esset, tamen malebat in maximis rebus aliorum, etiam simplicium, ac imperitorum iudicio & sententiæ acqui-

quiescere, quàm suo. Et idcircò omnes fratres, quos ad ordinem recipiebat, sedulò commonefaciebat, vt hoc exercitium faciendi ea, quæ proprio iudicio contraria forent, auidè complecterentur.

Cùm quadam vice ab eo postulassent sanctum ordinis habitum adolescentes duo, deduxit eos in hortum, monuitque, sibi vt adiumento essent in plantandis caulibus, & eandem secum plantandi rationem tenerent. Cùm verò ille præposterum plantandi modum datâ operâ tenuisset, vt frondes deorsum premerentur, radix sursum exstaret, alter iuuenum conticuit & paruit. Alter verò, iudicium suum non subijciens, contendit perperam plantari. Vnde factum, vt illi, non huic habitum ordinis concesserit: sciebat enim sanctus ille sine ptoprij iudicij cõtemptu parum profici in cæteris virtutibus. *Ibid. c. 70.*

Atque hæc sunt media, quæ seruus Dei exercere debet ad mortificandum proprium iudicium, cùm in omnibus rebus, tum maximè in proprijs ad animæ & conscientiæ suæ pacem & securitatem attinentibus: siquidem in his homo ad errorem & lapsum, propter

amorem proprium, innatasque animi passiones, procliuior est. O admirãdam pugnam, quæ est inter mortificationem & proprium iudicium! O victoriam glorioſam in proprij iudicij abnegatione! hac enim tanquam pugione omnes confodiuntur dæmones; hac resecantur, velut radice succisa, omnia vitiorum germina, quæ ex proprio iudicio pullulare solent. O quam opima & præclara spolia in hac victoria colliguntur, nempe, humilitas, patientia, charitas, pax, gaudium spiritale, & diuinæ voluntatis perfecta consummatio. Denique necesse habet homo speciatim mortificare proprium iudicium in aliorum dictis & factis dijudicandis, ne facilè fidem accommodet suspicionibus, nisi firmis rationib. & argumentis confirmentur: Sic enim à culpa & pœna, immunis erit, qua Deus animaduertere solet in eos, qui temerè alios iudicant, & condemnant, hoc est, vt in eosdem, vel etiam grauiores defectus, quos in alijs notârunt, labantur.

Cassian. l. 5. c. 30.

S. Vincen. in vita spirit.

CA-

CAPVT XII.

De mortificatione passionum in sensitiua hominis parte existentium, & de earum natura.

SIcut homini inest appetitus intellectiuus, nempe voluntas animę soli inhærens, (vnde & dicitur esse in parte animæ superiori) sic inest & sensitiuus inhærēs toti composito ex anima & corpore: vnde & dicitur esse in parte animæ inferiori, quia est in illa, quatenus forma est corporis, vitam corpori præbens. Huius appetitus duæ sunt potentię concupiscibilis & irascibilis. Motus vel operationes eius appellantur passiones, eò quod per illas potentia corporali quadam immutatione alteretur, & quasi patiatur. Dicuntur & perturbationes animi, quòd rectam rationem soleant turbare, & tenebras offundere. Sunt autem numero vndecim, sex in potentia concupiscibili, vt amor, desiderium vel concupiscentia, odium, fuga mali vel abominatio, delectatio, quæ dicitur & gaudium, dolor, vel tristitia. Quinque reliquæ sunt in irascibili, quæ sunt spes, & desperatio, audacia, & timor, & ira, quæ dicitur & indignatio, ac zelus.

Aug. 9. de ciuit. c. 4. S. Thom. 1. 2. q. 22. a. 1, 2, 3.

Hæ passiones oriuntur ex bono vel malo per imaginationem animæ repræsentato. Nam bonum repræsentatum, tanquam principium actiuum primò efficit in animo inclinationem quandam ad bonum, & hoc est, amor; ac dum bonum nondum obtinetur, mouet appetitum ad illud procurandum, & hoc est desiderium. Post obtentum verò bonum, bonum ipsum efficit in animo quietem & pacem, quæ dicitur delectatio & gaudium.

Malum verò eidem appetitui repræsentatum efficit contrarium: ac primò quidem auersionem, qua conatur illud à se repellere, & dicitur odium. Deinde studium remouēdi, & dicitur Fuga vel abominatio mali. Si verò malum à se remouere non possit, sequitur Dolor & tristitia. Quòd si bonum appetitui obiectum sit arduum, sed ita conceptum, vt obtineri queat, efficit in potentia irascibili spem consequendi, contra verò, desperationem, si concipiatur, quasi obtineri nequeat. Rursum si appetitui malum obijciatur, quòd ægrè depelli possit, & tamen homo confidat se depulsurum, nascitur audacia in appetitu: sin minus, timor. Si verò malum sit re ipsa vel imaginatione præsens

sens surrigit se ira contra illud eiusque auctores.

Hæ passiones, si naturam spectes, hoc est, vt sunt partis sentientis operationes, moraliter nec bonæ, nec malę sunt, nec virtutes, nec vitia, quia voluntariæ non sunt, nec à ratione libera ortæ. Si verò eas consideres, quatenus à ratione incitantur, vel mandantur, aut quando oportebat, non coercentur, & comprimuntur, quod est, tacitè illis consentire, tum moraliter bonæ vel malæ, virtutes vel vitia dici queunt, quia sic sunt voluntariæ, & cum ratione participant. Bonæ quidem, quando rationis dictamen sequuntur. Malæ, quando secus, hoc est, cum potius sequantur naturæ corruptæ inclinationem, amando, quod amandum non est; & timendo, quod timendum non est.

His appetitus sensitiui passionibus in voluntate respondent, vt suprà diximus, similes actiones & motus, ijsdē nominibus amoris, desiderij, gaudij & cæteris appellati. In voluntate siquidem propriè non sunt passiones, quia eius motus non sunt cum mutatione corporali coniuncti, sed dicuntur affectus, qui naturâ sua liberi sunt, &

immediatè nati. Vnde si benè ordinati sint, verarum germanarumque virtutum actus sunt, quibus refrænantur partis sensitiuæ passiones. Si non sint, & cum ratione pugnent, culpæ rationem obtinent, & excitant animi perturbationes.

Hæc cum ita sint, restat vt diligenter consideremus, quanta nobis incumbat necessitas passiones illas mortificandi. Certè si homo non nisi vt bruta animantia, anima sentiente constaret, non esset ad refrænandas passiones obligatus, quia conuenienter naturæ suæ principali operaretur. At quoniam ratione, vt principali parte præterea præditus est, à qua & homo dicitur, tenetur, quibuscunque modis potest partem sentientem, tanquam ancillam dominæ, & instrumentum opifici, sibi subijcere. Hoc Deus in diuinis litteris per Ecclesiam docet, dum monet, ne post concupiscentias nostras eamus; hoc est, post passiones; alioquin ab hostibus vincendi, id est, dæmonibus, qui irridebunt, & subsanabant nos. Et Apostolus Paulus Dei auctoritate. *Fratres*, inquit, *sumus debitores carnis*, vt nempè secundùm eius inclinationem vitam instituamus: quia *si secundùm illam*

Eccl. 8.

Rom. 8.

vixeri-

vixerimus, moriemur, nempè morte culpæ & pœnæ æternæ: *Si autem spiritu facta carnis mortificauerimus*, hoc est, passiones & concupiscentias, *viuemus*, nempè vita gratiæ & gloriæ æternæ.

Ratio, cur harum passionum mortificatio tam necessaria sit, est, quia sicut in parte superiori animæ, quæ intellectiua dicitur, voluntas propria, iudiciumque proprium sunt omnium vitiorum radix sic in eiusdem animę parte sensitiua, & inferiori passiones sunt omnium peccatorum, malorumq; fons & radix. Ab his passionibus ad partem intellectiuam ascendunt tetri vapores, & fumi, iudicium excæcantes, & obscurantes. Vnde Apostolus in hominis peccatoris persona. *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & detinentem sub lege peccati.* Appellat Beatus Paulus membrorum legem, partis sentientis passiones: quia si non cohibeantur, animam in omne genus vitiorum præcipitem agunt. Rom. 7.

Est & alia ratio, quæ mortificationem passionum suadet: nam cùm insint parti sentienti, organisque corporeis, non animæ modò, verùm etiam corpori, quoad sanitatem noxiæ sunt.

Videmus enim vno immodico timore homines quosdam ilicò incanuisse; alios iræ intemperantia, tristitiæ, vel gaudij concidisse mortuos. Cuius rei multa exstant in veterum monimentis exempla. Publius Rutilius spe Consulatus, quem Romæ ambiebat deiectus, tanto mœrore obrutus est, vt subitò animam efflârit. Dantes poëta clarissimus, teste Volaterrano, ad Venetos missus pro pace cum Guidone de Palenta componenda, simulatque cognouit sibi audientiam negatam, vitam cum morte commutauit. Idem facit nimia lætitia. AElianus enim commemorat athletam Crotoniatam post partam Olympico certamine victoriam, cum corona laurea offerretur, tanta lætitia effusum, vt continuò spiritum reddiderit. Et de Sophocle scribit Plinius, eum, cum tragœdia sua alteri publicè antelata fuisset, tanto exilisse gaudio, vt subitò mortuus concidèrit. Idem efficit in hominibus nimius terror. Refert siquidē Fulgosius de Ostrogothorum Rege Theodorico, cum in cœna ingens caput piscis propositum fuisset, illeque existimaret, esse ipsum caput Symmachi, quem trucidârat, eum tanto terrore concussum, vt paulò post

Lib. 22.

Lib. 7. c. 55.

Lib. 9. c 2.

lò pòst expirârit. Idem de alijs passionibus dici potest, quando non mortificantur.

Nonnulli tamen in ea sentẽtia sunt, vt arbitrentur, se in ægritudinem lapsuros, si obortam iram, tristitiamue refrænare conentur; vnde passioni cedentes animæ suæ perniciem afferunt, & malè ædificant proximum, ac Deum grauiter offendunt, imò & corporis sanitatem, si sinant passionem augescere, lædunt, vt liquet experientia. Quare concludo sedulam passionum mortificationem, plurimum valere ad conseruandam animæ corporisque incolumitatem, ad extirpandam tyrannicam vitiorum seruitutem, ac denique ad veram, & solidam pacem internam externamque obtinendam.

CAPVT XIII.

Qua ratione mortificandæ sint passiones existentes in parte hominis sensitiua.

EX ijs, quæ superius dicta sunt, de modo mortificandi amorem proprium, & voluntatem propriam facilè liquet, quemadmodum

sint mortificandæ passiones. Licet enim aliquando fieri possit, vt sine vllo respectu ad passiones peccetur propria voluntate, vt cum peccatur ex mera malitia, tamen omnes ferè praua voluntatis nostræ actiones originem habent ab aliqua passione non mortificata in ijs, qui seruire Deo cœperunt. Quare breuiter de mortificatione passionum agemus. Passio amoris, quæ prima omnium est, & desiderij, quæ secunda est, inordinatæ sunt. Primò, quando homo amat vel desiderat, quæ natura sua cum diuina lege pugnant, vt est iniustè detinere rem alienam, alterius coniuge abuti, &c. In quo genere non opus est diu dispicere, quid agendum sit: constat enim pœnitentia talia esse corrigenda ab ijs, qui nondum adiuuante diuina gratia viam pulcherrimam obseruationis mandatorum Dei inire cœperunt. Secundò, inordinatæ sunt, quando homo amat vel expetit, non quidem res suapte natura malas, sed superuacaneas, & idcircò culpæ obnoxias, vt opes, domos, hortos, vestium mollitiem, victus delitias, aliaque quæ non conueniunt homini humilitatis, aliarumque virtutum Christianarum studioso. Tertiò

Passio amoris, Desiderij.

tiò inordinatæ sunt, quando homo amat & desiderat necessaria, non ob necessitatem, sed voluptatem, aut si ob necessitatem quidem, amet tamen immodico affectu. Hoc autem, teste S. Augustino, & B. Gregorio argumentum est aliquem affectu inordinato amoris vel desiderij in res necessarias ferri, quando ijs destitutus magnoperè affligitur: si enim illa propter Deum amasset, cùm à manu eiusdem Dei profectũ sit, quod illis sit exutus, voluntatem suam cum diuina conformasset. Has inordinationes mortificare debet homo, ea ratione qua diximus, mortificãdum amorem proprium, non desiderando, nisi ea, quibus ægrè carere possumus, idque non ad nos solandos, sed ad satisfaciendum necessitati, & diuinæ ordinationi, quæ ita voluit, ac ex parte nostra optando viuere sine vlla delectatione corporali, si eam Deus non concessisset. Itaque quando Deo sic visum fuerit, etiam amorem parentum, filiorum, vxoris, amicorum, & aliorum non secus, quam aliarum rerum temporalium, exuere, & paratum esse, quãdo casus ita tulerit, illos omnes pro Christo deserere.

Aug. de vera relig. c. 48. Greg. l. 31. mor. c. 8.

Passio delectationis & gaudij inordina-

Delectationis.

dinata est, quando homo oblectatur, & gaudet in rerum temporalium vsu & successu, non quia vsus ille necessarius, vel animæ proficuus est ad charitatem promouẽdam, aliumúe virtutis finem obtinendum, sed quia voluptatem quãdam affert naturæ conuenientem: vt si quis oblectetur spectandis ludis, & comœdijs, non ob commodum, quod inde prouenit, sed ob voluptatem solam, quam spectãdo capit. Item, si, quoniam magnum fecit quæstum in negotiatione, aut hæreditas obuenit copiosa, vel mun° publicum valdè fructuosum nactus est, de ijs gaudet, non quod commodare queant saluti animæ suæ, vel aliorum, aut quòd necessitati multorum possit eorum ope succurrere, sed tantum, quia magnam ex eo euentu capit consolationem. Idem est in alijs rebus ordinarijs, vt si quis lætetur ob victum vel vestitum, ob donum egregium acceptum, ob laudes ab alijs auditas, & alia similia carni placentia, tantùm quia voluptatem aliquam ista afferunt, nullo alio fine proposito virtuti consentaneo: hæc enim lætitia inordinata est, rationeq; ac spiritu mortificanda, vt scilicet ea non expetat, nisi necessitatis vel vtilitatis nomine.

quæ

quæ in animam ipsius vel proximi redundet. Quæ doctrina liquidò colligitur ex eo, quod alibi dictum est de actionibus adiaphoris, quæ per se nec bonæ, nec malæ sunt, bonum finem esse præstituendum, vt virtutum laudem obtineant.

Tristitiæ.

Quæ dicta sunt de passione gaudii, similiter intelligenda sunt de passione tristitiæ. Videamus ergò quî sit tristitia inordinata à nobis mortificanda. Quando ob iacturam rerum temporalium factam, aliave incommoda accepta in victu, vestitu, habitatione, parentibus, amicis animo deijcimur, non quia inde grauiter offensus sit Deus, aut quia detrimentum aliquod nostræ proximorumve saluti & profectui accesserit, sed quod consolatio aliqua nobis adempta sit, tunc tristitia inordinata laboramus, quæ destituta est fine veræ virtutis. Quare ratione mortificare & corrigere hanc passionem tenemur, quòd fiet, si eam tanquam de manu Dei pro expiatione peccatorum nostrorum suscipiamus.

Timoris.

Timor quoque vanus & inordinatus est, quando homo reformidat aut corporis & fortunæ damna, aut excidere è gratia & beneuolentia homi-

num, non quòd timeat Deum offendere, aut alio nocumento spirituali suam vel aliorum animam afficere, sed tantùm, quia horret damni temporalis grauitatem. Qui timor sic mortificandus est, vt se homo promptum offerat ad omnia damna fortiter perferenda, quæ Deus immiserit & permiserit. Sunt & alij timores inordinati, quibus homo plus æquo terretur rebus alterius vitæ, vt spectris, vmbris, apparitionibus spirituum, & idcircò non audet solus degere in domo aliqua, aut solus in tenebris iter carpere. Hi timores mortificandi sunt actionibus contrarijs, vt transeundo per locum spectris obnoxium, & orationibus pijsque meditationibus vacando.

Ira.

Iræ passio non solùm inordinata in nobis est, quando exposcimus vindictam, aut verbis contumelijs alios inuadimus, sed etiam quando nulla voce emissa, aut signo dato in nobis ipsis turbamur, aut in proximum commouemur ob defectus in illo animaduersos, atque ita animo ab eodem abalienamur, & in corde illum iudicamus, ac vilipendimus. Hæc ira mortificanda est eleuando cor ad Deum, & à misericordi eius manu recipiendo pœnam,

quam

quam ira nobis attulit, auxiliumque implorando quo funditùs comprimatur, vt diximus alibi de remedijs ad acquirendam patientiam commemoratis.

Indignationis.

Indignatio in proximum, orta ex consideratione defectuum eius, mortificanda est, compatiendo illi, & lapsus excusando, quoad fieri potest: cogitando item & in conspectu Dei agnoscendo, nos multò deteriora perpetraturos fuisse, nisi diuina manu conseruati fuissemus. Verùm hic aduertendum est, has passionum inordinationes non semper esse peccata in voluntate, nisi volũtas illas optet, acceptet, vel non refrænet & mortificet, sicut oportet: sin verò aduigilans statim repudiet & rationi subijciat, tum licèt earum commotionem sentiat in parte sensitiua, vt loquitur Apostolus, rea non fit damnationis, imo virtutes earumque meritum sibi cumulat, & gloriam auget in cœlo. Quare seruo Dei non debet videri superuacanea hæc subtilior de passionibus tractatio, quoniam progressus magnos in amore Dei, omnique virtutum laude facere potest, qui in mortificandis animi perturbationibus egregiè se exercitârit. Quòd si cuiquam

Ro. 7. & 8.

quam non admodum arridet hoc mortificandarum passionum studium, non est tamen infructuosum hanc doctrinam habere perspectam, vt cùm Deus menti desiderium tale iniecerit, facilius & promptius amplectatur. Nec verò modus mortificandæ, verbi causa, iræ, quod aliquis suspicari posset, impedit superiores, quo minus sibi subiectos: cùm opus est, corrigere vel castigare possint, sed iuuat, vt moderatè ac debito fine, atque etiam merito corrigentis & correcti fiat. Nec item mortificatio indignationis contra proximum vetat, ne indignemur contra crimina & noxas peccantium, sed temperat cor nostrum, vt sic indignemur in defectus, vt tamen non dimoueamur ab amore personæ peccantis. *Vera enim iustitia*, inquit beatus Gregorius, *compassionem habet, non indignationem.* *Hom. 34. in Euang.*

CAPVT XIV.

De mortificatione sensuum externorum.

POst mortificationem propriæ voluntatis, quæ inest parti animæ spirituali, & passionum inhærentium parti sensitiuæ interiori, congruens est, vt deinceps tractemus de mortificatione sensuum exteriorum,

tum, quæ non perutilis solùm, sed etiam necessaria est homini veræ virtutis studioso Propria siquidem voluntas, passionesque per ipsos sensus externos videndi, audiendi, odorandi, gustandi & tangendi prauas suas inclinationes & motus exercent: vnde fit, vt mortificatis sensibus, mortificetur quoque propria voluntas, quæ illos regit: passiones item interiores quæ sensuum actione produntur, & complentur. Deinde sensus sunt quasi ianuæ & feneſtræ, per quas in animam aditum habent cogitationes & imaginationes vanæ & peruersæ, quæ accendunt & excitant in ea motus inordinatos ac vitiosos. Itaque sicut ad tuendam & propugnandam domum vel arcem, ne eam inuadant fures & prædones, necesse est portas omnes feneſtrasque diligenter obseruare: sic ad tuendum animæ nostræ domicilium, quæ est sedes Dei, diuinorumque thesaurorum, hoc est, gratiæ & virtutum propugnaculum, opus est sensuũ externorum portas feneſtrasque sedulò tenere clausas, ne ab infestis nostris hostibus dæmonibus inuadatur & spolietur dictis thesauris spiritualibus. Adhæc æquum rationique consentaneum est, vt facultatibus alienis secundùm

Do-

Domini voluntatem vtamur: si enim secus fiat, iniustitiæ, & quasi furti noxa incurretur. cùm ergò sensus nostri sint bona Dei, è cuius manu habemus & esse & viuere, & omnes ad operandum vires, imò bona omnia, meritò eis vti debemus, non secundum nostram cupiditatem, sed secundum voluntatem & beneplacitum eiusdem Domini. Itaque generatim loquendo in eo consistit vera sensuum mortificatio, vt quoties aliquid oculis spectandum, auribus audiendum, naribus odorandum, lingua gustandum vel loquendum, manibus denique tractandum est (quod idem de alijs membris corporis sentiendum) homo secum perpendat, quo fine & scopo ad videndum, aliasve actiones moueatur: si enim deprehendat se solo voluptatis, non autem necessitatis vel vtilitatis spiritualis sensu adductum, mox abstineat ab ijs prosequendis; si secus, oret Deum, vt cum sua benedictione ad ipsius gloriam, suæque animæ aliorumve salutem liberè illis vtatur.

Prou. 23.

Hãc sensuum mortificationem sæpè à nobis Spiritus S. in diuinis literis exigit. In Prouer. enim dicit: *Præbe fili cor tuũ mihi: & oculi tui vias meas custodiant.* Loqui-

quitur autem de oculis mentis primũ, deinde de corporis, quatenus menti obsequuntur, vtrique enim secundùm vias, hoc est, secundùm Domini voluntatem dirigi debent. Et in libro Numerorum, Deus mandauit in fimbrijs vestium poni vittas hyainthinas. & causam eius addit, *vt recordentur omnium mandatorum Domini, nec sequantur cogitationes suas, & oculos per res varias fornicantes.* Num. 15. Ac in Ecclesiastico commendat custodiam aurium & linguæ, dicens: *Sepi aures tuas spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo facito ostia, & seras auribus tuis.* Eccl. 28. His similibusque sententijs inculcat Deus nobis in lege sua mortificationem sensuum. Vt verò practicè melius eam exerceamus, de cuiusque sensus inordinatione, mortificationeque porrò disseremus.

CAPVT XV.

De mortificando visu, maximè in spectandis ludis, tripudijs & alijs rebus ad malum prouocantibus.

NAtura nostra per peccatum vitiata in omnibus rebus suã aucupatur voluptatẽ per ministe-

ri-

rium sensuum, maximè autem oculorum, tum quia promptius illis obiecti spectabilia se offerunt, tum quia minore labore atque infamia vsurpantur. Si in spectandis rebus non aliud quæritur quàm oculorum pastus, noxa non caret animus. Oblectationis, inquit beatus Basilius, appetitus è carne velut ex fonte manat, per omnes sensus, tanquam per quinque flumina diffunditur, oculis verò, velut manibus incorporeis omnia quæ vult attingit, etiam ea quæ corporeis manibus non tractantur; nam conspectis eorum figuris & formis, cordi mox eorum speciem infigit, & corpus ad voluptatem inflammat, atque ita omnes sensus actiones suas dirigunt ad eandem voluptatem, tanquam ad suam reginam, contaminantes animam, & carnalibus desiderijs obnoxiam facientes. Vnde concludit sanctus ille doctor, seruum Dei, qui veræ virtuti operam dare contendit, debere inuigilare sedulò custodiendis sensuum fenestris, nè liberè nimium vagentur, animamque in vitiorum voraginem præcipitem agant. Ac sigillatim, oculos non debere conuerti quocunque collibuerit, sed eò tantùm quò necessitas aut vtilitas spiritualis impel-

Lib. de vera virg.

let. sic enim animus semper, inquit, promptus erit ad contemplandam rerum spiritualium pulchritudinem. Qua oratione sanctus Basilius non obscurè insinuat, quæ sit inordinatio in aspectu, quodque eius remedium. Sed iam magis particularia subijciamus.

Ex hoc inordinato appetitu captandi voluptatem ex vago oculorum in quasuis res coniectu, nascitur cura desideriumque cernendi spectacula iucunda, vt ludos, saltus, laruas, comœdias, taurorum certamina, & alia id genus vana & noxia exercitia. Hoc desiderium etiam atque etiam coercendum est, nam vt in huiusmodi spectaculis, nihil nisi sensuum oblectamentum quæritur, & procliuis eorum occasione in vitia lapsus est, magnum animæ conciliant damnum, deducendo eam à rerum diuinarum consideratione, & multis inanibus cogitationibus superbiæ, iræ, gulæ, odij, inuidiæ, libidinis, detractionum, eam complendo; à multis quoque operibus bonis abstrahendo, & tempus pretiosum perperam consumendo. Ac esto, nullum aliud incommodum inde sequatur, quàm quod sua præsentia approbare videantur huiusmodi nugas, id magnum satis incommo-

modum videri debet. Vnde ait sanctus
Lib. de spect. Cyprianus. Etsi spectacula, non sint similia gentilitijs, quæ in honorem falsorum deorum instituebantur, tamen à Christianis esse vitanda. Cùm enim natura hominis corrupta per se ad malum prona sit, quid faciet si oculis obijciantur quæ ad malum prouocent? qui per se ad lapsum proclivis est, quantò potiùs labetur inter tantas occasiones? Et
In Psal. 119. sanctus Augustinus, inter peccata & occasiones eorum numerat spectaculorũ frequentationem. Nec sancti solùm, verùm etiam gentilium sapientum nonnulli agnouerunt, quanta bonorũ morum iactura sit in aspectu rerum vanarũ & futilium. Romæ, cùm Cornelius Nasica theatrum ad exercendos ludos excitasset, Senatores improbãrunt, & euerti mandãrunt, existimantes res vanissimas indignas esse perpetuo ædificio. Id factum est, cùm morum apud Romanos inuiolata constaret integritas: at postquam violari ea cœpit, multa amphitheatra extructa sunt. De Catone
Raph Volaterr. l. 29. certè apud Ethnicos quondam prudentissimo legimus eum detestatum fuisse theatra, nec vnquam voluisse ludis interesse: arbitrabatur enim homine prudenti indignum esse, præsentia sua lu-
Volat. ibid.

di-

dera spectacula approbare. Cicero quoque testatur in persona Scipionis Romanos iudicij laude claros pro re vili & abiecta habuisse comœdiarum actiones, ipsosque actores decreto Censorio declaratos infames.

Quantò magis Christiani homines, quos Christus monuit, de omni verbo otioso aliquando in die iudicij reddendam rationem, ac omnes peccandi occasiones, etiamsi oculis, manibusque & pedibus nobis essent cariores, summa vigilantia abscindendas, cauere debent huiusmodi spectacula, in quibus & multi temporis fit iactura, & plurima oculis vsurpantur vana & lasciua, bonisque moribus aduersa, vt quotidiana docet experientia. Nam vt quidam Poeta loquitur: *Segnius irritant animum demissa per aures, Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.* Et cùm beatus Paulus dicat, corrumpere bonos mores colloquia praua, quæ auditu percipiuntur; quantò magis inquinabunt animam fœdâ spectacula quæ in oculos incurrunt?

Matth. 12.

Matth 5.

Horat. de arte poet.

1. Cor. 15.

Accidit alius horum tẽporum abusus, quod fœminæ quoque ad comœdias adhibeantur. Scriptura sacra non semel monet mulieris speciosæ con-

Eccles. 9. Prou. 5.

spe-

ſpectum occidere corda multorum, ſermones eius placidos eſſe inſtar ignis ad fœditatem omnem inflammantis, nouiſſima autem illius eſſe amara quaſi abſynthium, & acuta quaſi gladium biacipitem, hoc eſt, qui animam punit morte culpæ & pœnæ æternæ. Vnde ſcribit ſanctus Auguſtinus, Baſiliſci afflatum tolerabiliorem eſſe cantu fœminæ: eò quod Baſiliſcus ſuo aſpectu corpus, cantus verò laſciuæ fœminæ animam perimat. Iam ſi accedat geſtus & motus corporis nil aliud ſpirans quàm leuitatem & turpitudinem, quid fiet in imbecillibus mentibus auditorum? id nimirum, quod euenit Holoferni confiſcienti oculos in Iudith, vrbà pulchritudine, ſicut loquitur Scriptura, *captiua facta ſit eius anima*, morteque temporali & æterna percuſſus. Non permittit Apoſtolus Paulus mulieri quæ tumuis ſapientia magna præditæ functionem publicè alios docendi: cuius rationem reddit beatus Anſelmus, quòd ſermo eius prouocet auditorem ad amorem parum honeſtum. Quòd ſi verum eſt, quid efficiet mulier compta veſtita, & in publico theatro verbis factisque gerens perſonam legem & inter coram? non dubium, quin dæmon per

Aug. de ſing. cleric.

Iudith 16.

1. Cor. 12.

eam, tanquam per aptissimum suorum maleficiorum instrumentum plurimũ mali perfecturus sit, vt quotidianis constat exemplis.

Cæterùm hic animaduertendum est, etiamsi laudabile sit quædam religiosa dramata, à quibus omnes leues narrationes actionesve absunt, spectanda proponere, tamen si ab eiusmodi actoribus exhibeantur, qui alioquin vana & lasciua miscere consueuerunt, non conuenire illa à Dei seruis frequentari. Hoc enim sathanæ artificium est, comœdijs pia quædam & sancta inserere, vt hoc prætextu etiam pij & religiosi homines ad eas audiendas alliciantur. Neque idonea excusatio est eorum, qui promiscuè omnibus interesse volunt spectaculis, quòd Principes & Magistratus illa permittant: multa enim mala licitè ab illis permitti queunt, vt caueantur deteriora, vel certè permittuntur, quia non satis exploratum habent, quanta mala inde consequantur, quæ si perindè scirent, ac cognoscunt multi qui in conscientiæ foro quotidie versantur, proculdubiò non facilè permissuri essent.

Sed & choreas & saltationes multi è gentilium sapientioribus tanquam *C. Rhodigin. l. 5. c. 3.*

Alex. ab Alex. l. 2. c. 25. rem vanam & inutilem condemnarũt, vt Plato, qui à Rege Siculo, quem fouè inuiserat, ad choreas cum alijs ducendas inuitatus, respondit, Mulierum id esse, non virorum. Et Imperatores Tiberius ac Domitianus, licèt veræ fidei expertes, illas lege vetuerunt, asserentes, hominibus honestis esse indignas. Idem ratio naturalis dictat, ac multò magis Christi religio, quippe quæ tantam exigit ab homine fideli modestiã, honestatem, vanitatumque & leuitatis despicientiam, vt externo habitu & gestu corporis ad glorificandum Patrem cœlestem prouocare teneatur. Vnde

Psal. 39. Psalmista: *Beatus*, inquit, *vir, cuius est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas.*

Alja inordinatio visus nostri est, facilè oculos conijcere in res spectatu iucundissimas, non quòd necessitas rei, vtilitas aliqua id postulet, sed quia sola voluptas inuitet, quod vitium notauit alicubi beatus Basilius. Quod tunc maximè mortificandum est, quando exercitum rerum aspectu oriuntur prauæ cogitationes, vt fit ex aspectu venustarum mulierum, aut nudarum iconum. Vnde magna exaggeratione idẽ auctor monet, non esse cohibendos modò oculos

Lib. de vera virg.

Ser. de abdic.

à sce-

à fœminarum, sed etiam speciosorum adolescentum intuitu: rationemq; huius moniti subijcit, hanc nempè quòd experientia quotidiana constet multa hactenus mala in mundo ex vago & libero in quosuis oculorum coniectu esse secuta; atque callidum humani generis hostem hoc medio quamplurimos in fraudem induxisse, ac in tartareas flammas præcipitasse; nec eos solùm, qui vltrò flagitijs, & mundi huius illecebris immersi erant, sed etiam optimos, qui longè à vitiorum castris recesserant Vnde concludit seruo Dei nõ debere intercedere consuetudinem cũ talibus personis agendi, & si quando iustis de causis subterfugere nequeat, oculos non in illos, sed in terram defigendos. Quæ doctrina sic prorsus rationi consentanea est, vt etiam Ethnici iudicârint idem faciendum homini pudico & casto. Valerius siquidem Maximus, *Pericles*, inquit, *Athenienſium princeps, cũ tragœdiarum Scriptorem in Prætu a collegam haberet, ac is publico offi io vnà di-ſtrictus pueri ingenui prætereuntis formam impenſioribus verbis laudaſſet, intemperantiam eius increpitans dixit Prætoris non ſolũ manus à pecuniæ lucro, ſed etiã oculos à libidinoſo aſpectu cõtinentes eſſe debere.* Hanc do- Lib. 4. c. 3.

ctrinam ab Ethnicis agnitam, sed non seruatam, sancti Dei in Ecclesia Christi, gratia diuina adiuti, & agnouerunt & seruauerunt.

Guido Cart. in eius vita. B. Hugo Episcopus Gratianopolitanus, licèt esset castissimus, & ab omnibus tentationibus carnis ita immunis, vt sensu omni videretur destitutus, tamen quoties iam existens episcopus, vel in Confessione, vel extra illam necesse habuit alloqui fœminas, nũquam per totos quinquaginta annos oculos in earum vultum coniecit: asseruitque id necessariò faciendum, si mentem velimus ab impuris cogitationibus liberam conseruari.

Stur. in Mar. S. Thomas quoque Aquinas quantumuis dono castitatis diuinitùs ornatus, nec tentationibus vllis obnoxius, & cui angeli spoponderant nũquam eum castitatis iacturam facturum, tamen summum studium adhibuit, ne in mulieres, aliasve res noxias oculos conijceret: nec secus quàm serpentes & scorpiones eas declinabat.

Sanctus Franciscus, qui continenti mortificatione carnem prorsus edomuerat, tam sedulus fuit in cauendis colloquijs non necessarijs cum muliebri sexu, & refrenando earum aspectu,

vt

vt ne vnius quidem ex vultu notitiam haberet, ipseque omnes commonefacere solitus erat, nisi cura & vigilantia illa ab omnibus vsurpetur, fieri non posse, quin detrimentum aliquod ab earum conuersatione capiatur, sicut ignem nemo ingredi possit, quin comburatur. Atque hoc studium omnium Sanctorum commune fuit, à noxijs rebus oculos auertere; probè enim nôrant, quàm ingens damnum incurrerent, quotquot iacturam facerent thesauri gratiæ & castitatis, dein quantæ fraudes, doli & stratagemata in hoc genere à dæmone fingerentur, quantaque hôminis in tentationibus carnis superandis imbecillitas & fragilitas: contra verò, quàm insigne præsidium à castitate nobis esset ad omnes alias virtutes conseruandas & retinendas.

CAPVT XVI.

De mortificando affectu videndarum rerum curiosarum, ac imaginum inutilium, aliarumque rerum similium

VEræ virtutis studioso non est mortificare videndi facultatem in contuendis rebus cum periculo amittendæ gratiæ diuinæ coniunctis,

ctis, vt sunt, de quibus hactenus egimus, sed etiam in alijs, in quibus obignorantiam vel negligentiam nostram leuior lapsus est, vt hoc amplius in virtutibus proficiamus, & meritum adaugeamus in cœlis. Nam limites laudatæ visionis transgredimur, si oblectationis solius causa spectare velimus magnifica & præclara ædificia, vrbes, vasa aurea & argentea, hortos, animantia, imò si videre optemus tantùm res curiosas, quæ pœnam potius afferant, quàm voluptatem, vt duos inter se grauiter cortixantes, & mutuis se concidentes vulneribus, vt maleficos diris excruciari tormentis, idque nullo alio fine, quàm vt sciamus, quid agatur nouí. Vnde beatus Augustinus reprehendit artifices, qui ad illecebras oculorum innumerabilia variis artibus adduntin vestibus, calceamentis, vasis, picturis etiam, diuersisque figmentis, vsum necessarium atque moderatum & piam significationem longè transgredientibus: *Ego autem*, inquit, *resisto seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam, & erigo ad te inuisibiles oculos, vt tute euellas de laqueo pedes meos.* Et infra sigillatim accusat se quòd curiositate victus, licèt non in circo, tamen

Lib 10. conf. c. 34.

Cap 35.

men in agro cum voluptate viderit canem insequentem leporem, vel araneam retibus suis irruentes muscas implicantem; & tandem exclamat: *Quàm multis minutiss mis & contemptibilibus rebus curiositas quotidie nostra tentatur, & quàm sæpè labamur, quis enumerat?* Hæc Augustini doctrina vera est, quoties nulla necessitate vtilitateve corporis vel animi proposita, voluptatem capimus ex rerum dictarum consideratione. Quòd si autem homo ille oblectamento se pasceret, aut ad leuandum animi mœrorem, aut ad mitigandos labores toleratos, aut ad capessendum aliquod documentum animæ fructuosum, tum illa aspectio omnis culpæ expers foret. Vnde idem Augustinus fatetur, si quando eum propensio naturalis, aut curiositas ad talia spectanda perpulisset, atque id aduertisset, alterutrum è duobus feciisse: aut è re conspecta aliquam vtilitatem spiritalem decerpsisse, aut à visione cessauisse. Itaque quoties videmus nos ad res intuendas ferri sola cernendi voluptate, eam præcisam domino Deo offeramus: sin feramur, aut necessitate, aut proposito iustæ recreationis scopo, cor attollamus ad Deum, rogemusque vt

actionem nostram ad suam gloriam dirigat, efficiarque vt è re spectata fructum spiritalem impensius Deum amandi colligamus. Hoc totum paucis verbis docuit sanctus Basilius cùm ait: *Ser. de abdic.* Caue ne sis curiosus, sed oculorum aspectum aquè ac auditum ac sermonem exæqua, cum profectu inde consecuturo.

Hinc sequitur quantoperè conueniat tolli abusum hoc seculo renouatum exprimendi ad viuum effigies hominum qui neque sanctitate, neque dignitate illustres extitêre. Pontificum & Regum possunt, vtrorumque enim recordatio & reuerentia ad ædificationẽ animorum proficua est, cæterorum, siue sint parentum, siue cognatorum, siue absentium, siue præsentium, haud scio, quæ coram Deo spiritualis possit esse vtilitas, in quorum vita, neque singularis sanctitas aliqua, quam imitari possimus, eluxit, neque aliæ heroicę virtutes quæ publicè laudari queant. Verùm quia non omnes tanto lumine de cœlo donati sunt, vt in hoc genere vanitatẽ aliquam agnoscant, operæpretium erit declarare, quanta damna pietatis veræ studiosis ex hoc abusu nasci queãt. Scriptura sacra idololatriæ initia inde sumpta

pta commemorat. *Acerbo*, inquiens, *luctu* Sap. 14.
pater dolens citò sibi rapti filij fecit imaginem, & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & constituit inter seruos suos sacra & sacrificia. Deinde interueniente tempore conualescente iniqua consuetudine, hic error tanquam lex custoditus est, & tyrannorum imperio colebantur figmenta. Multitudo autem hominum abducta per speciem operis eum, qui ante tempus tanquam homo honoratus fuerat, tunc Deum estimauerunt. Quod ergo Ethnicis fuit initium & radix idololatriæ, id dæmon nunc persuadet fidelibus, hoc est, vt sui, & aliorum absentium morte defunctorum imagines faciant: cuius abusus extirpandi meritò sufficiens causa esse deberet, quòd inde tantorum malorum factum sit initium. Quamuis verò nunc dæmon, vt olim, non possit fideles pertrahere ad colendas tales imagines, tamen ad alia incommoda pertrahit virtuti Christianæ contraria.

Etenim quorum effigies finguntur, illi valdè honorificum id sibi arbitrantur, neque enim ignorant apud Romanos tum maximum honorem alicui delatum, si statuam publicè in foro, vel alio loco ob res præclarè gestas meruisset. Qui verò vident effigiem suam in

aula vel alio loco publico domus constitutã, vbi ab omnibus spectari possit, quid aliud pro fragilitate sua facere possunt, quàm animo efferri, quòd in tanta sint veneratione? Sæpè vno verbo laudati extollimur, nonnunquam pretiosa veste insolescimus, quidni & expressione illa honorifica ꝓprij vultus? Nã cũ ferè elegantiori specie exprimatur, viuaciorique colore, habitu, & gestu quã reuera ipsi sint, quid aliud inde lucrantur, quàm vt magis sibi placeant, & amore sui inardescant? Adhęc cũ totius vitæ Christianæ fundamentũ consistat in contẽptu rerum tẽporalium, & cruce quam Christus nobis portandã imposuit, dubiũ non est, cum magno animæ damno honorẽ & laudem quæri in fingendis iconibus nostris vel alienis, maximè si eorum sint, quos carnaliter dilexerimus, quid enim aspectus talium iuuat nisi ad renouandam vel augendam flammam inordinatæ affectionis? Præterea non exigua videtur hoc abusu iniuria fieri Sanctis, quorum imagines hactenus in ædibus visitatę fuere, tum vt in memoriam sanctissimã illorum vitam reuocaremus, tum vt eos debito cultu veneraremur, & auxilium eorundem imploraremus: nunc autem

tem cum hominum non Sanctorum imagines exprimamus, & publicè spectandas proponamus, quid aliud facimus, quàm quòd exæquamus eos Sanctis? Etsi enim eas non colamus vt sanctorum, tamen eas æquè auro, argento, & coloribus expolimus, ac Sanctorum, æquè honorato & publico loco figimus, ac sanctorum: sic prorsus, vt multi domum ingressi ægrè dijudicare possint, sitne imago Sancti alicuius, vel alterius, quam fortè viderint, & si putent esse sancti, religiosum honorem illi per errorem deferant. Illud quoque non parum animæ nocet, quod tempus consumendum in contemplatione imaginis Sancti, vitęque eiusdem recolendæ, nullo fructu impendamus in considerandæ forma & lineamentis hominis vulgaris & prophani. Hæc seruis Dei satis esse debent, vt huiusmodi icones à conspectu suo, aliorumque remoueant.

Ex dictis consequens est, seruum Dei, cùm in publicum procedit, non debere in quosuis homines oculos conijcere, sed tantùm in viam, quam iniuit, dirigere: nam sine causa hùc illucque respectare curiositas est & vanitas. Nec seruo Dei nimium videri

debet tali fræno coerceri, cùm potius animi oculos exsaturare debeat in contemplanda pulchritudine, infinitaque Dei gloria; corporis verò, aspectu dulcissimo glorioſissimi corporis Domini nostri, benedictæque eius matris omniumque corporum pulcherrimorum aliquando resuscitandorum, & æterna immortalitatis corona donandorum. Quæ contemplatio iucundissima cùm in omnem æternitatem duratura sit, meritò hic ad breue tempus oculos nostros iis tantùm rebus spectandis occupare debemus, quæ ratio suggesserit; eoque promptius, quòd, vt sanctus Cyprianus annotauit, præter ea, quæ spectatoribus noxia sunt & inutilia, multa esse vtilia, quæ etiam in hac vita cum magna animi voluptate spectari possint. Possumus enim sine noxa oculos conijcere in pulcherrimã totius mundi fabricam, in claritatem, ortum, cursumque Solis, in globum Lunæ, variamque eius speciem & motum, in dierum noctiumque vicissitudines, in incrementa decrementaque temporum, in splendentium astrorum chorum, montibus collibusque, arboribus, floribus, & animantibus ornatam, in fontes & flumina, in maria toto

Lib. de spect.

orbe

orbe sparsa cum suis fluctibus, accessu & recessu, aerem cum nubibus & ventis, ac denique volucrum omnis generis & piscium infinitum exercitum. His Dei operibus, in quibus diuina eius prouidentia, potentia, sapientia, bonitasque mirabiliter elucet, contemplandis homo, vt se ad maiorem Dei notitiam & amorem inflammet, vacare potest. Quòd si verò etiam oculis mentis, quod fit oratione mentali, lustrare velit Dei opera, tum veras delicias & voluptates offendet. Hæc omnia ille.

CAPVT XVII.

Quemadmodum mortificandus sit visus, quoad visiones & apparitiones, ne facilè fides eis præstetur.

SIcut mortificamus intellectum, qui animi oculus est, non fidendo illi in multis, quæ tamen veritati congruentia videntur, vt diximus de mortificatione proprij iudicij; sic mortificare debemus oculos corporis, ne semper illis fidamus. Nam, vt visus non fallatur circa suum obiectum, & ratio dijudicet eum non falli, nonnullæ requirũtur conditiones, cuiusmodi sunt,

sanitas & bona disposítio organi, quies oculorum, medium clarum, vniforme, & non impeditum, distantia ab obiecto visui proportionata, ac denique tempus exercendæ visioni accommodatum. Nam si aliqua harum conditionum desit, facilè errabit oculus, & cum eo, si consentiat, ratio. Vt si organum visus humore aliquo infectum sit, omnia apparent humori similia, vt viridi viridia, rubeo rubea, nigro, omnia muscis plena; sicut si per vitrum varij coloris spectes, omnia vario colore tincta apparent, si bacillum per aquam, ob motum aquæ, apparet curuus vel fractus. Sic si magnum intercedat interuallum res maximæ videntur paruæ, & quæ celerrimè mouentur, videntur fixæ & immobiles, vt liquet de cœlestibus astris, quorum cum quædam longissimè superent magnitudinem terræ, & velocissimè agitentur, tamen speciem præbent tantùm luminis candelæ in cœlo fixæ, nec motæ. Atque hic error visus, omnibus exploratus est & notus. Sunt autem & alij sapientibus tantùm, & exercitatis perspecti, quos opus est detegere, vt visionum spiritalium errata facilius nobis innotescant.

Ete-

Etenim sunt homines nonnulli, qui aut morbi, aut complexionis naturalis vitio valdè sunt melancholici, & ob humores crassos, ac pestilentes in cerebrum subuectos tam vehementes patiuntur imaginationes; vt quod intus cogitant, foris etiam externis oculis sibi videre videantur, siue sint res, ad quas impensè afficiuntur, vt sunt parentes, amici, Sancti quoque, vel angeli, vel homines, quos in precibus inuocare solent, siue sint res, quas horrent, vel detestantur, vt sunt hostes infesti, dæmones, spectra. Sic videmus auaros, pecunijsque addictos, ad minimum nocturnum strepitum vereri, ne fures domum inuaserint, impios & malè conscios ad cuiusuis hominis occursum, metuere ne à iustitiæ ministris rapiantur ad carceres. Hæc non solùm Philosophi, & artis medicæ gnari affirmant, sed experientia ipsa quoque & ratio confirmat. Videmus enim dormientes somniare, quæ imaginantur; ac arbitrari se oculis cernere, quæ somniant, tamen cùm iudicium sopore ligatum sit, apertè hallucinantur. Quòd ergo facit somnus in omnibus, hoc vehemens imaginatio facit in quibusdam non dormientibus, vt nem-

Claud Cœlestin. de his, quæ mirè eueniunt.

nempe iudicium humorum densitate sic constringatur, & obruatur, vt sicut in somno, attendere non queat ad obiecta externa, & tamen cernere videantur, antequam videant. Idque accidit procliuius, in fœminis, & alijs ætate parum prouectis, qui acriori imaginatione facilius in fraudem induci solent, quàm in viris prudentibus, in quibus rarò humores isti noxij dominantur.

Quotquot ergò deprehenduntur prauis istis humoribus obnoxij, vel debilioris cerebri monendi sunt seriò, ne facilè fidem præstent visis angelorum, dæmonum, spirituum, & Sanctorum, sed cogitent perinde ea se obijcere oculis, ac phreneticis, & ardenti febre laborantibus se offerunt miranda, quæ vbi reualuerint, aduertunt nihil omninò fuisse. Si verò adhuc dubitent de visorum veritate, consulãt Patres suos spirituales, vel alios in hac materia exercitatos, eorumque iudicio acquiescant. Nam vt aliquando vera sint, tamen approbanda non sunt, & acceptanda, nisi antegresso examine & sententia illorum.

CA-

CAPVT XVIII.

De mortificando sensu Auditus.

SEnsus Auditus amore proprio nixus, multas secum trahit inordinationes, ac vt omittamus eas, quę grauia & manifesta crimina adiuncta habent, vt cùm audire volumus occultos & infames proximorum lapsus, & sponte aures præbemus cantibus lasciuis, & fœdis, scurrilibusque colloquijs: nam hæ pœnitentiæ & cõfessionis cultello rescindendæ sunt; veniamus ad illas, quæ vti graues non sunt, ita paruifiunt, ac mortificatione opus habẽt, ne progressum in virtute impediant. Cuius generis sunt libenter audire, dicta factaque sua ab alijs prædicari, gaudere item, si aliorum defectus propalentur, idque non alia de causa, quàm quia inde aliquam percipimus voluptatem. Quid verò noxę & damni in ea re sit, alibi diximus, cum ageremus de humilitate.

Inordinatio auditus est recreari narratione rerum vanarum, & curiosarũ, quæ nullum afferunt fructum; deinde ridicularum & superuacanearum, idq; non alio fine, quàm quia aures oblectant. Inordinatio quoque est colloquijs

quijs aliorum clanculum nulla ex cau-
Serm. de abdicat. rerum. sa se ingerere. Vnde Basilius. Noli aures, inquit, porrigere quorumlibet hominum colloquijs, & nugis secularib. sed fuge, quoad potes, ne animam tuã contamines. Sed nec arcanis aliorum sermonibus te temerè ingeras, audias autem libenter vtilia, quæ te ad diuinorum mandatorum obseruationem promouere queant. Et quanquam seruo Dei rerum diuinarum studio addicto, facilè sit cœlestibus his parêre documentis, tamen alijs non ita prouectis perdifficile est. Nam præterquam quod naturæ corruptæ vitio in malum procliues simus, aduersarius noster Satanas non ignorans rerum bonarum auditionem esse laudabilem, & multorum bonorũ fontem, omnem lapidem mouet, vt colloquia pia & sancta fastidiũ, vana verò, & futilia voluptatem concilient.

Lib. 5. c. 31. Hanc hominis miseriam magno sensu confessus est sanctus quidam Abbas apud Cassianum, dicens: *Otiosarum fabularum diabolum esse fautorem, ac spiritalium collationũ impugnatorem.* Idq; confirmat exemplo, quòd sibi acciderat. *Nã quando cùm fratrib. quibusdam de rebus necessarijs, ac spiritualibus disputaret, eosq; videret*

leret lethæo quodã sopore demergi, nec posse ab oculis suis pondus somni depellere, otiosam repente fabulam introduxit. Ad cuius oblectationem cum eos euigilasse confestim, atque erectas suas aures habere vidisset, ingemiscens ait. Nunc vsque de rebus cœlestib. loquebamur, & omnium vestrum oculi letali dormitione deprimebantur, at cum otiosa fabula intromissa est, omnes expergefacti torporem somni dominantis excussimus. Vel ex hoc ergò perpẽdite, quisnam collationis illius spiritalis fuerit impugnator. Hæc ille. Vt verò intelligatur è contrario, quam Deo gratum sit præbere aures spiritalibus colloquijs, idem sanctus à Deo gratiam postulauit, ne vnquam vanis & inutilibus collationibus interesset, ac impetrauit. Nam quocunque deinceps eum venire contigit, semper habiti sunt sermones, de rebus pijs cum diuina voluntate congruentibus, si autem aliquando de vanis haberentur, mox obrepebat ei somnus, vt audire non posset. Quocirca meritò hic diligentissimi esse debemus in repellendis diaboli conatibus, vana & infructuosa colloquia declinare, & à Deo toto pectore donum exposcere tantùm loquendi de rebus necessarijs, & quæ proximum ædificent,

& au-

& audiendi ea, quæ nobis commodo & adiumẽto esse possint. Neque ideò culpandi sunt, qui iusta aliqua de causa vaniora quædam audire coguntur, vel ab hominibus grauibus, & magnæ dignitatis, quos non queunt cohibere, vel ab alijs, quorum opera indigent ad res necessarias vtilesúe procurãdas; nam si finis bonus propositus nobis sit in huiusmodi, noxa quoque omnis abesse potest.

Alia auditus inordinatio est, oblectari cantilenis vanis & leuibus, musicaque harmonia ob solam voluptatem aurium, quæ res non modò otiosa, sed etiam noxia est, nisi suum locum habeat mortificatio. Nam, teste S. Basilio, vocis suauitas gignit in mente cogitationes cupiditatesque lasciuas: quod verissimum est, quando cantiones sunt leues & seculares, ac tales, quæ à fœminis haberi soleant. Quando autem sunt piæ, & ad deuotionem prouocandam idoneæ, aliosque sanctos compunctionis, & in Deum amoris motus, tum cum magna laude audiuntur. Quamuis maioris meriti sit, quando animus noster ad se excitandum tali adiumento non eget, suauitate cantus propter Deum se priuare: Quòd si in melodia musi-

Lib. de vera virgin.

musica, motetisq́; , vt vocant, licet sanctis & religiosis poti⁹ oblectatio, quàm spiritualis profectus, qui ex argumento decantato decerpi potest, quæratur, aut ad audienda illa non rationis iudicio, sed sola inclinatione naturali trahamur, tum inordinatio est in auditu, quæ mortificanda est, aut aures obturando concentui, aut intentionem mutando, vt non iam solus suauitatis & voluptatis sensus, sed vtilitas aliqua præ oculis habeatur. Ita docuit S. Augustinus in Confessionum libris, vbi declarans, quantam vtilitatem afferat in Ecclesia institutum cantādi, & quod ad lachrymas sæpè commotus sit, confiteturse aliquando suauitate concentus potius, quàm rebus cātatis, captum fuisse. *Cùm*, inquit, *mihi accidit, vt me amplius cantus, quàm res, quæ canitur, moueat, pœnaliter me peccasse confiteor, & tunc mallem non audire cantantem. Ecce vbi sum. Flete mecum, & pro me flete, qui aliquid boni vobiscum intus agitis, vnde facta procedunt. Tu autem Domine Deus meus exaudi, respice & vide, & miserere, & sana me.* Lib. 10. c. 32.

CA-

CAPVT XIX.

De mortificatione Odoratus.

IN Odoratus sensu nonnulla quoque inordinatio mortificanda occurrit. Ac primò quidem, si odor suauis in diuinis officijs, & veneratione Sãctorum excitetur, propterea quod significet sanctorum orationes & deuotiones, quæ Deo sunt odor suauissimus; deinde vitam sanctam, & exempla bona, vndę iusti & pij dicuntur bonus odor Christi, non opus est mortificare sensum odoratus, sed mentem attollere ad boni odoris significatum, ardereque desiderio eas preces instituendi, quæ odorem suauissimum subministrent Deo, eamque viuendi rationem tenere, vt bonus odor Christi esse possimus coram hominibus. Rursum quando boni odores vsurpantur in rebus necessarijs, nulla opus habet seruus Dei mortificatione; modò eis vtatur propter necessitatem. Atqui vsurpantur in vestibus, manibus, cubiculis, ad delitias & mera oblectamenta sensuum, illi mortificandi sunt, & remouendi, eò quod debito fine virtutis sint destituti. Accedit, quòd qui eiusmodi odores procurant, aut secum dese-

deferunt, vt ab astantibus eorum percipiatur fragrantia, declarant se animo valdè sensuales, experientiaq; docet, homines lasciuos esse odoribus amœnis addictissimos. Atque esto, sit aliquis opinione aliorum tanta virtute præditus, vt illi suspicioni locus non sit, tamen speciem notamque mali non effugit, nec paruum indicium dat, quòd longè absit ab imitatione crucis, & abnegatione Christi, quæ consistit in repudiandis omnibus commodis, & illecebris corporis, amplectendisque contrariis, quæ pœnam aliquam carni infligant.

Hanc inordinationem odoratus cō- *Lib. 10. confitetur* quoque Augustinus. *De illece-* *fess. c. 32.*
bra, inquiens, *odorum non satago nimis cum absunt, non requiro, cum adsunt, non respuo, paratus etiam eis semper carere.* Quantum autem displiceat DEO studium odorum suauium quærendorum, aliarumque illecebrarum sensualium, narrat Petrus Damianus *Lib. de con-*
Cardinalis, horribile quoddam casti- *temptu sæ-*
gationis diuinæ exemplum. Veneto- *culi c. 9.*
rum Ducis coniunx mirè dedita erat fouendo corpori omnis generis delicijs, ac singillatim cubiculum suum variis, ijsque suauissimis complêrat odo-

odoribus. Supremus verò iudex Deus, vt omnibus declararet, quantum hic excessus diuinæ suæ maiestati displiceret, horribili morbo, qui omnes eius depasceretur, & putrefaceret artus, eam percussit. Vnde factum, vt tam fœdos ac intolerabiles expiraret odores, vteius conspectum amici, famuli, ancillæque omnes defugerent: vnicæ ancillulæ tantum animi fuit, vt auderet in conspectum eius prodire, sed ita tamen, vt curriculo ad eam excurreret, & apud eam deponeret, quod erat adferendum, ac mox iterũ ob nimiam graueolentiam excederet. Sic illa, cui prius tot suppetebant seruitia, ab omnibus turpiter deserta, in sordibus teterrimis animam exhalauit.

CAPVT XX.

De mortificando gustu quoad lautitiem edulium.

MVltæ maximæque inordinationes sunt in sensu gustus, quas necesse est ope mortificationis ad cauenda varia peccata, virtutesque conseruandas, & augendas, in ordinem redigi. Inordinatio gustus est, inbiare cibis lautioribus palatum

oblectantibus. Hæc autem mortificanda est, non curiosè quærendo edulia opipara, magnaq; cocorum arte & labore condita, sed communia, nullaq; singulari arte parata, ac quæ ad vitam hominis sani sustentandam satis sint: infirmis enim lautiora ob necessitatem conueniunt. Debet homo, inquit, B. Basilius, refrænare gustatum cibis lautioribus inhiantem, rationeque ita moderari, vt, non nisi ad vitam necessaria ei subministret, condimenta autem omnia lautiora, quæ sunt vitiorum incentiua, subtrahat. Adiungit huic documento S. Vincentius Ferrerius seruum Dei ex ferculis mensæ appositis libentius vti debere minus lautis, & in quæ praua naturæ inclinatione minus fertur.

Lib de vera virgin.

De vita spir. c. 3.

Quæret aliquis, cùm omnes cibi sint creaturæ Dei, & bonæ, ac in hominis ministerium ordinatæ, cur non omnes æquè expeti possint? Respondeo: Deum ipsum, qui creauit pisces, aues, aliaque animantia in hominis vsum & victum, simul tuliſſe legem de temperantia, vt nempe vnusquisque conuenienter suæ dispositioni his cibis vteretur, nempe sanus vt sanus, æger vt æger, imbecillis vt imbecillis, hoc est, quisque quatenus

tenus necessitas postulârit. Deinde, quia homo in peccatum lapsus est, & affectiones habet inordinatas, idem Deus aliam legem tulit Pœnitentiæ & Mortificationis, qua cautum est, vt quoniam homo peccando sectatus est oblectationem vetitam, & illicitam, per satisfactionem quoque licitis quibusdam oblectamentis se priuet, & frænum effrænatis passionibus injiciat. Itaque licet omnes creaturæ sint bonæ, & in vsum hominis conditæ, tamen vsus earum potest esse prauus, vel minus bonus, eò quod non congruat cum dictis Dei legibus. Hæc responsio est D. Augustini, dum ait: *Ne homo fame moreretur omnia ad esum Deus creauit: sed ne mensuram comedendi excederet, abstinentiam imperauit. Quapropter sicut ager ad medicinam, sic ad sumenda dapes debet quisque accedere, nequaquam videlicet illis voluptatem appetens, sed necessitati succurrens.* Idem exemplo suo docuere omnes sancti. Omitto illos, qui in solitudine solis herbis victitârunt, fructibusque syluestribus. Taceo eos, qui in cœnobijs pane, alijsque vilioribus escis & insipidis vitam tolerârunt, qua in re non dubium est eos Deo placuisse, cùm Dominus ipse, testibus Euangeli-

Tom. 9. de conflictu vitior. c. 18.

geliſtis, laudauerit Ioannem Baptiſtam ob hanc victus ſeueritatem, dum veſceretur aridis locuſtis & melle ſylueſtri: imò non ſine magnis miraculis multis ſanctis, cum nullo ſtudio habere poſſent, huiuſmodi cibos ſubminiſtrauit. Verùm prætermiſſis illis, quos non omnes imitari queunt, videamus quanta vinctus tenuitate vſi ſint cæteri ſancti, etiam Epiſcopi & Prælati aliorum.

Sanctus Auguſtinus ferè abſtinebat ab eſu carnium, aliiſque ciborum lautitijs, & veſcebatur herbis ac leguminibus, in quibus exiguum erat oblectamentum guſtus: conuiuia quoque declinabat, ne conſuetam violaret abſtinentiam. *Poſſid. in vita eius c. 22. & 27.*

Sanctus Godfridus Ambianenſis Epiſcopus, etſi pro immenſa ſua charitate, qua flagrabat, nihil deeſſe ſuis ſubditis, quoad victum neceſſarium ſinebat, tamen ipſe ſolo pane, paucisq; herbis & fructibus vitam tolerabat. Cumque cocus neſcio quid herbis miſcuiſſet, eum accerſitum coarguit, dicens: An ignoras tu miſeram carnem ſubigi non poſſe, niſi tormento ieiunij? cur mihi appoſuiſti cibum tanta arte paratum? Vide, ne deinceps in hoc ge- *Nicol. monachus in eius vita.*

nere delinquas, & me ad iracundiam prouoces.

Metaphr. in eius vita. S. Chrysostomus quoque post susceptum Archiepiscopatū carnium, aliorumq; eduliorum sapidorum esu abstinuit, solo contentus ad vitam sustentandam pulmento hordeaceo.

Bern. Iust in. in eius vita. Beat. Laurentius Iustinianus, etsi in adolescentia sua, vt erat prænobilior tus prosapia, multis assueuisset mundi delitijs, tamen ad Venetum Patriarchatum euectus, vulgari tantùm mensa vsus est, edulijsque palato suo insipidis. Vnde si errore aliquo quandoque esculenta poculentaúe ad gustum acerbiora appositа essent, vt pro vino acetum, neminem arguebat, sed silentio dissimulabat.

Surius in Decemb. S. Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, & martyr Christi gloriosus, quamuis, antequam diuinitus esset illustratus, multis lautitijs à parentibus genere nobilibus & copiosis fuisset enutritus, tamen postquam persecutione regia pro iustitiæ defensione exagitari cœpit, admirandam vitæ mutationem iniit. Nam, teste Eduardo, præcipuo vitæ eius scriptore, qui antè vtebatur mensa opiparè instructa, magnosq; Dominos, atque adeò ipsum quoque An-

Anglorum Regem, habebat conuiuas, leguminibus alijsque viliſſimis cibis, pauperibus ad menſam adhibitis, veſci voluit. Hæc temperantia ab omnibus ſanctis ad mortificandum guſtum fuit exercitata: Licet enim præcipuum ſtudium poſuerint in colendis perfectionibus virtutibus, vt charitate & religione in Deum, tamen dictam abſtinentiam non neglexêre, quòd ſcirent eam quoque gratam Deo, & ſalutarem animæ ſuæ.

Hæc verò doctrina tam rationi conſentanea eſt, vt ne Gentiles quidem, in quibus rationis lumen non omninò fuit obſcuratũ, ignorârint dictas temperantiæ leges eſſe obſeruandas. Inter Græcos virtutum cultu cæteris præluxêre Lacedæmonij olim, & filijs Iſrael 7. arctiſſimo amicitiæ fœdere copulati. Cùm enim, vt commemorat Maximus Tyrius Philoſophus, aliquando in eorum prouinciam veniſſet rei culinariæ peritiſſimus, Mithecus Syracuſanus, qui ob exquiſitiſſimam apparãdorum ciborum rationem magnum nomen in cæteris Græciæ partibus voluptati & delitijs plus æquò addictis collegerat, Lacedæmonij gnari lautitiem iſtam capitalem bonorum morũ eſſe peſtem, *lib. in ſerm.*

auctoritate publica Magistratus, solum vertere eum iusserunt rati labore potius, & exercitatione assidua corporis, quàm suauibus esculentorum condimentis, esse acuendum appetitum. Quòd nonnulli gentiles agnoscere, & exercere natura duce cœperunt, illud magni Dei serui in omnibus mundi partibus, opitulante Christi gratia, perfectè complêrunt.

Neque ideò arcemus homines veræ virtutis studiosos à mensis lautioribus omnibus, quando vel necessitas, vel obedientia maioribus debita id exigit, vt ne conuiuia omnia repudiemus: nam & charitas sæpè persuadet, vt de consueta seueritate aliquid remittamus, ad solandos & recreandos hospites, aliosque quorum conuersatio nobis proficua est. Id tantùm dico, dum respectus hi absunt, nos, quantum in nobis est, debere fugere istas lautitias ad mortificandum gustatum, imitandumq; Christum crucifixum, qui propter nos felle & aceto potatus est.

* * *

CA-

CAPVT XXI.

De mortificatione gustus in cibi quantitate.

ALia inordinatio gustus est, tantùm cibi capere, quantum postulat appetitus, nec antè edendi finem facere, quàm ille sit exsaturatus. Hoc enim vitium gulæ est. Vnde B. Basilius ait: Non satis esse debet seruo Dei abstinere se à cibis lautioribus, & exquisitis, si aliis vilioribus nihilominus vult appetitum explere: nam & in his sumendis moderatio tenenda est, legibus temperantiæ præscripta, cæteroquin æquè læsurus animam, ac si noxijs vsus fuisset. Sic Basilius. Quanquam in hac re certa & fixa mensura externa adsignari nequeat: quod enim vni parum, alteri satis est, & vbi vnus peccat vitio gulæ, ibi alter nimia se macerat abstinentia: tamen omnibus proponi potest vna mensura spiritalis, & regula rationis, nimirum hæc, vt quisque tantùm sumat cibi, quantum ad vitam conseruandam, viresque corporis, pro ratione status & officij, quod exercet, confirmandas, necessarium videtur. Huic verò necessitati, vt faciat satis, non de-

Lib. de vera virginit.

bet spectare, quantum requirat appetitus, constat enim in hominibus sanis appetitum plus, quàm necessarium sit, desiderare, & experientia quotidiana docet, eos qui famem omninò explêrunt, remotis mensis, sentire stomachum plus æquò oneratum, & ad consueta exercitia esse inhabiles. Contrà verò, qui cum aliqua fame, & appetitu plus comedendi à mensa recedunt, deprehendunt se appetitui feciſse satis, nec vllam famem sentiunt; quòd argumentum est cupiditatem illam priorem plus sumendi non fuisse necessitatis, sed vitij gulæ. Vnde Sanctus Dorotheus agens de hac materia. Cibus, inquit, sine mensura sumptus multorũ malorum fons est; quia vitium gulæ incurrit, non modò quando supra necessitatem aliquid lautiorum ciborum sumitur, sed etiam quando tantum sumitur, vt venter expleatur, & satietur.

Serm. 18.

Idem serm. 9 S. Vincen. de vita spir. c. 30.

Vt verò certius cognoscatur, quantum cibi cuiq; ad vires corporis sustendandas satis sit, hanc regulam Sancti præscribunt. Vt quisque experientia magistra discat & obseruet, quanta cibi copia soleat grauari stomachus: ac deinde paulatim de illa copia detrahat, donec

donec nullam molestiam in digestione sentiat. Contrà quoque notet; quanta cibi tenuitas & abstinentia eum ita languidum & imbecillem relinquat, vt officio suo, quod sustinet, pro ratione status, quem profitetur, ægrè perfungi queat: ac tunc paulatim tantùm de commeatu augeat, donec sentiat integras permanere vires ad omnes functiones consuetas exercendas. Quàm ergò quis quantitatem cibi sufficere re ipsa cognôrit, eam ordinariè vsurpare pergat.

Si verò homo anceps hæreat, quanta cibi copia necessaria sit, potius inclinationi naturali repugnet, quàm faueat, eò quod appetitus, vt dicitur, sit nequam, & colore necessitatis decipiat. Qua de re sic Beatus Augustinus. *Hoc me docuisti,* inquit, *vt quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indigentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ: ipse enim transitus voluptas est, & non est alius quo transeatur, quàm quo transire cogit necessitas. Et cum salus sit causa edendi, & bibendi, adiungit se, tanquam pedissequa periculosa iucunditas, & plerumque præire conatur, vt eius causa fiat, quod salutis causæ me facere, vel dico, vel* Lib. 10. confess. c. 31.

volo, nec idem motus viriusq; est. Namq; saluti satis est, delectationi parum est. Et sæpè incertum sit, vtrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptatis cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Hæc ille.

Cæterùm etiamsi quis nonnihil excedat in alteram partem, minus tamen semper periculi est, quotiescũque non est in cibis lautities: & idcircò Sanctus Vincentius rectè monet, neminem reformidare debere tantùm panis manducare, quantum satis est, & necessitas naturalis postulat, modò postea adorandum vel legendum, cum opus est, non sit ineptus. Sancti quoque hortantur ad vtramque corporis & animi sanitatem tuendam optimum consilium esse vniformem temperantiæ rationem, tum in cibo sumendo, tum in ieiunio exercendo tenere, & non nunc in seueritate abstinentiæ, nunc in explenda cibi cupiditate limites excedere. Ita docuit quidam vir sanctus apud Sozomenum. Abstinentia, inquiens, moderata & continuata, modum & limites rationis non excedens, operibus charitatis coniuncta breui hominem prouehit ad perfectionem, & statum ab omni perturbatione affectio-

Loco cit.

Trip. l. 8. c. 1.

num immunem. Atque hæc communis fuit sanctorum sententia, ac valdè salutaris, vtpote qua multa incommoda, damnaque spiritalia cauentur, quæ solent ex nimia vitæ austeritate consequi, vt benè expendit Cassianus, dicens: *Melior est rationabilis, cum moderatione quotidiana refectio, quàm per interualla arduum longumque ieiunium. Nouit immoderata inedia non modò mentis labefactare constantiam, sed etiam orationum efficaciam reddere lassitudine corporis eneruatam.* Lib. 5. c. 9.

Ac Deus tanto zelo ardet, vt serui sui moderationem certam sequantur in capessendo cibo, vt quoties modum præuaricati fuerint, aliqua pœna corporali puniat, vt morbo, dolore capitis, vel alio defectu, quo minus officio suo rectè fungi possint: nec enim omnes peccatorum pœnas in alterum seculum reseruare voluit, sed aliquas hic permittere, & immittere, vt experientia mali nos ipsi prudentiores efficeremur. Certè in historijs legimus, multos miserabiles & calamitosos casus ex cibi incontinentia secutos. Attila Hunnorum rex, cùm aliquando ad saturitatem cœnasset, à cœna tantam vim sanguinis per nares effudit, vt subitò, ne- *Fulgos lib. 9. c. 12.*

mine animaduertente, suffocatus sit. Similes casus quotidiani sunt, & licet homines existiment esse fortuitos, tamen potius credendum est, diuinæ iustitiæ peccata nostra vindicantis esse effectus, vt temperantiæ leges deinceps sedulò custodiamus.

CAPVT XXII.

De mortificando gustatu, ratione finis in cibis sumendis proposiii.

QVamuis arduum, magnæq; virtutis sit, gustandi sensum coercere circa ciborum qualitatem, quantitatemq;, de qua hactenus egimus: tamen difficilius, laudabiliusq; est eundem mortificare quoad finem, qui in sumendo cibo nobis debet esse propositus. Quidam nullum alium finem sibi præstitutũ habent, quàm molestiam famis depellere, qui virtutis finis nõ est. Alij ipsam ciborum delectationem, & hic finis vitiosus est. Nam auctor naturæ Deus non comestionem direxit ad delectationem, sed contrà delectationem ciborum ad comestionem. Alij cum dicto fine, volunt videri potentes & magnifici, & idcircò mensas varijs, pretiosisque dapibus instruunt, qui

fini

finis omninò vanus est & pernitiosus. Has oēs appetit⁹ inordinationes debet seruus Dei mortificare, proponendo finem aliquem honestum, vt quod Deus velit nos cibum sumere, vitæ conseruandæ, viriumque roborandarum causa, quò rectiùs cultui diuino, alijsque muneribus præstandis deinceps vacemus. Finis quoque virtuti affinis est, comedere ad succurrendum necessitati naturali, in quam Deus nos immisit. Sanctus Basilius scribit vitium gulæ non tam se prodere in eduliorum copia, quàm in eorum, licèt perpauca sint, lautitia & delitiis. Ac declarans, quis finis comedenti præfixus esse debeat. In manducando, vel non manducando, inquit, non consistit virtus, sed in intentione, quam in vsu ciborum vsurpamus. nam exercitia corporalia, cùm ex se adiaphora sint, nec bona, nec mala, appositione finis boni vel mali in virtutum ordinem transeunt vel vitiorum. Sic ille. S. Augustinus certè cœlitus se edoctum fatetur, ad alimenta accedendum, sicut ad medicamenta, quę non ad voluptatem, sed ad remedium infirmitatis sumuntur.

Li. de abdic. & de verâ virg.

Lib. 10 conf. c. 13.

Verùm quia contingit, vt seruus

Dei quidem ad mensam accedat, tanquam ad medicinam sumendam, postea tamen ciborum suauitate pellectus in transuersum se rapi sinat, monet beatus Gregorius: *Sciendum*, inquiens, *est, quia sic voluptas sub necessitate se palliat, vt vix eam perfectus quisque decernat. Nam solui debitum necessitas petit, voluptas explere desiderium suppetit, & tantò gula securius in præceps rapit, quantò sub honesto nomine necessitatis explendæ se contegit. Sæpè autem in ipsa edendi via furtiuè admixta voluptas subsequitur: nonnunquam impudenter libera etiam præire conatur. Facilè autem est deprehendere cùm voluptas eius necessitatem præuenit, sed valdè est difficilè discernere, cùm in ipso esu necessario se occulta subiungit.* Li. 2. mor. c30.8

Et S. Augustinus palam fatetur, se postquam cultui diuino se dedidit, aliquoties hac tentatione in fraudem inductum. *Cùm salus*, inquit, *sit causa edendi & bibendi, adiungit se tanquam pedissequa periculosa iucunditas, & plerumque præire conatur, vt eius causa fiat, quod salutis causa me facere, vel dico, vel volo.* Loco cit.

Hinc sequitur ad mortificandum gustus appetitum, non satis esse, vt initio bonus finis seruo Dei manducaturo sit propositus, sed opus habere vigilantia, ne ciborum illecebra à scopo

po suo distrahatur. Neque id eò dicimus, vt velimus nullam debere esse in cibo oblectationem, nam cum cibo semper coniuncta naturaliter est aliqua voluptas; sed id tantùm contendimus, non esse oblectationem in cibo quærendam tanquam finem, sed amplectendam tantùm quatenus seruit necessitati. Quanquam seruus Dei laudatissimè faciet, si toto pectore desideret, si possibile foret, omnem delectationem abesse à cibo: quo enim syncerius id desiderauerit, hoc longius à vitio gulæ recesserit.

Alia inordinatio gustus est: quò auidius inhiare cibis, quę mortificanda est, vt superiores, adhibita moderatione huiusmodi: vt nemo, licèt inedia vrgeatur & fame, sinat sibi imperari ab illa, alioquin magno desiderio & celeritate inuolabit in edulia; sed frenum sibi inijciat, & paulatim in sumendo cibo pergat, ac si nulla fame magna stimularetur. Dicit enim S. Augustinus: in eo maximè hominis virtutem probari, quod dum oportet & conuenit, potest animo sereno & tranquillo famem tolerare. Diuina quoque Scriptura idem documentũ tradit: *Noli auidꝰ esse*, inquit, *in omni epulatione, & non te effundas super omnem*

Quæst Euang. 11.

Eccl. 34.

omnem escam. Ex multis enim escis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vsque ad eleram. propter cras. am multi obierunt, qui autem abstinens est, adijciet vitam.

Hæ sunt præcipuè sensus gustus inordinationes à nobis mortificandæ, ac sanè diligentissimi esse debeemus in cohibendo hoc appetitu, cùm quotquot Deo seruire volunt, primum certamen inire debeant cum gula, ac temperantiæ freno eam rationi subijcere. In quo certamine si quis victoriam non referat, ægrè referet in cæterorum vitiorum & perturbationum conflictu, quemadmodum benè animaduertit Cassianus: *Impossibile est*, inquiens, *saturum ventrem pugnas interioris hominis experiri, nec bellis robustioribus attentari dignum est eum, qui potest deijci leuiore conflictu. Prima ergò nobis calcanda est gulæ concupiscentia, & eousque extenuanda mens nō solùm iejunijs, verùm etiā vigilijs, lectione quoque & crebra cōpunctione cordis &c. donec ipsius cibi refectionē non tam iucunditati concessam, quàm oneris vice sibi impositam recognoscat.* Lib. 5. ca. 13. & 14.

Hæc Cassianus ex communi sanctorum Patrum sententia recitat. Vnde colligimus, quàm necessaria sit mortificatio appetitus ciborum; nam si hunc non compresserimus, haud facilè subiu-

ga-

gamus nobis alias affectiones & tentationes magis occultas, nec castitatis, patientiæ, puritatis cordis virtutes consequemur.

Certè qui ab hoc appetitu se vinci patitur, seruusque gulæ efficitur, ferè etiam seruituti luxuriæ, aliorumque scelerum, quæ ex illa ceu fonte oriuntur, subijcitur. Necessarium est, inquit S. Basilius, vt ventre cibis oppleto cætera quoque membra prauis compleantur humoribus luxuriæ famulantibus, hominemque ad fœdissima quæque extimulantibus, quare prima pugna in gustum facienda, vt eo per temperantiam expugnato, omnium prauarum voluptatum fontes exarescant. Hæc autem necessitas contra gustum dimicandi, hoc maior existit, vt, si finat se ab eo turpiter superari, nulla spes reliqua sit alia vitia vel impugnandi, vel expugnandi, aut certè difficillima, quemadmodum experientia ipsa idem sanctus se didicisse alibi confirmat: Si gulæ, inquiens, vitium in corde tuo dominatum fuerit, syluam quandam sordium in sensibus tuis disseminabit, animamque tuam in ferarum domicilium conuertet: experientia enim cognoui in multis, qui in alia pec-

De ver. virg.

De abdic.

peccata lapsi essent, resipuisse; nullum verò vidi ad saniorem mentem redisse, qui vitio gulæ se dedidisset, aut fercto aut alieno tempore, aut loco parum congruenti voluptatem ex sumptione cibi sumendo: imò quotquot tales nouí, tandem à seruorum Dei cœtu, in quo erant, turpiter se separârunt, & vinculo societatis tam sanctæ rupto in scelerum omnium voraginem præcipites egerunt. Quòd si quidam remanserunt, tamen, licèt inter seruos Dei abdita, mancipia diaboli facti sunt, obstrepunt, clamosi, curiosi, queruli, commodorum appetentes, vitæ honestæ inimici, ac omnique habitu quidem externo quasi serui Dei, sed verè filij perditionis, Hæc Basilius.

CAPVT XXIII.

Quibus medijs mortificanda sit inordinatio gustus.

MEdia, quibus seruus Dei uti debet ad mortificandum sensum gustus hæc sunt. Vtrum mensam adit cibum sumpturus, cor ad Deum attollat, imbecillitatem suam coram Domino fateatur, ex animo dicens: Domine in me virtus nulla est vincendi immoderationem gustus,

largire mihi illam, vt sensum illũ vincere, tuęque voluntati subijcere possim. Tum considerando se opus habere cibo ad vitam sustentandam, & Deo seruiendũ, illumq; finẽ cibo Deum pręstituisse, vt voluntatem inclinet ad appetendũ cibũ ob hunc finem, vel alium honestũ, & sanctum, & non propter alium Deinde toto mensæ tempore mentẽ occupet in pia aliqua contemplatione, semper imperando sibi, & mentem crebrò ad Deum attollendo.

Aliud medium est, non satisfacere vsquequaque appetitui, subministrando illi, quæcunque voluerit, sed relinquendo potius cum aliquantula fame, legemque tenendo, quam dedimus de ciborum quantitate, ac discretione, de qua dicemus. Hoc medio fatetur S. Augustinus, se cupiditatem gulæ refrænasse, partem nempè aliquam ei adimendo, quam affectabat. *Li. 10. conf. c. 30.* Palladius scribit de S. Isidoro sacerdote, eum nunquam saturum è mensa surrexisse, & tamen tantum cibi sumpsisse, quantum ad vitam & sanitatem sartam tectam tenendam sufficeret, nec singularem aliquam abstinentiam in eo obseruatam. *In hist. Laus.*

Aliud medium mirabile ad expugnãdum appetitum est, semper, vel certè fæ-

sæpenumerò propter Christum, partem aliqua cibi lautiore se priuare, etiamsi exigua sit: ac si liberè potest eam alteri elargiri, relinquere eam Christo in pauperibus S. Vincentius hoc documentum dum tradit. Si, inquit, Dominus voluntatem efficacē dederit abstinendi à parte aliqua ciborum, qua maximè oblectabare, mirabilem certè abstinentiam facies, Deo pergratam, & hominibus incognitam. Quo enim abstinentia vel mortificatio nostra ab oculis hominum remotior est, hoc præstantior est, nam & exercetur magis humilitas, & vanæ gloriæ periculum euitatur, ac meritum augetur. cùm enim alijs mensæ assidentibus non videatur ieiunare, tamen actū exercet maioris meriti, quàm si re vera ieiunaret, & ideò vocatur mirabilis abstinentia. Hoc medium sæpè à sanctis vsurpatum est, eiusque beneficio perfectam victoriam contra gulæ vitium retulerunt: S. Saba Abbas, licèt conuersionis suæ initio magnum studium poneret in acquirendis virtutibus omnibus, mortificandisque inordinatis cupiditatibus, præcipuam tamen posuit in refrenanda gula. Cùm aliquando hortum ingressus pulcherrimum pomum vidisset, manuque, cupiditate vi-

In vita spir. c. 3.

victus apprehendisset, mox colligens se, aduertit tentationem esse dæmonis ad edendum instigantis extra tempus & necessitatem: itaque in terram abiecit, & apud animum suum constituit nihil ex eo degustare. Qua mortificatione sui tantam à Deo nactus est gratiam, vt deinceps summus fuerit cultor abstinentiæ.

Sanctus VVolstanus Episcopus die quodam post sacrum Missæ peractum deliteſcens in loco abdito odorem carnis, quæ pro ipso assabatur, perceperat: & quoniam cogitatio inde menti obortа, ad eam comedendam appetitum illiciens, non sinebat eum orationi attentius vacare, proposuit nihil neque tunc, neque in posterum vitæ tempus de carne delibare, sicut & fecit. Quo medio mirificè adiutus est, non solum ad sanctissimam vitam ducendam, sed etiam felicissimam mortem, multis miraculis illustrem obeundam. Certè Deus, vt animaret seruos suos ad hoc mortificationis genus amplectendum, voluit illud nonnunquam honorari miraculis. *Sur. in Ianu.*

Sanctus Rupertus Abbas cùm totam Quadragesimam solo pane & aqua contentus transegisset, sub Paschæ festum de- *Sur. in Ianu.*

desiderio teneri cœpit vescendi panis
uenaceo, sed cum eo ad mensam allatus
vir Dei animaduerteret se pauxillum
concupiscentiæ indulsisse, vehemens
expauit, & rigidus in seipsum vindex
gustare inde noluit, sed pauperibus
monasterij fores dari iussit. Erat ibi tum
iuuenis quidam splendida facie, qui
vna cum scutella accepit, & mox eua-
nuit, ita tamen, vt loquentibus illis de
scutella ablata, subitò ea in mensam de-
ciderit. Erat enim angelus Domini de
cœlo missus, qui eleemosynam viri Dei
acceperat.

Hoc medium tam gratum Deo
maximè vsurpandum est ab ijs qui
plus æquò, postquam seruitio diuino
se addixerunt, cupiditati comedendi
satisfecerunt, vt hoc exercitio paula-
tim ad mediocritatem temperantiæ
consentaneum reducantur: quod facilè
fiet, si aliquot diebus pauxillum illud
de victu consueto subtrahant, ac rur-
sum postquam illud amplius mole-
stum non fuerit, paulò plus adimant,
donec non plus sumatur, quàm ad sus-
tentationem vitæ opus videatur. Id
sanctus Dorotheus fecit cum suo disci-
pulo, nomine Dositheo, qui fuerat viri

In eius vita.

pri-

primarij filius, lautè educatus, & miles, ac ex sæculi milite factus miles Christi & religionis. Huius instruendi curam susceperat sanctus Dorotheus, & cùm eum in omnium virtutum, frangendarumque animi cupiditatum campo exercere vellet, initium fecit à vitio gulæ, ac primùm quidem potestatem illi fecit, comedendi quantum vellet, deinde verò paululum illi de consueta portione ademit, hoc est, duodecim partibus vnam, & rogabat, num sentiret famem: cumque ille respondisset se exiguam sentire, iussit eũ aliquot dies cum eadem portione continuare, donec fateretur nullam se amplius famem experiri. Dein cœpit ex duodecim partibus statæ portionis subtrahere binas, donec ad moderationem ventum est legibus temperantiæ consentientem. Ad hoc medium reuocandum est & illud: vt qui semel cibum sumpserit iuxta temperantiæ leges: non repetat cibum extra tempus, licet exiguum; nam, vt notauit S. Basilius extra stata tempora comedere manifestæ gulæ indicium est.

Monet quoque S. Vincentius Ferrerius, dum mensæ accumbitur, cætera quoque corporis membra esse mortifican- *Loco citato.*

ficanda, modestè ea componendo, nempè, vt non brachijs, sed manibus tantùm mensæ incumbatur, ne pes alter alteri imponatur, ne oculi in comedentes curiosè conijciantur, ne æquò festinantiùs cibus sumatur, ne diu hæreatur in mensa, vt modestia denique ea vrgetur, quæ animæ quieti & sanitati respondeat.

Aliud medium ad cohibendum gustus appetitum est, ante cibi sumptionem sedulò perpendere, quàm multis cibus necessarius desit, & primum, quàm multi nunc ardeant in flammis inferni minoris noxæ rei, quàm ipse, vt sunt innumeri infidelium liberi in ætate tenera defuncti, qui fidei lumine destituti ob pauca lethalia peccata, postquam ratione vti cœpêre, contra legem naturalem commissa incomparabili fame & sitis cruciatu torquentur. Deinde expendat, quàm multa sint mendicipia in mundo, quot mendici & inopes quibus ne quidem panis ad vescendum suppetit, & tamen fortè Deo sunt cariores, quàm ipse. Hæc consideratio dici nó potest quantùm valeat ad refrænandum appetitum. Cùm Dario Regi inimicos fugienti, magnaque siti laboranti aqua non suppeteret, milites eius aliquan-

quantulum putridæ aquæ, & occisorum sanguine tinctæ obtulêre, tum ille, cui prius exquisitissima vina fastidiebant, confessus est nullum præstantiorem vnquam potum sibi porrectum esse. Vt ergò inopia cibi vel potus facit, vt etiam vilissimus cibus videatur pretiosus, sic viua consideratio inopiæ alienæ facit, vt modicus cibus apparere possit sapidissimus.

Hæc media omnia, si diuina fauente gratia, seruus Dei vsurpare incipiat, & propter Deum, sensus illecebris vltrò se priuare; nihil dubitandum est, clementissimum Dominum tantum solatij gustusque spiritualis illi in precibus refusurum, alijsque bonorum operum exercitijs, vt magnam quoque in hoc genere mortificationis experturus sit facilitatem, & porrò in eodem sit studio magnos progressus facturus, ac denique omnes consolationes spirituales, vti verè præferendæ sunt, omnibus carnalibus oblectationibus antelaturus, donec ad ineffabilia vitæ æternæ gaudia perueniamus. *S. Vincent. l. cit.*

CAPVT XXIV.

De mortificando gustu in potu, & maximè vini.

NOn tantùm gustatus in cibo, verùm etiam in potu sumendo moderandus & mortificandus est. Inordinatio siquidem gustus est, in potu voluptatem quærere, vnde & sequitur in potu excessus: deinde inordinatio est superuacanea cura & curiositas, vt aqua, verbi causa, quæ potanda est, sit optima & frigidula, & vinum notæ optimæ. Seruus autem Dei mortificandi sui studiosus non plus debet bibere, quàm necessitas postulet: & si quando in sitim incidat, quæ tamen bibendi necessitatem non inducat, vt fit cùm sitienti potus obest, debet quoque mortificare se, perferendo sitim, eamque offerendo in sacrificium Christo Domino nostro, iungendum acerbissimæ siti, quam ipse pro nobis in cruce sustinuit. Deinde in potu quærere non debet voluptatem, sed tantùm necessitatem vitæ sustentandæ, & roborandarum corporis virium. Quem finem honestum, vel alium, si animo infixum habuerit delicatiora & pretiosiora vina facilè de-

cli-

clinabit. Enimuerò res seruo Dei professionem crucis Christi deportandæ facienti, & crucifigenti carnem cum suis concupiscentijs indigna est, in potu quærere oblectamentum: imò iustum & sanctum est optare, si fieri posset, sine vllo sensu gustus, ad fugiendum istas delitias, naturali necessitati facere satis, vt hoc magis assimilemur Christo ab omnibus voluptatibus terrenis alienissimo, & sanctis omnibus, qui tam longè aberant à studio venandæ alicuius voluptatis in potu, vt data opera varios modos excogitârint esculentis poculentisque adimendi omnem delectationem.

In vsu certè vini sic mortificanda est à seruo Dei bibendi cupiditas, vt bibat multa aqua temperatum, hoc est, vt sanctus Vincentius loquitur, quod vini vigorem amiserit. Eius rei multa salutaria documenta Spiritus sanctus reliquit in diuinis scripturis. *Exultatio animæ*, inquit Ecclesiasticus, *& cordis vinum moderatè potatum, sanitas est animæ & corpori sobrius potus. Vinum multum potatum irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multum potatum.* Quamuis verò licitus sit vsus vini moderatus, tamen si homo abstinere eo

In vita spirit. c. 3. Eccl. c. 13

eo posset citra sanitatis & virium necessariarum iacturam, excellentissimam mortificationem, magnique meriti, ac Deo gratissimam exerceret, si in totum vino abstineret, solaque aqua naturali contentus foret. Vnde sanctus Cyrillus Catech. 4. Fideles, inquit, abstinent ab esu carnium potusque vini, non quòd abhorreant ab istis creaturis, sed quod propter Deum se illis priuando, existiment se præmio afficiendos in cœlo, ac pro contemptu vilium ciborum temporalium, cœlestibus & spiritualibus ciborum æternorum lautitijs fruituros.

Accedit quòd abstinentia à vino speciatim iuuet ad conseruandam, augendamque castitatem & mansuetudinem, atque etiam vt à multis animi & corporis periculis liberi & immunes simus. Ita affirmat Sapiens à Spiritu sancto illustratus. Eccl. 2. *Cogitaui*, inquiens, *in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam, deuitaremque stultitiam.* Vbi sapientiæ nomine intelligit notitiam amoris in Deum plenam, quæ numeratur inter principalia Spiritus sancti dona, & complectitur in se virtutes omnes, ac Dei amorem. Per stultitiam autem intelligit vitia & peccata maximè

car-

carnalia. In quæ verba Robertus Holcot scribit, abstinentiam à vino disponere ad sapientiam, quam Deus infundit.

Valet quoque plurimum hæc abstinentia ad domandum appetitum gustꝰ, rationique subijciendum. vehemens enim eius est procliuitas ad haustum palato iucundum & suauem, singillatim exquisiti vini. itaque si illam quis expugnârit, sic debilitabit appetitus potentiam, vt facilè in alijs cupiditatibus oppugnandis reportet victoriam. Ita docet B. Prosper Aquitanicus, *vino vti nullus*, inquit, *dixerit esse peccatum. Sed hoc idcò non debemus carni desideranti præstare necùm illi licita concedere cœperimus, poscat illicita, & obsequentes in minimis in flagitia punienda compellat*. Pro hac doctrina Spiritus sanctus in sacris litteris illustria reliquit testimonia & exempla, quibus declarat, quamuis temperatus vsus vini sit licitus, melius tamen esse, si bono fine & cum discretione fiat, ab eo abstinere: hoc est, Deo esse gratius, & ad animæ salutem vtilius. Vnde mandauit Deus in veteri lege Sacerdotibus, vt quo tempore cultui diuino in tabernaculo vacarent, à vino, alioque simili potu abstinerent,

Lib. 2. de vita cont. c. 25.

Leu. 10. Num. 6.

vt aptiores essent ad docendum & legē diuinam præstādam. Rechabitas quoq; per Ieremiā laudat Spiritus S. quòd ob præceptū patris sui Ionadab vinum bibere nollent; eoque exemplo pudefacit Iudæos nolentes parere præcepto Dei. Laudat & Danielem, eiusque socios, quòd vino abstinuerint, epulisque lautioribus, contenti aqua sola. vnde factū est, vt & Daniel Deo gratior esset, & visionum cœlestium dono dignus redditus; socij verò eius illæsi ab igne, in quem à Rege impio coniecti erant, permanerent.

Ierem 35.

Dan. 1. & 10.

Luc. 1. Gabriel archangelus dùm annunciat sanct. Ioannis Baptistæ ortum Zachariæ eius patri, inter signa admirandæ sanctitatis eius ponit, quòd à vino & sicera sit abstenturus. In quem locum Eusebius Emissenus, scribens ait: Deum voluisse ea re indicare abstinentiæ meritum, arduumque militiæ spiritualis iter. Sanctus Timotheus beati Pauli discipulus quamuis Episcopus, & laboribus gubernationis prædicationisque diuini verbi admodum districtus, dum sanus esset, vinum non bibebat, sed aquam. Qua in virtute, vt in cæteris omnibus, creditur diui Pauli exemplum secutus. Nec, licèt infirmus, consue-

1. Tim. 5.

suetudinem illam mutauit, donec à Paulo admonitus est, vt modicum saltem vini ob frequentes infirmitates biberet. Quia admonitione non obscurè indicat laudabilem esse à vino abstinentiam, nisi infirmitas cogat aliquid vini sumere loco medicinæ, nempè ad recuperandam valetudinem. Ita affirmat beatus Prosper, *Nihil*, inquiens, *contra abstinentiam faciunt, qui vinum tantùm pro corporis salute percipiunt: nec hoc offert voluntas, sed permittit infirmitas Quæ si defuerit, à vino est abstinendum, ne vini perceptio quæ infirmum sustentat, sanum corpus incendat.* Sic ille. Quod Prosper dicit de infirmitate, hoc de quauis alia imbecillitate & defectu intelligi potest, quę moderato vini vsu emendari possit, ad prestanda officia & ministeria cuiusque statui congruentia, sed si nulla interueniat necessitas, laudabilior est abstinentia ab omni vino, quam Sanctorum vitæ & Ecclesiæ vsus confirmant. *Loco cit.*

Etenim S. Marcus Euangelista antistes & doctor fidelium in vrbe Alexandrina degentium, quos instituit secundùm morem & doctrinam ab Apostolis traditam Hierosolymis, inter cætera virtutum exercitia eis com-

mendauit abstinentiam à vino, teste Eusebio in historia Ecclesiastica. Eandem abstinentia Seuerus Sulpitius laudat S. Martini Turonensis Episcopi discipulos, & addit, S. Martinum eis fuisse autorem. Et S. Augustinus in libro de moribus Ecclesiæ, commemorans virtutes sanctorum hominum suo tempore in Ecclesia Dei florentium, vt eremitarum, Cœnobitarum, Episcoporum, Sacerdotum & Diaconorum, inter cætera eos laudat, quòd à vino se continuerint, sola aqua contenti. S. Hieronymus in cœlum ferens Palæstinæ monachos, quorum vitam imitabatur, scribit ne ægros quidem sibi vinum indulsisse, quod intelligendum est, quando huiusmodi erat infirmitas, vt possent æquè officijs consuetis fungi, ac dum essent sani. Certè olim in Ecclesia Catholica, cum in ea vigeret vitæ sanctitas ac Ecclesiastica disciplina, fideles omnes in ieiunijs non solum à carnium, sed etiam à vini vsu abstinebant, tum vt carnem magis affligerent, tum vt ieiunium maioris meriti apud Deum foret. Atque hæc consuetudo plus mille annis obtinuit in Ecclesia, nam inuenimus eam vsque ad sancti Bernardi tempora seruatam.

Lib. 2 c. 7.

Sulp. in vita eius.

Aug. l. 1. c. 30

H. de virgi ad Eustoch.

Ter-

Tertullianus vetustissimus scribit fideles abstinentia vini castigasse carnem suam, vt se in sacrificium Deo offerrent. Idemque fatetur S. Basilius, Augustinus, & alij veteres sancti, dum agunt de suorum temporum ieiunijs. Quamuis verò hæc consuetudo ob hominum imbecillitatem labentibus annis antiquata sit, tamen æquum est, vt serui Dei, qui progressum facere in virtute cupiunt, & optimis quibusque operibus promereri Deum, eam reuocare conentur in suis ieiunijs, alijsque temporibus, quibus Deus sanitatem & vires id præstandi concesserit.

Tertul. in Psychi. Aug. serm. 6. de temp. Greg. Nyss. de amanda paupert. Hieron ep. ad Nepot.

Deinde obseruandum est, quamuis hæc abstinentia cum moderatione, quã ratio dictârit, vsurpata generatim loquendo fructuosa sit & salutaris, tamẽ particulatim, vt notauit S. Hieronymus, commendanda est adolescentibus, & fœminis nondum ætate prouectis, quia in illis & vini potandi abest necessitas, & adest grauium tentationum periculum, si mero incalescant. S. Marcus eremita, Adolescentia, inquit, ante omnia non est pascenda vino, ne duabus flammis cor accendatur, altera caloris naturalis, altera caloris

Lib de vera virginit.

vini. S. Basilius quoque de hoc periculo commonuit, dicens: Corporibus quibus per ætatem suppetit robur, & calor naturalis, non est porrigendum vinum ne ignis igni adiungatur, sed aqua fontium, vt frigiditate aquæ calor naturalis mitigetur. Quibus verò per ætatem non suppetunt amplius vires & calor, adiumentum cibi & potus subministrandum est, vt vires confirmentur.

De virgin. seru. ad Eustoch.

Sanctus Hieronymus sermonem instituens ad virgines hac verborum auxesi eas alloquitur: *Si quid in me potest esse consilij, si experto creditur; hoc primùm moneo, hoc obtestor, vt sponsa Christi vinum fugiat pro veneno.*

Neque mirum videri debet sanctos Patres lumine diuinæ sapiētiæ illustratos tam crebrò suasisse abstinentiam à vino, cùm & Gentiles, quibus exiguus fuit luminis naturalis igniculus, idem suaserint. Nam apud Romanos olim, cū temperantiæ leges maximè vigerēt, fœminis vsus vini erat incognitus: adolescentibus verò interdicebatur vsque ad annum ætatis trigesimum. Persæ item liberis suis ætate iuuenili vinum adimebant. Cū ergò videamus hunc vsum diuinis S. scripturæ oraculis, Patrum testimonijs, Sanctorum exēplis, Ecclesiæ con-

Valerius Max l 2 c.1. Alex ab Alex l.2.c.5.

consuetudine perantiqua, & ratione ipsa confirmatum, æquum est, vt ad maiorem Dei gloriam, animæque salutem fructum aliquem spiritalem ex hac doctrina decerpamus, & si in totum à vino abstinere nolimus, moderationem saltem magnam in eius vsu consectemur.

CAPVT XXV.

De mortificatione sensus tactus.

SEnsus tactus multos habet abusus & inordinationes necessatiò mortificandas, eò quòd toto corpore hominis sit diffusus, & appetitui sensitiuo proximus, ac omnium corporearum oblectationum seminarium, omnesque sensus, quorum ministerio ad aucupandas suas voluptates vtitur quasi veneno inficit. Vnde B. Basilius, Tactus, inquit, omnium sensuum deterrimus est, emittit enim legatos ad sensus, vt eorũ opera suas voluptates persequatur, placidè abblanditur, vt magnam in hominem exerceat tyrannidem, atque ideo summa cura coercendus est & mortificandus, vt purus maneat. *De ver. virg.*

Et quoniam ex ijs, quæ hactenus de aliorum sensuum mortificatione dicta sunt, facilè colligi potest, quem-

admodum & Tactus mortificandus sit, breuiter comprehendemus, quibus rebus id fieri debeat: prætermissis tamen flagitijs grauibus & manifestis peccati luxuriæ, quæ pœnitentia sub damnationis æternæ pœna expianda sunt.

Imprimis hic sensus tactus, ad obtegendum corpus postulat vestes molles & pretiosas, quæ tactu suo carnem oblectent. Hic abusus sic per mortificationem corrigendus est, vt nuditati corporis tegendæ vestis honesta pro cuiusque statu adhibeatur, quæ non voluptati, sed necessitati, hoc est, arcendis cœli iniurijs deseruiat. Quòd si mollitie nimia vestium aliquando Deum offenderimus, æquum est, vt asperiore quoque vestitu, cilicij, sacci, vel alio Deum nobis reconciliemus. Id ratio naturalis docuerat primum parentem nostrum Adamum, qui simul atque peccauit, nuditatem suam non lenibus arborum, sed asperis, carnemque pungentibus ficuum foliis contexit, vt S. Irenæus obseruauit, in persona Adami ita loquens: *Quoniam eam quam habuit à spiritu sanctitatis stolam, amisit per inobedientiam, & nunc cognosco, quoniam sim dignus tali tegumento, quod delectationē qui-*

Lib. 3 contra haer. c. 37.

dem

dem nullam præstat, mordet autem & pungit corpus. Addit Irenæus: *Et hoc videlicet semper habuisset indumentum, humilians seipsum, nisi Dominus, qui est misericors, tunicas pelliceas pro foliis ficulneis induisset eos.*

Deinde hic sensus ad capiendum somnum gaudet mollibus lectis, & stragulis percommodis. Vnde fit, vt diutius in eo hæreat, quàm necessitas postulet, & ægrius manè surgat, occasionem quoque præbeat sordidis multis cogitationibus & insomnijs, grauioribusque lapsibus. Otium enim lecti aliud non est, quàm esca & fomes vitiorum, impedimentum orationis, & bonorum operum. Mortificari autem debet in hoc genere tactus, mollitiei ademptione, commutationeque plumarum cum tomento laneo culcitrarum, & nonnunquam cum humi cubatione. Darities enim strati faciet, vt tempestiuè manè exurgat, nec orationem negligat, ac etiam vt noctè aliquãdo ad imitandas sanctorum vigilias diuinis laudibus celebrandis inuigilet.

Alius huius sensus abusus est, affici tractandis manu rebus lenibus & delicatis, vt manibus aliorum, corporibus infantium vel animantium, vel etiam

proprio, non ad necessitatem, sed tantũ ad capiendam aliquã voluptatem. Hic abusus mortificationis ope rescindendus est, nam consuetudine tractandarum rerum leniorum, tangendi sensus semper magis magisque accenditur, vt facilè postea proruat in multò deteriora. Multi enim in corpore humano motus excitantur, exurguntque imaginationes variæ castitati contrariæ, sic prorsus, vt nisi homo ilicò ad auxilium diuinum confugerit, facilè in periculum maiorum lapsuum se coniciat. Sic fecêre omnes homines Dei, qui etiam in leuissimis rebus occasiones omnes peccandi in tactu subterfugêre.

Surius in April.

Narrat B. Gregorius Turonensis Episcopus, sanctum sacerdotem Nicetam tantæ puritatis cultorem fuisse, vt reformidaret etiam infantium membra nudis manibus contingere, & si quãdo ratione officij tangere debebat, non nisi veste interiecta attigisse. Sciebat nimirum à quouis carnis tactu aliquantam capi voluptatem, licet nõ admodum illicitam, vt tantò longius abesset à tactu culpabili. Multi quoq; sãcti propria corpora veriti sunt immediatè attingere, imò & intueri, nisi necessitas mera postulasset.

Sozo-

Sozomen. scribit mirabilem S. Ammonium, vnà cùm socio suo Theodoro ad Lycum fluuium peruenisse, & cũ nauis ad traijciendum abesset, suasisse socio, vt longiùs secederet, ne nudus, erat enim amnis vadosus, conspici ab eo posset. Eo verò digresso, cùm suppuduisset & seipsum contueri, ecce diuina manũ in alteram ripam delatus est. Adeò Deo placebat tantum pudicitiæ studium. Certè gratum esse Deo mortificationis studium in hoc genere inde perspicuum sumitur argumẽtum, quòd infestus omnium bonorum hostis dæmon nulla in re magis laboret, quàm in impediendis castorum hominum conatibus. *Trip. lib. 1. c. 11.*

S. Anselmꝰ pius monachus erat, qui ad mortificandum se animo decreuerat à cõtactu corporis proprij manum abstinere, etiam licito, & sedulò seruabat. Dæmon verò inuidens tam sancto proposito, pondere graui corpus eius afflixit, vt eum proliceret ad illud manu tangendum: verum ille propositi tenax, attingere noluit. Sanctus Anselmus verò certior redditus, corpus hominis inspexit, ac deprehendit non esse nisi imposturam dæmonis mortificationem illam molestè ferentis. Primùm

mùm itaque, in quo consistit mortificatio sensus tactus, est, omnia quoad licitè & commodè fieri potest, oblectamenta illi adimere. Deinde illum affligere perferendis aliquibus rebus molestis, vt frigore, æstu, labore, nuditate, genuflexione, disciplinis, alijsque asperitatibus, vti sancti Dei, vt iam dicemus, fecerunt.

CAPVT XXVI.

De variis mortificationum modis, quos sancti ad mortificandum sensum tactus vsurpârunt.

QVoniam exempla plus mouent, quàm verba, piamq; doctrinam probabiliorem reddunt, maximè si doctores ipsi factis testẽtur, quod verbis docent, idcircò cùm hactenus ex sanctorum doctrina ostenderimus, quanta sint mortificationis sensuum merita apud Deum, deinceps idem nonnullis corroborabimus exemplis, atque ob oculos ponemus varios mortificationum, quibus vsi sunt, modos, vt quisque eam rationem mortificandi sequatur, quam suis viribus, statuique suo, adhibita in consilium discretione, magis conuenientem animad-

uerte-

uerterit. Etquanquam sanctis quibusdam variæ mortificationes familiares fuerint, nos tamē breuitatis causa præcipuas tantùm quasdam in medium proferemus, ac summam tantùm narrationis, notato fonte, vnde cætera hauriri queant, perstringemus.

Vsitata sanctis fuit mortificatio per vsum ciliciorum ex setis vel pilis animalium contextorum, quæ vel continenter ad nudum corpus, vel statis diebus, quantum voluntas vel sanitas cuiusque postulabat, tulerunt.

Sanctus Ludouicus, Francorum rex, licet tenero corpore esset, tamen aspero carnem domabat cilicio, vel cum valetudo non ferret, ex consilio Confessarij cum alia pœnitentia commutabat. *Gaufrid. in eius vita.*

S. Zenobius, Episcopus Florentius, licet à parentibus nobilibus delicatè enutritus esset, tamen postquam Deus ei oculos mentis aperuit, omnibus corporis commodis renunciauit, magnaque seueritate carnem afflixit, atque imprimis cilicio; nec, cùm ad Episcopatum, hoc est, ad grauiores labores esset euectus, quicquam de priori asperitate detraxit, sed potius adauxit. *Ioan. Aretin. In eius vita.*

San-

Paulin. Ep. 10. ad Sulp.

Sanct. Paulinus Episc. Nolanus, qui ex ditissimo pauperrim⁹ factus est, propter Christum, cilicio ex pilis camelorum consuto carnem domuit: cumque Seuerus Sulpitius singularis eius amicus aliquando cilicium illi misisset, magnas ei gratias egit, vsum eiusdem, ceterarumque asperitatum per epistolam valde collaudans.

Sanctus Edmundus, Cantuariensis Archiepiscopus, à puero ex materna disciplina vsus est cilicio, & cùm Parisios studiorum causa amandaretur, bina secum detulit, ac quoties mater recentia ei mitteret indusia, cilicium quoque addebat, suadens vt quaque hebdomada biduo triduóue eo vteretur.

Theobald. in eius vita. B. Damian. in eius vita.

Alij sancti non contenti cilicijs ex equinis crinibus, setis vel pilis contextis, corpora sua castigârunt loricis ferreis, vt S. Guilielmus Aquitaniæ dux, qui post conuersionem suam vsque ad obitum eam deportauit. Et B. Dominicus, ab eadem dictus Loricatus. Alij vinculis ferreis colla, humeros, brachia lumbos onerârunt, vt Theodosius, Eusebius, Iacobus, & alij, quorum meminit in historia religiosa Beatus Theodoretus.

Quan-

Quanquam verò hæc exempla non omnibus imitanda sint, tamen meritò nobis quoque, sicut certamina Martyrum, spectanda proponuntur, vt dum cernimus quàm atroces contumelias, & cruces, atque adeò mortem diriſſimam, deuictis tyrannis, pro Christo cõstanter perpessi sint, animemur ad patienter libenterq; tolerandas leuiores iniurias & cruces; ad expugnandas perturbationes iræ, gulæ, superbiæ, aliasq; similes.

Vsurpatę quoque crebrò fuêre à sanctis disciplinæ, hoc est, flagella è virgis vel funiculis nodosis confecta. Beatus Odo deserta seculari militia quotidiè ijs carnem spiritui subijciebat. S. Nicolaus Tolentinas inter cęteras pœnitentias, quas frequentabat, duris disciplinis corpus diuexabat. Sanctæ Brigidæ parens Birgerus, licet nobiliſſimus, & è stirpe regia, quoque die Veneris ad glorificandum in corpore suo Christũ acriter in illud sæuiebat; vnde & sancta prole à Deo donatus est, nempè S. Brigida. Fuêre & alij homines Dei, qui non ipsi modò se diuerberârunt, sed etiam ex humilitate ab alijs cædi voluerunt. Vt Sanctus Laurentius Archiepiscopus Dublinensis in Hibernia,

Sur. in vita. S. Godfrid.

Idem in septem.

Idem in Iul.

Sur in Nou.

nia, ex regia stirpe oriundus, qui à quodam familiari suo ter in dies singulos, acrium ictus virgarum tergo excepit.

Sur. in Decemb. Quòd idem legimus spontè Sanctum Thomam Cantuariensem post initum Episcopatum à suo Diacono quotidie perpessum.

Sur. in Aug. S. Dominicus ordinis Prædicatorum institutor, non contentus qualibet nocte catena ferrea corpus suum tribus ictibus ferire, semel pro se, iterum pro peccatoribus huius mundi, tertiò pro ànimabus in Purgatorio existentibus; ab alijs quoque volebat eádem diuerberari. Hoc mortificationis exercitium ideò illi Sancti & alij susceperè, quòd arbitrarentur maioris humilitatis esse, ab alijs, quàm à semetipsis flagellari; simulque nimiæ verecundiæ velamentum detrahebant illis, qui idcircò à sui deuerberatione abstinebant, ne si ad aliorum aures peruenirent, irridentur. Quæ tentatio dæmonis est, & ideò vincenda.

Sur. in Aug. Mortificarũt se quoque sancti ratione lecti. S. Audocnus Rothomagensis Archiepiscopus in asperis virgultis somnum capiebat. B. Andreas Fesulanus, Episcopus in sarmentis. S. Iuo in nodosis virgis. S. Radegundis regina ciliciũ in cinere pro lecto vsurpabat, remota com-

commoditate plumarum, & linteaminum. S. Brigida inter alias pœnas voluntarias, quibus per annos triginta corpus suum afflixit nocturnis horis in simplici tapete humi decubuit, vt ad precandum semper parata esset; nec lecto vtebatur, nisi vrgente nimio frigore. *Sur. in Iul.*

Iam & in habitatione occasionem mortificandi se quæsiêre. Multi enim inclusêre se casulis perexiguis, & angustis, in quibus magno æstu torrebantur, aliisque cœli iniurijs vexabantur, sed illi solis inferni cruciatibus menti obiectis fatebantur, ista toleratu facilia, multò autem magis, cùm oculos erigerent ad immensa cœlorum spacia, quæ in omnem æternitatem erant inculturi. S. Olympius Abbas in specu iuxta Iordanem sedem delegerat, in quo & ardoribus solis valdè vrebatur, & culicum aculeis miserabiliter configebatur. Rogatus autem, quomodo æquò animo tam incommodum locum perferre posset, respondit, se æstum patienter ferre, vt liberari posset ab ardoribus inferni; culicum verò morsum ad præcauendum vermem conscientiæ damnatos in perpetuum morsurum. Banadatus magna sanctitate vir, teste *Prat. spir. c. 141.* *In hist. relig. c. 27.*

Beato

Beato Theodoreto, tuguriũ longè corpore suo breuius, & aliquot partib. ge uium, sic vt nec imbres, nec radios solares arceret, incoluit, & rerum cœlestium contemplationi suauissimè vacauit.

Verùm neque defuêre homines Dei qui tetris odorib. percipiendis se mortificârunt; propterea quod curantes suauibus odoribus plus nimio se in seculo oblectassent. S. Arsenius enim à suis rogatus, cur aquam, in qua palmarum folia molliebat & macerabat, non subinde mutaret, cum grauem & tetrum admodum odorem putrefacta naribus aspiraret, respondit. Ego me olim omnia suauium odorum fragrantia ad perniciem animæ meæ oblectaui, nunc autem damnum compensare conor odoribus contrarijs.

Alia mortificatio Sanctorum fuit cibis rerum insipidarum insperso, vel mixtione adimere omnem gustum. Vti faciebat Beat. Richardus confessor, qui panem auenaceum, quo vescebatur, cinere conspergebat. Et Sanct. Franciscus, qui nunc cinere, nunc frigida aqua cibos perfundebat. Idem faciebant in potu. Nam B. Gregorius Lingonensis Episcopus, vt abstinẽtiam suam

Mirac. l. 4. c. 2.

S. Bonauent. in eius vita.

alios

alios cælaret, aquam quam bibebat so- *Petr. Vega*
litus erat modico vino tingere, & sic *in eius vita.*
nec aquam nec vinum gustabat. Dominus Ferdinandus de Talauera Granatensis Archiepiscopus, vir sanctitate conspicuus idem faciebat. Nam denis aquæ partibus vnam tantùm miscebat vini, vt sic & vino & aquæ saporem eriperet. S. Arnulphus Episcopus, vt gustatum falleret, turbidam aquam bibere voluit.

Aliud genus mortificationis olim sancti suscepêre, & nunc multi retinent, vt nudatis incederent pedibus, & frigus aliaq; incommoda amore Dei libenter perferrent. S. Gudula Comitis Virgeri *Sur. in Aug.*
filia, virgo licet tenera sine calceis etiam hyeme incedebat: ad tegendam autem hanc mortificationem, quoties in conspectum aliorum ventura erat, calceos quidem pedib. inducebat, sed sine inferiore solea. Idem fecit S. Hedvvigis *Sur. in Octob.*
ducissa Poloniæ. Nõnulli sancti totum vitæ tempus, vel magnã eius partẽ sine vllo corporis integumento, nulla cœli inclementia absterriti tradiderêre, noctu diuq; errantes in montibus & solitudinibus, sanctissimisque contemplationibus cœlo inhærentes, vt fuêre sanctissimi quique eremitæ, Macedonius,

Iaco-

Iacobus, Simeon, Daniel Stylita, Sanctus Onuphrius, S. Maria AEgyptiaca, & alij multi eorum imitatores. Verùm hæc in communi imitanda non sunt, nisi quatenus commouere nos queant ad minora quædam nostræ imbecillitati congrua præstanda. Beatus Pater Ignatius, Societatis Iesu auctor & parens, ad mortificationes & asperitates, quas vsurpabat, vt quod ter quotidie disciplinam faceret, quod tota hebdomade, Dominico die excepto, ieiunaret, & crebrò solo pane & aqua contentus, quod somnum humi caperet; hanc quoque adiecit, vt multo tempore nudis pedibus incederet, donec Complutensi Episcopi Vicarius illi mandasset, vt indueret calceos, cui, vt verè humilis, paruit.

P. Ribadin. in eius vita.

Illa quoque mortificatio quibusdam placuit, vt licet naturæ duce corporis nitorem & munditem amarent, tamen sui vincendi causa facerent contrarium. Scribit Beatus Athanasius D. Antonium eremitam nunquam corpus suum, licet cilicio tectum, lauisse, minus pedes, nisi quando opus erat flumen vadosum traijcere. S. Hilarionem quoque testatur B. Hieronymus in eius vita, saccum, quo semel fuerat indu-

In eius vita.

indutus, nunquam lauisse, ac putasse superfluum munditias in cilicio quærere. Diuus Gregorius Nazianzenus etiam inter laudes Beati Basilij & Sanctæ Gorgoniæ idem commemorat. De sanctissimo Abbate Aulentio refert Simeon Metaphrastes, in corpore eius nimia seueritate pœnitentiæ putrefacto enatos vermes, & tamen illum, si forte in terram decidissent, in vetus vulnus reposuisse qui vir ob crebra miracula tantum sanctitatis nomen obtinuit, vt Synodus œcumenica Chalcedonensis, quæ sexcentorum erat Patrũ, vnà cum Imperatore Martiano illum ad se euocârit, vt probatis S. Synodi decretis sua autoritate & præsentia hæreticos conuinceret. B. Margaretha filia Hugarorum regis mortificandi corporis causa laneo tantùm vtebatur indusio, quòd vix vnquam lauabat. Cumq; moneretur, vt lauandum curaret, ne vermiculi nascerentur, respondit. Sinite quæso hoc corpus meum amore Christi à vermibus consumi. Idem alij multi sancti fecêre. Quare notandum est, quòd quamuis huiusmodi facta politicæ munditiei aduersa, si non ab ignauia, & socordia, sed à mortificandi desiderio orta sint, laude digna sint, &

In eius vita

Sur. in Iun.

2.2.q 187. art. 6. Deo grata, vt docet S. Thomas, indicium q; dent animæ à vitijs & perturbationibus purgatæ, vt scribit S. Hieronymus ad Rusticum, tamen qui ratione status & officij, quod gerunt, conuersantur cum hominibus, remouere à se debent, quicquid offendere possit proximum; nec sancti eiusmodi mortificationibus vsi fuêre, nisi cum remoti ab hominum conspectu in cœnobijs, vel solitudinibus degerent. Atque hæc sufficiant de varijs mortificationũ modis, è quibus quisque deligere poterit, quos suo statui & conditioni, viribusq; tam corporalibus, quàm spiritalibus iudicârit magis conuenientes, & quos discretio ipsa, & Patris spiritualis consilium magis probârit.

CAPVT XXVII.

De mortificatione Linguæ.

GRauissima mala & damna linguæ non refrænatæ, quæ diuinæ litteræ multis in locis patefaciunt, facilè ostendunt, quàm fructuosa necessariaq; sit linguæ mortificatio. Ac primum, quamuis sacrarum literarum stylus admodum sit moderatus, & ab nimia amplificatione alienus, tamen

tamen vehementer linguæ detrimenta passim exaggerat. *Lingua mala*, inquit, *multos commouit, & dispersit de gente in gētem, ciuitates moratas diuitum destruxit, & domos magnatum effodit. Virtutes populorum concidit & gentes fortes dissoluit Lingua mala mulieres viratas eiecit, & priuauit illas laboribus suis. Multi ceciderunt in ore gladij, sed non sic, quasi qui interierunt per linguam suam.* Hæc omnia Ecclesiasticus. S. Iacobus quoque Apostolus graphicè malum linguæ exaggerat. *Ecce*, inquit, *quantus ignis*, id est, quàm exiguus, *quàm magnam syluam incendit? Et lingua ignis est, vniuersitas iniquitatis*, hoc est, omnium malorum causa, quia eà comburuntur animæ. *Lingua constituitur in mēbris nostris, quæ maculat totū corpus*, id est, omnia eius opera bona, *& inflammat rotam natiuitatis nostræ inflammata à gehenna*, id est, inflammat totum vitę humanæ cursum à prima ætate vsque ad obitum flammis culpæ & pœnæ æternæ. Pergit B. Iacobus. *Linguam enim nullus hominum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero*, quo anima & corpus interimitur. Eccl. 22.

Cùm ergò testimonio cœlesti constet, tot tantaque esse linguæ mala, li-

quidò apparet ſummam omnibus incumbere neceſſitatem mortificandi & coercēdi illam, ſic enim animam ſuam ab omnibus incommodis iam dictis immunem reddet. Vnde Deus per Sapientem dixit: *Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam.* Et rurſum. *Qui cuſtodit os ſuum, & linguam ſuam, cuſtodit ab angustijs animam ſuam.* Beſtiam feram & indomitam, vt leonem, vel tigrem, æquiſſimū eſt diligenter concludi, & cuſtoditi: at lingua, teſte S. Iacobo, feritate ſuperat omnes beſtias, nulla enim beſtia eſt, quæ induſtria humana domari non queat, at linguam nullus hominum domare poteſt. Beſtiæ vinculis ſolutæ nō aliud damnum faciunt, quam quod corpora aliquorum dilacerent, & ſæpè dominis ſuis parcunt: at lingua habenis ſuis ſoluta inuadit animas immortales, & licet eis non eripiat vitam naturalem, tamen eripit ſupernaturalem gratiæ, quod deterius eſt, quàm ſi eam in nihilum redigeret. Minus enim malum eſt non eſſe, quàm eſſe in peccato, & Dei Optimi Max. offenſione. Nec ſolum damnum infert alijs, verùm etiam ſæuit in ſuum dominum, eumq; per ſummam tyrannidem è medio tollit. Sæpè namque contingit linguam malè mor-

Prou. 13. *Prou.* 21.

tifica-

tificatam vnico verbo temerè profuso, omnibus anteactæ vitæ meritis, fructuosisque laboribus animam miserabiliter spoliare, & in ignes detrudere sempiternos.

Quam ergò æquum est hanc efferatam bestiam arctissimæ includere custodiæ, ne facilè in publicum prodeat, stragesque dictas faciat. Quod sapientissimè ipse naturæ auctor non obscurè nos docuit. Vt enim homo belluam ferocem caueæ ferreæ, vel loco altis muris circumdato includere solet, & licet ianuam caueæ vel muro adiungat, tamen vigilem & peritum simul custodem adhibet, qui nunquam eam emittat, nisi quando nocere non valet: sic Deus linguam, tanquam in caueam & specum inclusit ori humano, duplici vallo dentium & labiorum benè communito, ac licet ianuam, per quam egredi queat, non negârit, tamen ianitorem illi adhibuit peruigilem, ipsam rectam rationem, qui non finit eam foras prodire, nisi quando alijs prodesse possit.

Neque solùm ab his tantis malis mortificatæ linguæ beneficio liberari possumus, sed etiam locupletari omnibus spiritalibus, & veris bonis gratiæ

ac gloriæ: nam cùm homo naturâ tam pronus & procliuis sit, ad quiduis pro libito effutiendum, non potest non plurimum apud Deum mereri, si pronitatem illam naturalem compescat, & à sermonibus vanis & inutilib. prorsus abstineat. Accedit, quòd si sermones vanos in pios & spirituales deinde commutet, indies in singula pene verba meritum, ac proinde gratiam, virtutes, ipsamque gloriam in cœlo rum in modum adaugeat. Vnde scriptura diuina dicit: *Vena vitæ, os iusti.* Ex eo enim procedunt verba conciliantia salutem, & vitam spiritalem ijs, qui audiunt. Si cui prædium sit fertile, experientiaque didicerit, accessione culturæ vberrimum reddere fructum, quanto studio & diligentia illud inuisere, omnibusque rebus necessarijs, vt maiorem semper fructum ferat, instruere solet? Lingua bona prædium est spirituale & diuinum, quòd si seruus Dei sedulò excolat, nobilissimos virtutum meritorumque fructus refundet. Omni ergò cura illud custodiat, herbas prauorum colloquiorum in eo exstirpet, bonorumque & spiritalium verborum semina in illud inijciat, miserationumque & consolatio-

Prou. 18.

num

num cœlestium participem animam suam reddet secundum illud Sapientis: *De fructu oris homo satiabitur bonis*, hoc est, quæ bono linguæ vsu promerebitur. *Prou. 13.*

CAPVT XXVIII.

De mortificanda inordinatione linguæ in detractione.

QVoniam deinceps agendum est de ratione mortificandi linguæ inordinationes, vel abusus, hoc primò sciendum est, nos non agere de inordinationibus, quę peccati mortalis notā manifestam habent, vt sunt iuramenta & testimonia falsa, ac detractiones de grauibus criminibus, quibus homines redduntur infames; nam presens tractatus pro seruis Dei scriptus est, qui dudum per pœnitentiam tales lapsus expiârunt. Agemus ergò tantùm de leuioribus linguæ inordinationibus, in quas etiam pij per incuriam vel tepiditatem labi solent. Hæ enim mortificatione opus habent, tum quod ijs neglectis procliuis est lapsus in vetera peccata lethalia, iam semel deserta & deposita, tum quod progressum in vita spirituali plurimum retardent.

Detractio. Ex his linguæ inordinationibus vna est, Detrahere alijs ob lapsus & defectus leuiores proximi, qui nec infamé illum reddunt, nec cum charitate pugnant. Vt autem homo teneat modum cauendi hoc peccatum, diligenter attendat ad eius radicem. Vna est, innata nobis à prima naturæ corruptela maligna procliuitas censendi aliorum mores, vitiaque aliena notandi. De qua Sanctus Hieronymus ita scribit: *Tanta huius mali libido mentes hominum inuasit, vt etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen, quasi in extremum diaboli laqueum incidant.* Altera radix est interna inuidia, quæ hominem contristat, & mœstum reddit ob prosperos proximi successus, & idcircò ad imminuendam tristitiam, vbicunque potest, famam illius denigrare conatur. Postrema est occulta quædam superbia, qua homo de se præsumit, & anteponi vel certè exæquari vult alijs, atque eam ob rem conatur eorum nomen deprimere.

Ep. ad Celãtiam.

Cùm igitur hæ sint detractionis radices & fontes, hominiq; necessitas ingens incumbat illas exscindendi ex intimis cordis sui visceribus, quid aliud expectandum est, si à veteri obtestandi con-

consuetudine non discedat, nisi vt in grauissima se præcipitem agat peccata? & impleatur, quod dixit Sapiens: *Labia insipientis præcipitabunt eum. Initium verborum eius stultitia, & nouissimum oris illius error pessimus*, quasi dicat: Initium facit ab effutiendis rebus leuibus, & augescēte passione ac incuria paulatim progreditur ad grauiora, quæ Deum & homines offendunt. Deinde etiamsi detractio proximi fiat de rebus leuioribus, tamen contra voluntatem Dei peccatur, qui in lege sua omnibus imperat, vt bonum in verbis & factis alijs præbeant exemplum, & nemini sint offendiculo. At qui alijs facilè detrahit, conatur bonam eorum famam, qua exemplo bono alijs erant, imminuere; & destruit, quòd Christus ædificauit, maximè cum sæpè contingat vt ex leuium defectuum narratione, qui viris bonis imponuntur, magnum oriatur scandalum apud eos, qui suspicantur cum leuioribus vitijs non posse nō esse coniuncta alia grauiora. Accedit, quod etiamsi detractiones magni momenti non sint, tamen iniuriam aliquam proximo, cui detrahitur, inferunt; nam etsi famam bonam illi non prorsus eripiant, tamen minuūt, & despicabiliorem *Eccl. 10.*

aliis reddunt, amorem quoque fraternum aliquando dissuunt, & charitatis ardorem tepefaciunt.

Certè maiorem in modum cauendū est, ne quis audeat etiam in rebus paruis alteri detrahere: nam ferè fit, vt qui se assuefacit lenioribus exprobrationibus, data occasione, vel ortā magna animi perturbatione, non verecundetur etiam grauiores lapsus palàm patefacere. Ac nonnunquam contingit, vt licet obtrectatio sit de re modica, tamen quia contra virum magnæ sanctitate conspicuum fit, aut contra Superiorem, grauissimè diuinam offendat maiestatem. Moyses Æthiopissam quandam coniugio sibi copulârat. Eam ob rem Maria eius soror vehementer succensuit, & questa est. At Deus molestè tulit hanc obmurmurationem Mariæ, & in pœnam lepra tam tetra eam, vt expendit B. Gregorius, cōtexit, vt breui tempore dimidiam partēm carnium eius exederit. Cum sancto Proiecto Episcopo, ordinibus tantùm minoribus initiato, quidam amici genere nobiles aliquando cœnârant, inter quos tres viri pietatis studiosi, dum vel mortificandi sui causa, vel religionis ergò negant se velle carnibus vesci, alij

Num. 10 l. 12
Regist. c. 13.

Surius in Ianuar.

alij verò conuiuæ ea de causa eos ludibrio habent. Proiectus irrisores seriò commonuit, ne pio eorum instituto detraherent. Verùm cum illi non æquis auribus admonitionem exciperent, De grauissima animaduersione obtrectatores puniuit. Nam cœnaculum, in quo mensæ accubuerant, quod erat in summa ædium parte, à fastigio ad imum vsque sectum, dimidia, in qua detractatores illi consederant, corruit. Proiecto cum alijs tribus socijs incolumi, & saluo in sua. Ex quo casu discimus, magnum studium ponendum esse in praua illa inclinatione, de alijs malè loquendi mortificanda, audiendámque vocem Spiritus sancti sic nos alloquentis: *Custodite vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ: quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit.* Sap. 1. Præcipuè autem laborándum est, ne obloquamur Prælatis, Superioribus, & Dominis, etiamsi reuera culpa non careant, nam & grauius peccamus, & damnum maius incurrimus. Vnde magna verborum exaggeratione scribit Beatus Gregorius. *Admonendi sunt subditi vtriusque ordinis viri, vt cum magistrorum facta conspiciunt, ad suum cor redeant, & de eorum increpationibus* Lib. 12. regist. c. 31.

Matth.10. *non præsumant, quia non est discipulus super magistrum, nec seruus super Dominum suum.*

CAPVT XXIX.

De mortificando abusu detegendi arcana.

ALius linguæ abusus est, patefacere arcana, vel quæ in secreto audita sunt, vel certè silentium postulant, non quidem quando cū zelo charitatis patefacta sunt ei, qui malo mederi potest, aut zelo iustitiæ ei, cui ratione iurisdictionis incumbit illa cognoscere, sed alijs, quibus neutra conditio inest; idq; facere, non alia de causa, quam quia ita collibuit, aut vt gratia aliqua apud audientes ineatur; hic enim abusus corrigendus est, & studio mortificationis tollendus.

Et sunt quidam in hoc genere tam leues, vt quoties in secreti alicuius notitiam venêre, continere se nequeant, quin confestim illud prodant suis amicis, imò cupidi sunt talium rerum expiscādarum, tantū vt alijs postea commemorent. Ac deniq; faciunt cum magno auditorum offendiculo, dum sæpenumerò fit, vt præsentes adsint, de quib.

sermo

sermo instituitur. Hi sunt, inquit Scriptura sacra, similes mulieri parturienti, quæ vbi hora partus aduenerit, non potest non parere: & infantibus, qui simul atque nati sunt non possunt se continere à lachrymis, ac denique cani sagitta confixo, qui quiescere nequit, nisi sagitta extracta. Sic illi non ante quietem capere possunt, quàm arcanum suum in alienum sinum effuderint. Et sæpè cupiditate multa effutiendi eò feruntur, vt non solùm visa & audita narrent, sed etiam quæ de alijs suspicantur & imaginentur, licèt reuera ignorent facta esse. Atque hi sanè silentij antidoto prorsus indigent, ad superandam nimiam loquacitatem, & opus habent audire illud Spiritus sancti dictum. *Audisti verbum aduersus proximum tuum, commoriatur in te, fidens quoniam non te dirumpet*. Loquitur autem de verbo arcano ex cuius diuulgatione nullus sequitur fructus: nam si patefiat ei, de quo dictum est, non sequitur nisi contristatio, si autem alteri, sequitur infamatio. Vnde beatus Basilius annotauit, naturam, hoc est, Deum naturæ auctorem binas aures quidem, sed linguam tantùm vnam dedisse, vt intelligeremus non omnia quæ audiun-

Eccl. 19.

Eccl. 19.

De ver. virg.

tur, esse enuntianda, sed quædam, vt sunt arcana, tegenda silentio: *Qui detegit arcana amici, fidem perdit*, inquit Scriptura, *arcana amici, fidem perdit*, id est, fidelitatem, quam debet Deo & hominibus. Eccl. 27.

CAPVT XXX.

De alijs linguæ abusibus, vt mendaciorum & fictionum corrigendis & mortificandis.

MVlti eorum, qui Deo seruire cœperunt, operam quidem collocant in cauendis mendaciis proximo perniciosis, sed non in cauendis iocosis, minus autem in iis, quæ prosunt alicui, vel damnum tollunt, imò non desunt, qui arbitrentur se non peccare, si vtiliter mentiantur. Hæc praua affectio singulari cura mortificanda est, nullum præstando locum mendacio, siue iocoso, siue fructuoso. Certissimum enim est quodcunque mendacium veri nominis esse peccatum, quo Deus offendatur: ac proinde neque ad liberandum aliquem à morte iniusta, neque ad saluandam alicuius animam mendacium vllum dici potest, imò etiamsi totius mundi salus periclitaretur, illa per mendacium, aliudve illicitum medium procurari non

non posset. Et dogma Catholicum est, nullo in casu licitum esse mentiri, contrarium autem erroneum: nam diuina Scriptura apertè damnat mendacia. *Perdes omnes*, inquit Psalmista, *qui loquuntur mendacium.* Sancti quoque omnes ita docent, & Innocentius III. Papa in quadam epistola decretali disertè affirmat, secundùm doctrinam Scripturæ sacræ ne mentiendum quidem esse pro seruanda alicuius vita. Atque hic semper in Ecclesia seruorum Dei spiritus fuit, potius iacturam facere rei temporalis, quàm mendacio Deum offendere, vt testantur sanctus Augustinus, & sanctus Gregorius, dum aiunt homines perfectos ne quidem ad liberandum à morte proximum induci posse, vt mentiantur; quia non est vita animę ponenda pro vita carnis. Deindè etsi inconsideratè proferre mendacium sit leuioris culpæ, quàm proferre consideratè, tamen quia intimo pectore diligebant veritatem, ab vtroque abstinuisse. Narrat Simeon Metaphrastes Anthemium Nicomediensem Episcopum sæuiente persecutione Maximiani Imperatoris, satellites, à quibus ad necem quærebatur, hospitio excepisse, cibique & potus affatim apposuisse, cumque illi

c. super eo de Vsuris.

Psal. 5.

2.2. q 2. c. Nequis.

Greg. lib. 18. mor. c. 4.

Sur in April.

illi percunctarentur ab eo, vbinam esset Anthemius, cõfessum se esse: tum milites caritate illa obstupefactos subiecisse conficto mendacio responsuros tyranno, Anthemium quidem à se quæsitum, sed non inuentum. Anthemium denique contra obtendisse, fas non esse pro vita cuiusquam mentiri; itaq; comitatum illos & martyrem factũ. Quòd si pro vita hominis innoxij mentiendum non est, quantò minus pro rebus leuioribus vt pro auertendo exiguo damno temporali, vel mitiganda alicuius iracundia?

Etsi verò mendacia otiosa vel officiosa, quæ nulli nocent, sint peccata venialia, ac ratione culpæ, quàm annexam habent, à seruis Dei, sedulò cauenda, tamen inter omnia venialia vel leuiora mendaciũ primas obtinet nam primus mẽdacij autor est diabolus, & ideò Christus apud B. Ioannem eum vocat mẽdacem, & mendacij patrem. Quotquot ergò mentiuntur, sunt eius imitatores, & de eius factione. Deinde licèt dicta mendacia non cedant in damnum alicuius particulare, tamen cedunt in damnum commune totius Reipubl. Nam in Republica ad negotiationes aliaque commercia tractanda imprimis neces-

Ioan. 8.

sa-

saria est veritas & fidelitas ; quæ duæ virtutes sunt quasi vincula & nerui communicationis humanæ ; nemo enim facilè contractum aliquem cum alio init, nisi existimet sincerè illum loqui & agere, ac verè fidelem. Si ergo deprehendatur quis semel in rebus, licèt leuioribus, mentiri & fidem fallere, mox suspicio oritur illum etiam fraudaturum fortasse in grauioribus. Vnde diuina Scriptura : *Opprobrium*, inquit, *vequam in homine mendacium, & mores hominum mendacium sine honore.* Hoc idcircò de mendacibus Spiritus sanctus dicit, quia per consuetudinem mendacij reddunt se contemptibiles, & fide indignos. Sicut enim res naturales, quæ adulterinæ sunt & nothæ, vt aurum vel argentum adulterinum, licèt speciem auri argentive mentiantur, exigui sunt pretij & repudiantur: sic illi qui mentiẽdo alios fallunt, aliud in ore, aliud in corde habentes, facilè contemnuntur, & nihili siunt. Hæc ratio facilè nobis ob oculos ponit, quanta sit fœditas etiam in leuibus mendacijs, quamque indigna sint homine Christiano, & multò magis religioso & seruo Deĩ perfectionis studioso: dũbium siquidem non est, sine comparatione longè deterius esse *Eccl.20.*

esse, haberi aliquem mendacem in conspectu Dei, ac haberi tantùm in opinione hominum: cùm ergo tantopere horreamus mendaces haberi apud homines, quantò potius horrere debemus, ne habeamur apud Deum, licèt hominibus nihil de eo constaret? illud enim pœna tantum est, hoc autem vera culpa, & vera infamia. Quocirca simus diligentes in fugiendo quocunque mendacij genere, & in passione, quæ ad illud inclinat, mortificanda, obsequendo S. Paulo Apostolo, nos commonenti in hæc verba: *Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundùm Deum creatus est in sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo, quoniam sumus inuicem membra.* Ephes. 4.

Alia inordinatio superiori connexa, est, ficto, vel amphibologico vti sermone, cui alia subiecta sit sententia apud audientem, quàm apud dicentem. qua quidem arte nonnulli conantur effugere mendacij noxam, sed incidunt in foueam, quam alijs foderunt; nisi iustis de causis id faciant. Quando enim verba geminum sensum habere queunt, ac iustitiæ vel caritatis

vatis tuendæ causa à dicente alio sensu enuntiantur, quàm ab audiente intelligantur, nulla fraus reprehensione digna committitur. Exempli causa. Summo diluculo quispiam domo pedem extulerit, & paulò post reuerterit. accurrat sicarius & percunctetur ab alio domus incola, sitne ille domi. potest ille citra mendacium seruandæ eius vitæ causa, respondere, summo mane egressum. Licèt enim mentiri nunquam fas sit, attamen in casu necessitatis cælare veritatem, teste Augustino, nefas non est: idque declarant Scholæ Theologi, verum esse, quando verbis secundùm vsum loquendi hominum duplex subest intelligentia, iustaque & grauis causa suppetit, cur alio sensu enuntientur, quàm forte ab auditoribus accipienda sint. At si nulla suppetat, hoc est, si nullum incommodum in nos vel alios ex responso nostro redundet, non est causa, cur amphibologia illa syncerè rogantem eludamus. imò pugnat cum puritate & simplicitate non solùm religiosa, sed etiam Christiana, & est nota hominum fictorum & duplicium; impeditque non rarò, æquè ac vsus mendaciunculorum, fidem & concordiam hominum.

Augusti in Psal. 5
S. Th. 2. 2. q. 89. a 7.
ib. Caiet.
Soto. l. 8. de iure q 2. a. 7.

Lanspberg. hom. 18. de passion.

Quis

Quis enim fidem præstet etiam senia asseueranti, à quo ambiguis crebrò sermonibus circumuentus est? vnde diuina scriptura de talibus dicit: *Qui sophisticè loquitur, odibilis est, nempè Deo, angelis, & hominibus.* Eccl. 37.

CAPVT XXXI.

Quomodo mortificanda sit cupiditas contendendi & rixandi.

ALia inordinatio linguæ, in quam boni labi solent, cum ingenti animæ suæ damno, est, contendere cum alijs, sitne verum hoc vel illud? fuerit id factum nec ne? debuerit hoc fieri vel contrarium: & de alijs id genus. Radix huius vitij in quibusdam est nimia honoris humani cupiditas, & hinc fit, vt dum sapientiæ famam in suis dictis vel factis aucupantur, pro ea tuenda etiam sublato clamore pertinaciter contendant. In alijs verò radix est nimium desiderium congerendarum opum, aliarumque facultatum temporalium. vnde fit, ne iacturam aliquam earum faciant, vt lites cum alijs inire non reformident, & omnia commoueant tribunalia. Alijs etiam hoc vitium inest, ex naturali quadam procliuitate, sed deterrima omnibus

bus contradicendi, aliorumque dicta vel facta carpendi, vnde mox, dum alius molestè fert temerariam censuram, succedit lis & bellum.

Hoc vitium seruo Dei omni studio mortificandum & radicitùs exscindendum est. Et quamuis de eo aliquid dixerimus in Tractatu de mortificatione propriæ voluntatis, eò quòd ad caritatem concordiamque animorum inter proximos conseruandam hoc argumentum prorsus sit necessarium, tamen nonnulla hic adiungemus. Quando contentio orta est, non in disputationibus scholasticis, quæ ad litterariam exercitationem pertinent, sed in congressibus quotidianis & familiaribus, idque non de re clara & euidenti, sed anacipiti, varijsque hominum opinionibus ventilata, tunc homo, etiamsi suam verissimam existimet sententiam, non tamen asseueranter eam vel pertinaciter tueatur contra aduersarios, sed quiescat, cogitetque se quoque falli posse, sicut multi sapientes ante ipsum in simili genere decepti fuêre, ac ipsemet non semel deceptus est, atque ita charitatem & beneuolentiam, quam habet cum antagonistis suis, non dissoluet, & bonum exemplum da-

dabit auditoribus. Quòd si res quæ cõtrouertitur sit manifestè vera & indubitata, eò quòd rationi naturali, vel diuinæ legi, vel Sanctorum & Doctorum dictis sit consentanea, tunc homo cum debita humilitate & mansuetudine alseueranter veritatem tueri debet, & suæ sententiæ rationem reddere: quam si alij sibi persuaderi minimè sinant, sed constanter obluctentur, taceat, & dissimulet, vel sermonem ad alia transferat, maximè si disceptatio fuerit de re ad salutem non pertinente, sic enim plus proficiet, quàm si seriò suscipiat patrocinium veritatis. Atque hoc est, quod D. Paulus tanta verborum efficacia postulat à fidelibus. *Si qua*, inquiens, *consolatio in Christo, si quod solatium caritatis, si qua societas spiritus, si qua viscera miserationis, implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem caritatem habentes, vnanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi inuicem arbitrantes, non quæ sua sunt singuli considerantes, sed quæ aliorum.* Phil. 2. Quibus verbis perspicuè declarat quo antidoto sanare spiritum contendendi debeamus.

Huius rei notabile exemplum habemus in diuina Scriptura. Viderat Pro-

phe-

pheta Elisæus Eliam Prophetam curru igneo per turbinem rapi in cœlum, vt deponeretur, quemadmodum creditur, in paradiso terrestri. Et mox eum adierunt viri quidam religiosi, dicti filij Prophetarum, rogantes, vt quinquaginta viros fortes, quos secum habebant, emitteret ad quærendum in vicinis montibus, vallibusve Eliam. Cumque Elisæus indicaret, frustrà laborem illum suscipi, ac ipsi vrgerent missionem, tandem, vt contentioni cederet, assensit vt mitterentur. Vt reuerterunt spe sua fraudati, dixit ad eos Elisæus, *Nunquid non dixi vobis, ne mitteretis?* Hoc exemplum meritò imitari debemus in quotidiana conuersatione cum proximis, vt quando in nostram veriorem eos sententiam trahere non possumus, omissa omni lite, vbi nullum peccandi periculum est, libenter illis acquiescamus. Ratio huius rei est perspicua; resciſſa enim contendendi materia, cauentur simul multæ auersiones, rixæ, amaritudines, detractiones, & verba probrosa, quæ hinc inde in æstu contentionis iactari solent; conseruatur quoque pax & animorum vnio, quæ præstat omnibus commodis, quæ ex contentione sequi possunt. 4. *Reg.* 2.

sunt. Ad hæc, qui primus in contentione alteri cedit, quasi victus, singularem actum humilitatis exercet, & cum proximo caritatem, post habendo illius famam suæ. Quanquam, licèt victus forte alicui videri possit, tamen honore non excidit suo, imò honorem maiorem conciliat. Verus enim honor Christiani est, persequi ea quæ sunt cum præstantiori virtute coniuncta, & quæ maiori in pretio sunt apud Deum, vt est virtus caritatis & humilitatis. Ita sacra Scriptura docet: *Honor*, inquiens, *est homini qui separat se à contentionibus.* Prou. 20.

Quandò verò contentio oritur in disputationibus litterarijs, in quibus sæpè acerrimè dimicatur pro extorquenda veritate, excessus quoque primùs cauendus est, hoc est, vt ne anhelantur clamores, ne verba probrosa effutiantur, ne ad pudefaciendum antagonistam vel ad reportandam victoriam, sed tantùm ad cognoscendam veritatem cum modestia & mansuetudine, solidis argumentis allatis, disceptatio instituatur. Veritate verò semel clarè exposita, vel si argumentis aut testimonijs ad prosequendam disputationem argumentator destituatur, tacendum est, nam inutilis con-

tcn-

tentio non illustrat, sed obscurat potius veritatem, vt benè animaduertit Dionysius Richelius in Iob scribens, sicut obscurat & obnubilat rationem. Vnde & Iob dicebat amicis suis: *Respondete obsecro absque contentione.* Iob 6.

Neque solùm cauendus est nimius oppugnando excessus, post inchoatam contentionem, sed radix etiam contentionum, hoc est, cupiditas illa aliorum dicta vel facta improbandi, euellenda est. Quare quotiescunque proximus noster quippiam dicit vel facit, quod aliquo modo in bonam partem exponi potest, aut quando aliquid dicitur, vel fit, quod reprehensione caret, siue hoc modo, siue alio dicatur, aut fiat, tum seruo Dei conuenit tacere, & ab omni oppugnatione se continere. Id enim ipse Spiritus sanctus consuluit, dicens: *Deeare, quæ te non molestat, ne certeris.* Eccl. 11. quasi dicat: De alienis dictis vel factis, quæ ad te non pertinent, hoc est, nec offendunt Deum, cuius gloriam teneris defendere, nec iniuria te, vel eos quos tueri debes, afficiunt, cum nemine contendas. Breuiter, seruorum Dei mores debent esse ab omni contentione & dissensione alieniſſimi, vt commonefecit eos B. Paulus, dicens: *De cætero, fratres,* 2. Cor. 13.

gaudete, perfecti estote, exhortamini, idem sapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum.

CAPVT XXXII.

De inordinatione linguæ, quoad verba otiosa, eiusque mortificatione.

INordinatio, vel abusus linguæ ordinarius & communis, in quem etiam impingunt, qui Deo seruire cœperunt, est effutire verba otiosa & vana. Primò haud dubium est, sermonem otiosum non carere culpa, si non mortali, saltem veniali, ob quam homo, licèt iustus, grauissimas Purgatorij luiturus est pœnas. Vt verò intelligamus, quanto studio & vigilantia nobis, quoad fieri potest, cauendus sit lapsus vel offensa venialis contra Deum; attendamus quanta verborum grauitate apud diuum Matthæum Christus Saluator noster de iudicio, & verborum otiosorum punitione locutus sit. *Dico autem vobis*, inquit, *quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicij*, quasi diceret: Ego qui Deus vester sum, de ea re vos moneo, audite magna attentione, quia seriò commendo, & magno studio à lapsibus linguæ, licèt videantur vobis leues,

Matth. 15.

nes, cauete? quia in die iudicij non de aliquibus tantùm verbis otiosis, sed de omnibus, siue grauioribus, siue leuioribus estis rationem reddituri, non vt illa vobis condonentur, sed vt propter illa iudicemini & puniamini.

Quo autem constet, quæ dicantur verba otiosa tantoperè fugienda, videamus quid sit verbum otiosum. Verbum otiosum est, inquit beatus Gregorius, *quod aut ratione iustæ necessitatis, aut intentione piæ vtilitatis caret.* Quando ergo verba nostra sunt necessaria ob bonum aliquem finem, non sunt otiosa: non solum quando finis absolutè obtineri non poterat sine illis verbis, sed quando commodè non poterat, vtrumque enim nomine necessitatis comprehenditur. Similiter otiosa non sunt, quæ cedunt in dicentis vel audientis spiritalem profectum, id enim appellat piam vtilitatem. Vnde S. Basilius: Verba otiosa, inquit, sunt, quæ nullum adferunt fructum, hoc est, quæ non seruiunt vel ad præstandum cultum diuinum, vel ad procurandam animæ salutem. Et S. Hieronymus in eandem sententiam alicubi dicit, Verbum otiosum esse, quod profertur sine vllo dicentis, audientisve fructu;

3. p. Pastor. adm. c. 5. Et ho. 65 in Euang.

Reg. breu. q. 23.

Hier in c. 12. Matth.

ctu: vt cum omissis historijs veris, narramus fabulas, & res nullius momenti: si verò narremus res fœdas & pernitiosas, aut cum immoderato cachinno, quę piorum offendant aures, tum, inquit, sermones nostri, non velut otiosi, sed vt grauioris culpæ rei castigabuntur.

Hæc quamuis certa sint, tamen negandum non est, si quis fabulam, facetumve aut festiuum aliquem sermonem de re adiaphora vsurpet, recreandi ægri, vel solandi mœsti causa, non cum verba otiosa prolaturum: quanquam considerarione moderationeque magna in hoc genere opus est, vt in huiusmodi sermonibus non solùm corporalis recreatio, sed etiam spiritualis quæratur, hoc est, ne animę noceant, sed prosint potius. Si enim tantùm ad voluptatem aurium corporalem efficiendam dirigantur, vix fieri potest, quin multa verba otiosa, ac fortè etiam animæ noxia interiściantur. Ob quod periculum sancti homines tanta vigilantia fugiebant otiosa colloquia, vt Metaphrastes scripserit beatum Ioannẽ Chrysostomum nunquam vsum fuisse sermonibus superuacaneis & vanis, nec in alijs perpessum. De hac moderatione verborum scribens beatus Vin-

cen-

centius Ferrerius hortatur, vt lingua prorsus ab otiosis abstineamus, nec rogati quidem, nisi de necessarijs & vtilibus, respondeamus: & si recreationis causa, ne sit molestus, perfacetum, & ridiculum sermonem quis ingerat, benignos quidem & comes nos præbeamus, sed nihil omnino respondeamus: & si grauatè feratur silentium, patienter toleremus, & intus in corde pro illis Deum oremus.

Mouere autem debet seruum Dei ad cauenda verba otiosa imprimis illud, quod liber erit à multis peccatis venialibus, quæ per sermones otiosos committuntur. Ad effugiendum enim vel vnicum peccatum veniale, eò quòd sit offensa Dei, meritò deberet homo non solùm omnibus temporalibus mundi consolationibus se priuare, sed etiam ad quasuis huius vitæ pœnas & calamitates perferendas offerre: quantò magis id faciendum esset ad cauenda tot peccata venialia, quot otiosis colloquijs cõmittuntur. quodlibet enim verbum otiosum est peccatũ veniale. Quãuis verò, quæ nostra est fragilitas, non possimus euitare omnes sermones otiosos: *Qui enim in nullo offendit*, inquit B. Iacobus, *hic perfectus est vir*: vitare tamen *Cap. 3.*

possumus illos, qui data opera & deliberatè, atque ideò grauioris sunt noxæ, subinde instituuntur. O quantum Deo placet studium refrenandi linguam, ne aliquid contra suam diuinam maiestatem temerè effutiat, qui ippè qui illam creauit, illi spiritum dedit, & iugo rationis subdidit, vt laudaret & glorificaret ipsum, vt faciebat sanctus ille, qui dicebat: *Laus eius semper in ore meo.* Psal. 23.

Hæc quoq; cura efficiet, vt non abotiosis tantùm, sed etiam noxijs & pernitiosis colloquijs abstineamus: certum enim est, vbi semel linguæ habenas laxauerimus ad sermones otiosos & vanos, prono cursu deuolui mox ad querelas & murmurationes aduersus proximum, ad nostras laudes extollendas, & deprimendas alienas, ac denique ad patefacienda, quæ alto silentij arcano tegenda erant: siquidem quouis peccato minori homo disponitur, vt tentatione dæmonis impulsus, facilius labatur in grauius. Etenim velut is qui precibus, alijsve operibus bonis vacat, paratior fortiorque est ad insultus Sathanæ expugnandos; sic qui re vana exponenda, spectandave detinetur, aut cibi potusve sectatur delitias, vel loquitur otiosa, imbecillior est ad impetum dæmonis su-

sustinendum, & facilè in graue aliquod crimen præceps agitur. Hæc doctrina est B. Gregorij Magni. *Lib. 6. mor. c. 18.*

Otiosa deinde verba idcircò diligentius cauenda sunt, quòd animam pace & deuotione spirituali priuent. Quid seruis Dei carius pretiosiusque esse solet tranquillitate & serenitate conscientiæ? quid feruore spiritus, consolatione & voluptate spirituali iucundius? quantum sudant ad consequenda hæc dona beneficio orationis ac mortificationis? & tamen sæpenumero horum omnium iacturam faciunt, dum se plus iusto in verba otiosa profundunt. Quemadmodum enim aqua odorifera, si inclusa sit vasi rectè obturato, suauitatis odorem retinet, secus autem, perdit. Sic conscientiæ pax, & deuotio animæ actualis, si freno silentij in corde iusti, tanquam in vase accuratè custodiatur, facilè conseruatur, & hominem ad omne bonum excitat, sin verò lingua raptis silentij repagulis in verba otiosa & vana soluatur, facilè omnis spiritalis tranquillitas ardorque Deo seruiendi perit, animaque langueſcit & obtorpeſcit in cursu pietatis inchoato. Ac nonnunquam vnum verbum otiosum hæc omnia incommoda parit. Vnde S. Dorotheus: *Serm. 20.*

Caue, inquit, à multiloquio, quia animnem sensum pietatis è cœlo delapsum extinguit. Idem diuinæ litteræ inculcant. *Vbi verba sunt plurima*, ait Sapiens, *ibi frequenter egestas*, hoc est, defectus deuotionis, ardoris, & consolationis spiritualis. Et Gegorius sedulò monet, vt otiosos sermones fugiamus, dicens: *Mecum vos admoneo, vt ab otioso sermone parcamus, inutiliter loqui declinemus, inquantum reniti linguæ valemus, in vesana verba non defluant, cùm iudex dicat, de omni verbo otioso rationem reddendam. Otiosargo colloquia ad ædificationis studium vertite, quàm celerrimè huius vitæ tempora fugiant considerate, quàm districtus veniat iudex attendite, hunc antè oculos vestri cordis ponite.*

Prou 14.

Hom. 6. in Euang.

CAPVT XXXIII.

Quibus medijs mortificandi sint linguæ abusus.

INter media ad refrenandam linguam, comprimendamque cupiditatem multa loquendi, primum est, humiliter & constanter à Domino petere donum coercendæ linguæ. Esse enim donum supernaturale Dei declarat Sapiens, dum ait: *Hominis est animam præparare, & Domini gubernare linguam.*

Prou. 6.

Li-

Licèt enim naturalibus liberi arbitrij viribus, interueniente concursu Dei communi, homo debeat cooperari refrenationi linguæ; idcircò enim dicit, *hominis esse præparare animam*, faciendo nimirum quod in se est: tamen quia tam arduum & difficile est membrum illud cohibere, vt omnes humanæ vires satis non sint, necesse est ad auxilium diuinum confugere, & magno studio donum dictum exposcere, dicendo cum Psalmista: *Pone custodiam ori meo, & ostium circumstantiæ labijs meis.* Psal. 141.

Alterum medium est, defugere occasiones temporum & locorum, vbi homo facilius se solet in nimiam effundere loquacitatem, vt quando se dedit nimiæ lætitiæ, quando plus æquo bibit, aut comedit, quando ira accensus est, quando cum hoc vel illo socio conuersatur. Vt verò non incidat in hæc incommoda, subterfugiat vanam omnem lætitiam, frugalior sit in cibo & potu, iræ perturbationem comprimat, hi enim sunt otiosorum, vanorumque sermonum fontes. Nec sanè mirum est ei, qui non cauet occasiones delinquendi, dum scit, euenire aliquod malum, siue mortis corporalis, vt dum negligit curationem morbi, siue spiritua-

lis animæ: dictum enim est ab æterna sapientia: *Vita & mors in manibus linguæ.* Prou. 18.

Iam & aliud medium refrenandæ linguæ appositissimum de cœlo habemus, vt non antè ad loquendum prosiliat quis, quàm secum attentè expenderit, sitne bonum an malũ, vtile vel noxium, quod est enunciaturus: quemque finem & scopum propositũ habeat, deinde simul mentem ad Deum erigat, ũ desiderio omnia ad gloriam diuinam faciendi, opemque & gratiam postuler, vt neminem sermone suo offendat, ac quod initio sermonis facit, id quoque in progressu repetat. Et quoniam seruus Dei applicando intentionem suam ad ea quæ eloquitur, facit quod suarum est partium, orandoque impetrat, vt Deus faciat quod suum est, hoc est, vt gratiam suam largiatur, facilè obtinebit quod vult, vt non offendat lingua vel Deum, vel proximum, sed potius ædificet. Sic de Nehemia Scriptura diuina dicit, cùm in conspectum Regis Artaxerxis veniisset, & Rex percunctatus eum esset, quid à se peteret? illum orasse Deum cœli, vt sciret quid petendum foret, & tunc petitionem suam proposuisse. 2. Esd. 2.

Hoc

Hoc medium docuit nos Spiritus sanctus: *Ne temerè, inquit, quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coram Deo* q. d. nihil loquaris, nisi consideratè. Nam vt alibi dicit: *Qui inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala.* hoc est, culpæ & pœnæ, quæ inde oriuntur. Atque hoc est quod per beatum Iacobum monuit: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum.* nec enim loquitur de tarditate qua quidam inter singula verba prolata respirant, sed de ea, quæ contraria est temeritati, qua nulla antegressa consideratione quiduis effutiunt, quod in buccam venerit. Idem significant verba illa Ecclesiastici: *In ore fatuorum cor illorum, & in corde sapientium os illorum.* Stultos enim vocat inconsideratos & imprudentes, qui cor ideò dicuntur habere in lingua, quòd loquantur quicquid in buccam venerit, haud secùs quàm si cor & lingua vnum membrum essent. Contra sapientes vocat seruos Dei, qui ideò linguam habere in corde dicuntur, quòd non alia in publicum efferāt, quàm quę antè in cordis penetralibus, adhibita in consilium ratione, considerata fuerint.

Eccl. 5.

Prou. 18.

Iacob 1.

Eccles. 21

Ex hac consideratione omnis recta

linguæ gubernatio pendet. Ex hac oritur, vt verba non sint otiosa, sed necessaria & vtilia, hinc fit, vt serui Dei suis colloquijs pijs & sanctis se & alios ædificent, & multos ad amandum laudandumque Deum inflamment. In Verbo Dei legimus nunquam apertos fuisse cœlos, nisi magna aliqua de causa, & cum ingenti fructu. Semel aperti filijs Israel effuderunt manna cibum nobilem & suauissimum, quo ipsum deserto victitârunt, alijque multi hoc miraculo ad cognoscendum, colendumque verum Deum excitati. De quo Dei beneficio ait Psalmista: *Ianuas cœli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum.* In baptismo quoque Christi patefacti sunt cœli, & vox æterni Patris suauissima insonuit, ac Spiritus sanctus in columbæ specie descendit. In morte item sancti Stephani apertis cœlis apparuit Christus stans ad dexteram Patris, vt significaretur illum pugnare pro Sancto. Homines iusti in eodem Dei Verbo appellantur cœli, qui, vt loquitur Dauid, enarrant gloriam Dei; cœli inquam spirituales, multò præstantiores istis materialibus. Ianua horum cœlorum est os vel lingua. Vult itaque Deus, quod æquum est

Psal 77.

Matth. 3.

Act 7.

Psal 18.

est, nunquam hos cœlos patefieri sine iusta causa, vel vt emittant manna, hoc est, sermones sanctos, qui ædificent, & solentur audientes, vel vt descendat Spiritus sanctus, id est, verba talia vsurpentur, quæ excitent animos, vel ad compunctionem de peccatis, vel ad diuinum amorem, vel certè ad ea virtutum opera, quorum beneficio nobis à Deo Spiritus sancti charismata communicantur. Vel denique vult patefieri, vt nobis spectandum se præbeat Christus, hoc est, talibus nos vti sermonibus, quibus alijs aditus paretur ad veram gloriæ & potentiæ Christi cognitionem, eorumque donorum, quibus ille cultores suos locupletare solet.

Quod terra exhalet vapores & nebulas, & aqua stagnans gignat ranas, res naturalis est: quando autem cœlum emittit vapores, & ranas, res extraordinaria est, & diuina plaga. Sic quod peccatores rebus huius mundi caducis, & fluxis immersi, de rebus vanis & inutilibus loquantur, & instar ranarum multa, quæ Deum & proximum grauiter offendant, garriant, mirum non est. Sed si serui Dei, quorum cor defixum est in cœlis, & vitæ cœlestis pro-

fessionem faciunt, simili sermone vtantur, id mirandum est, & diuinæ punitionis argumentum. Vnaquæque enim arbor producit fructum suæ naturæ congruentem: Iustus ergò cum sit homo spiritualis, homo Dei, homo in quam, cœlestis, meritò etiam loqui debet de Deo, de rebus spiritualibus, de cœlo, aut certè de rebus eò collimantibus, vt omnes magni Dei serui fecerunt.

Sur. in April. Sanctus Gregorius Turonicus narrat Nicetium presbyterum, postea Episcopum Lugdunensem, cum alijs virtutibus, tum hac imprimis excelluisse, quòd nulla verba, nisi sancta & pia fineret ex ore suo elabi, otiosa autem, vel iocosa nunquam. Imò quod grauiter ferret ad aures suas deferri aliorum dicta contumelioſa etiam in se iecta. Aiebat enim non esse audienda, quæ ex perturbatione animi alij effutiuissent. De Sancto Thoma Aquinate quoque in vita proditur, eum nullum solitum miscere sermonem cum alijs, quibuscum conuersabatur, nisi de rebus pijs, & ad salutem animæ spectantibus: eaque de causa orandi, & meditandi consuetudinem non fuisse illi vnquam molestam, vel grauem. De S.

Surius in Martio.

Moni-

Monica matre sua ait Augustin⁹, quod cum illa colloquia habuerit de rebus cœlestibus, ex admiratione rerum creatarum gradum fecerit ad tractationem de pulchritudine & maiestate creatoris. B. Lutgardis, virgo sanctissima, vt commemorat in eius vita Thomas Cātipratensis oculatus testis, simplici oratione & plana de rebus sanctissimis tam efficaciter loquebatur, vt omnium circumstantium corda incenderet, & sapientibus magnæ admirationi esset. *l. 9. confess. c. 9.* *Sur. in Iun.*

Hic perpetuus fuit Sanctorum hominum spiritus, ac proinde meritò ab omnibus Dei seruis imitandus. Qui magnoperè promoueri potest, si se assuefaciant sermonibus pijs crebrò auscultandis, euoluendisq; libellis & tractatibus spiritualibus, sic enim in congressibus familiaribus suppetet loquēdi materia. Felix profectò & beata erit anima eius, qui id fecerit: quotidiè enim occasiones multorum lapsuum, qui linguæ lubricitate committuntur, cauebit: & consuetudine salutaria loquendi accumulabit merita, gratięque & gloriæ thesauros in cœlis, conuenienter dicto Christi. *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.* *Matth. 12.*

Si e-

Si enim verba nostra fuerint bona & fructuosa, in iustitia accessionem facie-mus: sin inania & pernitiosa, prograuitate noxæ, ad Infernum vel Purgato-rium damnabimur.

FINIS II. PARTIS.

III. PARS.

IN QVA DECLARATVR, QVA discretione exerceri debeat mortifica-tio, & quibus rebus impe-diatur.

PROOEMIVM.

POst quam seruus Dei desiderio teneri cœpit exercendæ mortificationis, cognouitque cœlestia & spiritualia bona, & dona, quæ ex ea consequũtur, superesse, vt intelligat, qua moderatione vsurpari debeat mortificatio vitæ Christianæ tam necessaria & fructuosa, ne ex ipso vsu aliquod damnum emanet, & explora-tas habeat dæmonis tentatio-nes, ac media, quibus illæ expugnentur.

CA-

CAPVT I.

De discretione tenenda in exercitio mortificationis externæ, pro comparanda vera animæ puritate.

PRudentiæ & discretionis est, hominem in actionib. virtutum per media dirigere in suum finem, efficereq; vt media aptè conditioni finis respondeant. Sicut ergò in omni exercitatione virtutis, ita multò maximè in vsu mortificationis opus est norma discretionis: quæ si adsit, ingens & eximius existit fructus, si desit, magna sæpè fit iactura animi, & corporis. Vt autem non aberremus à scopo, sciendum est omnium corporis mortificationū, quæ fiunt per labores, ieiunia, cilicia, disciplinas, nuditatem, aliasque asperitates, finem esse internam animæ puritatem, & perfectionem. Puritas in eo consistit, vt anima exculta sit præstantissimis quibusque virtutibus, vt humilitate, patientia, castitate, fortitudine, ac imprimis charitate. In his enim vera sanctitas, & perfectio hominis spiritualis sita est. Has autem virtutes Deus tum in animam nostram effundit, cùm adiuuante diuina gratia eam expur-

S. Thom 1.2. *q.* 66 *a* 3. *Et* 2.2.*q.* 47. *a.* 7.

Cassian. coll. 2.c. 16. *&* 17.

expurgàuerimus à peccatis: munditia enim illa est immediata dispositio ad virtutes; quoque anima plus à peccatis mundatur, hoc à Deo virtutibus amplius illustratur.

Vnde libenter fatemur, in mortificationibus non esse positam vitę Christianæ sanctitatem & perfectionem, sed esse tantùm instrumenta, & media, à Deo ordinata ad consequendam facilè sanctitatem, & perfectionem. Qua de causa Basilius: Necesse est omnia corporis exercitia, vt est abstinentia à cibis, & alijs, à nobis ad suum scopum dirigi, nempè ad comparandas veras animi virtutes; quò si non dirigantur, neque bona, neque mala ex se sunt, sed adiaphora, si verò dirigantur, laudem virtutis obtinent. Eadem est aliorum sanctorum Patrum sententia, quam præclarè apud Cassianum exposuêre sancti Abbates, Moyses & Theonas. *Ieiunia*, inquit Moyses, *vigiliæ, meditatio scripturarum, nuditas, ac priuatio omnium facultatum, non perfectio, sed perfectionis instrumenta sunt, quia non in ipsis consistit disciplinæ illius finis, sed per illa peruenitur ad finem.* Et alibi Theonas fusè asserit, ieiunia, cæterasque carnis afflictiones esse vtiles ad

Lib. de vera virgin.

Cass. coll. 1. c. 7.
S. Thom 1.2. q. 186 a. 1.
Cass. coll 21. c. 14. 19. 15.

ad obtinendam charitatem, fortitudinem, iustitiam, temperantiam, & veritatem, in quibus primarium hominis bonum consistat, eò quod hæ virtutes suapte naturâ sint bonæ, omnique tempore & loco necessariæ, afflictiones verò carnis bonæ non sint, nisi quatenus referuntur ad obtinendam cordis puritatem, & mortificandas animi passiones, vt mens humana expurgata à sordibus, his mediis possit se cum suo creatore coniungere. Hanc doctrinam etiam S. Paulus vnica sententia ad viuum expressit, cùm diceret: *Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto*: quorũ verborum hic sensus est. Dona, quorum beneficio Christus regnat in iustis, esse primò virtutem iustitiæ, qua voce comprehendit omnes virtutes interiores, quibus homo iustificatur; deinde pacem, & gaudium spiritale cum reliquis Spiritus sancti donis & fructibus. Vesci verò, vel abstinere ab hoc vel illo cibo, aut potu, alijsque id genus, quæ natura sua sunt indifferentia, eatenus bona & laude digna sunt, ac ad regnũ Christi pertinent, quatenus homo ea dirigit ad virtutes animæ consequendas, vel certè quatenus lege Dei, vel Eccle- Rom. 14.

Ecclesiæ ad eundem scopum dirigantur.

Quare seruo Dei omni opé & studio laborandum est, vt sicut sedulus est in corpore ieiunijs, cilicijs, disciplinis, alijsque similibus castigando, sic impiger sit in cauendis verborum otiosorum, & peruersorum operum, prauarumque cogitationum & consiliorum lapsibus, faciatque satis obligationibus, quas status eius postulat, sectetur iustitiam & charitatem, passionibus concupiscentiæ internis, iræ quoque & superbiæ, alijsque fortiter obsistat, seruata patientiæ, mansuetudinis & humilitatis lege. Deinde mortificationes suas, & pœnitentias Christo Domino passioni eius copulandas in eundem finem offerat, nempe ad impetrandas virtutes principales, & dona Spiritus sancti, in quibus sanctitas, perfectioque consistit: sic enim externa mortificatio magni erit valoris, & meriti, & efficax erit ad impetranda, quæ diximus. Quòd si specialis illa consideratio alicui non occurrat, sed tantùm eo generali respectu se mortificet, vt faciliorem aditum habeat ad virtutes, suo fructu spirituali & merito singulari non carebit.

Hæc

Hæc documenta tam salutaria, necessariaque traduntur à Sancto Augustino. *Duo*, inquit, *sunt abstinentiæ & crucis genera, vnum corporale, aliud spirituale. Vnum à potu, atque à cibis temporale, appetitum gulæ à delectationibus, & mollissimis suauitatibus coercere, &c. Alterum genus est pretiosius atque sublimius, motus animi regere, & perturbationes illius modestiæ tranquillitate placare; iræ atque superbiæ impetus quasi feram bestiam refrænare, increpare se quadam censura austeritatis & virtutis, voluntates proprias abnegare, easque interiori examinatione discutere, &c.* Hæc Beatus Augustinus. Vbi liquidò demonstrat, quantum discrimen sit inter mortificationem externam, qua castigatur caro, & internam, qua perturbationes, ipsaque propria voluntas mortificatur, ac anima à vitijs expurgatur, nec obscurè indicat externam illam, vti minus principalem, velut medium referendam ad internam, vt magis principalem & finem alterius.

Aug. serm. 1. de S. Ioann. Bapt.

CA-

CAPVT II.

Quæ fraudes beneficio dictæ discretionis auertantur.

HAc doctrina iam tradita binæ fraudes, vel errata in hac materia facilè intelligi, & cauerique unt. Prima est multorum, qui postquam seruire Deo cœperunt, maximum studium ponunt in mortificanda carne ieiunijs, cilicijs, disciplinis, pedum nuditate, & alijs id genus exiguis autem in fugiendis sermonibus otiosis, mendacijs, detractionibus, impatientia, curiositate, profusa lætitia, charitatis etiam opera negligunt, atque multa prætermittunt, quæ ratione officij, status, & professionis alijs præstare deberent. Licet enim mortificationes corporales bonę sint, & fructuosæ, vt suprà docuimus, tamen illis anteferenda est animæ puritas, etiam à noxis leuibus & venialibus; mortificationes enim illā pro scopo & fine propositam habent. Atque in cultu seruitioque diuino pluris refert fugere vnum lapsum venialem, lege enim diuina id nobis mandatum est, quàm multas voluntarias assumere mortificationes.

Narrat

Narrat Metaphrastes magnum Arsenium in colloquio quodam, in quo multas occultas dæmonis tentationes detexit, inter alia hæc elocutum. Fratres, finis & scopus, cur mundo & pompis eius renuntiauerimus, est, expurgatio animæ, hocque medio à Deo obtinere veram perfectamque salutem spiritualem. Quidam hãc puritatem consequi student quoad carnem, & vitia externa, & idcircò plurimum se exercent ieiunijs, alijsque afflictionibus corporalibus: verum non perinde laborant in expurganda anima à vitijs & defectibus internis, atque occultis, vt superbia, temeraria præsumptione, nimia cupiditate honorum, & bonorum temporalium, inuidia, æmulatione, alijsque affectibus, quorum bellum est maius, & victoria difficilior Itaque fit, vt tales similes euadant statuis, quæ extrinsecus quidem inauratæ sunt, venustisque coloribus depictæ, sed intus vili & abiecta constant materia. Hucusque B. Arsenius, qui vt erat litteris etiam humanis excultus, & lumine diuino plenus, probè intellexit, in quo consisteret vitæ Christianæ religiosæque perfectio. *Sur. in Iulio.*

Huius doctrinæ veritas confirmari

posset

posset multorum exemplis, qui non nimaduersa hac fraude & deceptione, in multos errores, & atrocissimos casus inciderunt. Exempla legi apud Cassianum collatione Abbatis Moysis secunda possunt: Et in vita S. Francisci legitur, religiosum quendam mortificationi exteriori ita fuisse deditum, vt nudis pedibus incederet, in sarmentis nocte cubaret, solo pane aquâ nonnihil mollito victitaret, ac nomen etiam hominis Sancti obtineret, qui si mortificationes illas ex humilitate retulisset ad obtinendam humilitatem cordis, verè sanctus extitisset. Verum quia curam nullam habuit hominis interni, vt animam à vitijs & passionibus expurgaret, in tantam deuenit cæcitatem, vt etiam cõtra paupertatis votum sibi peculium vsque ad obitus horam vsurpârit, quod indicium non obscurum erat æternæ suæ damnationis. Et B. Eusebius Emissenus ad eos, qui Deo seruire cupiunt, scribens: Fratres, inquit, scitote, non satis esse affligere carnem ieiunijs & vigilijs, si interiora negligamus, & mentem non purgemus à vitijs. Quid enim prodest, castigare corpus, si lingua contaminetur sermonibus detractorijs? frustrà gloriamur de insti-

Hom. 4. ad monach.

inflictis carni verberibus, si mentem non liberemus passionibus internis. Idem confirmat apposita quadam similitudine: Si, inquit, cuipiam in grandi campo esset vinea, omnemque laborem ille impenderet in colendo campo extra vineam sito, vineam autem sineret compleri spinis & vepribus, nonne ille frustrà laborasset? Sic contingit homini mortificanti corpus, animamque spinis passionum plenam relinquenti. Quod autem dicit Eusebius, mortificationem externam nihil prodesse negligenti internam, id intelligendum est de fructu meriti, in eo qui obnoxius est peccato mortali. Nemo enim operibus mortificationis quantumuis maximis mereri potest vitam æternam, nisi sit iustus. Iis autem, qui dum in gratia Dei sunt, negligunt mortificationes internas, externæ non multum prosunt; longè autem plus prodessent, si ad puritatem cordis obtinendam dirigerentur. Vnde idem sanctus alibi eosdem sic alloquitur. Quid prodest affligi vigilijs, laboribus, & ieiunijs, dum negliguntur ea, quæ DEVS maximè à nobis exigit? vt nempè, quantum in nobis est, cor nostrum à culpis leuioribus

Hom. 6. ad monach.

mundum conseruemus: nam à leuioribus lapsibus proximus gradus est ad grauiores.

Altera fraus, quæ ex superioris capitis doctrina detegitur, est communis vulgi, nempè eorum, qui arbitrantur, ex mensura mortificationis externæ in ieiunijs, disciplinis, alijsque asperitatibus, metiendam esse cuiusque serui Dei sanctitatem & perfectionem: vt quò quis seuerius castiget corpus, hoc sanctior censendus sit: etiamsi enim pœnitentiæ illæ exteriores sint admodum gratæ Deo, & animæ nostræ salutares, tamen in ijs non est sita sanctitas vera, & vitæ Christianæ, aut religiosæ perfectio, sed in charitate, patientia, humilitate, mansuetudine, iustitia, misericordia, alijsque virtutibus cum charitate necessario connexis. Itaque è seruis Dei is sanctior & perfectior est, qui humilior, mansuetior & patientior est, charitate in proximum ardentior, qui puritatis studiosior, qui voluntatem suam diligentius abnegauit, & diuinæ subiecit. Pœnitentiæ enim, & mortificationes externæ, vt diximus, sunt tantùm instrumenta, & adminicula ad veras virtutes, earumque perfectionem consequendam, ac proinde quo quis-

quisque plus in illis profecerit, hoc fine ob oculos posito, hoc sanctior & perfectior in conspectu DEI efficietur. *Charitas enim*, vt habet Apostolus Paulus, *est vinculum perfectionis*: tum quia in illa præcipuè consistit perfectio, tum quia secum trahit omnes virtutes veras & solidas, in quibus sita est essentialis vitæ Christianæ perfectio. Coloss. 3.

Hæc hactenus eò dicta sunt, vt serui Dei rectè de virtutum operibus iudicare possint, & cuique suum attribuere valorem, præstantiusque & principalius bonum alijs anteponere. Cæterùm minimè ex hac doctrina sequitur, idcircò eos, qui impensè mortificationi externæ dediti sunt, in magna veneratione non esse habendos: quia piè existimandum est, eos quoque non negligere internam, omnesque actiones suas referre ad obtinendam cordis puritatem, & virtutum perfectionem, talesque in Dei esse conspectu, quales videntur esse apud homines. Si enim secus fiat, temeritatis notam vix effugiemus. Nam, vt dicit Saluator, *non potest arbor mala bonos fructus facere, nec bona malos*. Cùm ergo mortificationes externæ cum bonis Matth. 7.

moribus coniunctæ, sint boni & laudabiles fructus, non possunt ordinariè, nisi ab homine verè bono proficisci.

CAPVT III.

Qua moderatione mortificatio instituenda sit, vt nec vitæ, nec viribus ad diuinum seruitium præstandum necessariis obsit.

DEVS Optimus Maxim. vitam, sanitatemque corporis nobis concessit, vt tanto commodius ei seruiremus. Et quamuis tollentem vtramque à nobis Deo, moderatè ferre debeamus, tamen quia vitæ nostræ domini non sumus, non licet nobis eam pro arbitrio nostro abbreuiare, vel abscindere: imò mandatum à Deo habemus illam per media rationi congruentia seruandi. Quanquam nemo pro tuenda vita eiusue incolumitate tenetur vel quæuis, vel optima media vsurpare, vt verbi causa, meliores cibos, præstantiora vina, habitationem commodiorem, sed satis est vti communibus, & ordinarijs. Cum enim corporis vita sanitasq; sit bonum temporale & caducum, multò infimus vita & salute animæ spirituali, volunt Deus

Victor relect. de homicid. 2.36. Et relect. de temperan. n. 13 14 15. Medin. de

Deus nos ad alia media obligare. Licet & obliget ad abstinendum ab eo cibo potuque, quem constaret notabiliter vel vitam abbreuiaturum, vel sanitatē imminuturum. Itaq; seruus Dei, ardens castigandæ carnis, fructusque mortificationis excellentes percipiendi desiderio, non debet vel ieiunijs, vel vigilijs, vel cilicijs, alijsue pœnis eam affligere, quas experientia, vel admonitione virorum in spiritali vita exercitatorum, cognouit, notabile damnum vitæ vel valetudini afferre: nam si exiguum tantùm damnum sit, non tenetur ab eiusmodi mortificationum genere, maximè si sentiat se inde iuuari ad vitæ probitatem, abstinere. Quemadmodum enim licet, magnæque virtutis est, & meriti apud Deum, periculo mortis se exponere pro salute spiritali, vel corporali proximi, vt faciunt, qui inseruiunt peste laborantibus: sic magnæ virtutis est, ad procurandam animæ nostræ salutem, per mortificationem exponere se periculo exiguo vitæ, & incolumitatis corporalis, modò vt paulò post dicemus, id fiat cum facultate superiorum, & citra præstantiorum operum dispendium.

pœnit. q. vlt. de ieiun. *Soto l. 5. de iust. q. 1. a. 6.* *Vict. ibid. n. 25* *Soto ibid.* *Ioan. Nider in consolat. p. 3. c. 7. 8.*

Hoc fundamento iacto, quod nitē-

tur doctrina Theologorum communi, & ab omnibus recepta, seruus Dei eligat ea mortificationum genera, quæ minus officiant sanitati, vt sunt ieiunia ordinaria, diuerberationes corporis citra sanguinem, cilicia ex pilis equinis, durior lectus, & alia, quæ valetudinem lædere non solent. Nullo autem modo suscipiat, quas reipsa animaduertit sanitati obesse. Sanct. Basilius disertè monet, in cohibenda per abstinentiam carne, eam moderationē tenendam, vt ne frangantur corporis vires: sicut enim noxium est indulgere appetitui cibos, quoscunque adamarit, sic rationi repugnat, imò stultitiæ affine est, corpori necessaria ad officium præstandum alimenta subtrahere. Rationem autem huius sui monitiaddit huiusmodi. Sicut enim, inquit, equus plus æquo saginatus, & lautè tractatus suum sessorem in terram præcipitem agit, & calcibus ferit, macilentus autem & ieiunè habitus nullis flagris adigi potest, vt progrediatur; sic qui nimis lautè corpus suum nutrit, facilè in omnis generis vitia ab illo præceps agitur; qui verò asperè & durè illud tractat, tandem in cursu pietatis semel susceptæ deficere cogitur.

Lib. de vera virgin.

Hæc

Hæc Sanctus Basilius, quod pressius declarans Sanctus Hieronymus. *Quicquid, inquit, illud, quod inflammare corpus potest, quod fomentum suggerit voluptati, castitatis amore fugiendum est. Nec tamen ita magno huius rei labore grauari te volumus, vt sub ipso statim onere succumbas. Optimus est in omni re modus & laudabilis vbique mensura. Corpus non frangendum, sed regendum est.* Id ratio discretionis à nobis postulat, vt quoniam mortificatio corporis instituta est ad tollendū & mortificandum malum, non mortificemus id quod bonum est. Malum quod in homine est, est culpa, inclinatioq; ad culpam. Quando ergò homo sic mortificat corpus, vt relinquat illi robur sufficiens ad exercendam virtutem, tū mortificat malum. Quando verò ita frāgit eius vires, vt languidior in bonorum operum exercitatione reddatur, mortificat in eo bonum, ita docet B. Gregorius in suis moralibus. *Sic necesse est, inquiens, vt artem quisq; continentiæ teneat, quatenus non carnē, sed vitia carnis occidat. Nā plerunq; dum plus iusto caro restringitur, etiam ab exercitatione boni operis eneruatur: vt ad orationem quoque, vel prædicationem non sufficiat, dum incentiua vitiorum in se funditus suffocare festinat. Adiutorem quippe*

Ad Demetriad. virg.

Lib. 30. c. 28.

habemus intentionis internæ hunc hominem, quem exterius gestamus, & ipsi insunt motus lasciuiæ, ipsi effectus suppetunt operationis bonæ. Sæpè verò dum in illo hostem insequimur, etiam ciuem, quem diligimus, trucidamus: & sæpè, dum quasi conciui parcimus, ad prælium hostem nutrimus. Eisdem namque alimentis vitia superbiunt, quibus nutritæ virtutes viuunt. Et cum virtus alitur, plærunq; vires vitiis augentur. Cùm verò immensa continentia vitiorum vires exinuat, etiam virtus deficiens anhelat. Vnde necesse est, vt interior homo noster equum quidam arbiter præsideat inter se, & eum, quem exterius gestat, quatenus ei homo suus exterior, & semper ad debitum ministerium seruire sufficiat, & nunquam superbè libera aeruice contradicat, nec moueat, si quid suggerendo submurmurat, dummodo eum semper superposita calce dominationis premat. Ex his Beati Gregorij verbis colligitur primaria discretionis regula, quam seruare debemus, vt nempè sic mortificemus corpora nostra, vt sanitatem & vires eius necessarias sic integras seruemus, vt omnibus suis necessarijs functionibus facere satis possit, omniaq; virtutum prosequi exercitia, quæ ad salutem animæ nostræ spiritualem procurandam requiruntur. Quomodo autem

autem in executione huius doctrinæ nemo debeat suo iudicio fidere, sed libenter obsequi patris spiritualis, vel Confessarij consilijs, iam antè monuimus.

CAPVT IV.

Quatenus mortificatio exercenda sit, sine impedimento operum præstantiorum; quaque discretione in ea imitandi Sancti.

NON solùm mortificatio carnis eò moderanda est, vt suppetant nobis integræ vires ad cætera officia pietatis ritè decenterque obeunda, verùm etiam, vt opera charitatis ad consolationem proximorum, siue ex præcepto, siue ex consilio præstanda, non impediantur. Exempli causa, si ieiunium temperandum est, ad seruiendum promptius ægro, visendos carceres, aliosq; afflictos solandos, id omninò faciendum. Similiter, si ad recreandum hospitem, vel peregrinum etiam carnibus vescendum est ei, qui statuerat ab omnibus carnibus, & piscibus sponte se abstinere, consultius id faciet, quàm si propositi sui tenax sit. Quòd idem dicendum est de alijs operibus,

maximè quando illa opera charitatis pertinent ad commodum proximi. Ratio huius est, quia opera præstantiora semper anteferenda sunt minus prestãtibus, at constat opera charitatis longè præstare, & Deo gratiora esse operibus, quamuis magnis, externæ mortificationis, si illa voluntariè, & non ex præcepto sint susceptа. Quare meritò dicit S. Hieronymus. Non mediocriter hallucinari, q̃ media bona præferunt summis, ieiunium caritati. Cùm enim caritas sit mortificationis, omniumq; virtutum finis, proculdubio hæc secũdùm illam moderari debet.

c. nõ mediocriter, de Cons. d. 1.

B. Theodoretus commemorat Martianum monachum sanctissimum, licet in seculo fuisset regia stirpe oriundus, tamen postquam se in eremum abdidit, tanta seueritate vitam traducere cœpisse, vt in quartum vsque diem vna tantùm panis libra contentus fuerit. Et tamen cum aliquando ad eum diuertisset Auitus monachus, vir summæ abstinentiæ, moderata ieiunij consueti lege, mensam illi apposuit, ac ad prandendum suo etiam exemplo inuitauit. Et cum Auitus constanter negaret se à more suo discessurum, hoc est, vt nihil ante occasum solis degustaret; Martianus

In hist. religiosa.

nus ob pertinaciam illius in iudicio proprio ingemuit,& dixit. Nos quoq; amice, complexi sumus vitæ genus, quod profiteris, & maiorem laboris, quam quietis, ieiunij quam manducationis rationem habemus: sed id quoq; non ignoramus, caritatem nobiliorem esse virtute ieiunij, ac proinde meritò hoc si spontaneum sit,illi posthabendũ est. Hac oratione Martianus docuit liquidò,qua discretione seruanda sint ieiunia, aliæque similes mortificationes. Atque hanc doctrinam omnes sancti verbis & exemplis confirmârũt, vt tradit B. Augustinus in libro de moribus Ecclesiæ, in quo postquam recensuisset graues Sanctorum sui æui pœnitentias, maximè monachorum, seueraque eorum ieiunia, subiungit. *Charitas præcipuè custoditur, caritate victus, caritati sermo, caritati habitus, caritati vultus aptatur: hanc si quis offendit, vno die durare non finitur. Sciunt hanc ita commendatam esse à CHRISTO & Apostolis, vt si hæc vna absit, inania; si hæc adsit, plena sint omnia.* Cap. 38.

Vna tantùm difficultas hic occurrit seruis Dei mortificationis,&perfectionis studiosis, ob admirandas pœnitentias & mortificationes, quas leguntin

Sanctorum vitis, an non illas imitari debeamus, cùm Deus in diuina Scriptura nos ad eorum mores imitandos inuitet, & Ecclesia sancta eorum exempla in dies ob oculos ad imitandum proponat. Ad hoc respondemus: duplices in vitis Sanctorum expressas virtutes. Quædam sunt principales, in quib. diximus constitutam vitæ Christianæ perfectionem, veramque sanctitatem, vt est interna humilitas, mansuetudo, patientia, castitas, misericordia, charitas, propriæ voluntatis, iudicij, & passionum mortificatio, peccatorum odium, munditia cordis. In his omnes possumus imitari Sanctos, nullo etiam præfixo modo & mensura: siquidem in harum imitatione, nullus est excessus, nullum damnum, nullum absurdum, sed quo quis plus profecerit in humilitate, abnegatione sui, puritate, patientia, & charitate in Deum & proximum, hoc Deo gratior erit, & plus animæ suæ proderit. Aliæ verò virtutes sunt min⁹ principales, vt sunt mortificationes externæ, ieiunia, paupertas, tolerantia æstus, frigoris, imbrium, aliorumq; incommodorum & pœnarū temporalium, in quibus non consistit perfectio, & sanctitas, sed sunt instrumenta

menta & media quibus perducimur ad perfectionem. In his autem Deus vult nos imitari sanctos iuxtà certum quendam modum & mensuram, hoc est, vt afflictiones illas externas vsurpemus cõuenienter viribus naturalibus ab eo conceſſis. Nam clemẽtiſſimus Deus qui ſeruis ſuis immẽſam impertiuit donorum ſuorum copiam, vt poſſint eſſe perfecti, & in veris ſolidisque virtutibus humilitatis, patientiæ, caritatis, & cęteris progreſſus facere: idem ad exercẽdas mortificationes externas nõ impertiuit omnibus eaſdem vires & pręſidia, ſed alijs plura & maiora, alijs minora & pauciora: quia contentus eſt, ſi quiſq; ſecũdùm facultatem ſibi datam ſe exerceat. Qua moderatione ſi ſeruus Dei vtatur, non ideò iacturam facit alicuius boni: ſi enim non poteſt ſine manifeſto valetudinis ſuæ damno tanta ieiunia, quanta vſurpârũt ſancti, ſuſtinere, vel alias ferre aſperitates, poteſt ęquè ac illi tantam animi ſubmiſſionem, patientiam, manſuetudinem, puritatem cordis, ac deniq; ſinceram caritatẽ ſectari, in quibus virtutibus, quo quiſq; plus profecerit, & ſimul voluntatẽ promptã habuerit plures mortificationes, grauioresq; ſubeundi, ſi vires ſuppeterẽt, hoc copioſius exer-

næ mortificationis defectum supplebit.

Ex hac doctrina error eorum liquet, qui nullum ponunt studium in imitandis primarijs SS. virtutibus, cùm tamen auxilia à Deo sufficientia pręstò sint: ponunt autem in extraordinarijs pœnitẽtijs, pro quibus imitandis vires sufficiẽtes nequaquam acceperunt. Scriptura diuina narrat Deũ Iudæ Machabęo eiusq; fratribus, & quotquot ex eius stirpe erãt inusitatam animi fortitudinẽ in oppugnandis gentibus cõcessisse, sic prorsus, vt paucorum militum ope ingentes fugaret exercitus, nam sex millibus aliquãdo deleuit centum hostium millia. Alij Israelitę qui ex illa stirpe non erant, conati sunt quidem imitari illos, sed gentilium armis deleti sunt. Cuius euentus causam illam Scriptura reddit, quod nõ fuissent ex eorum prosapia, quos Deus singulari sua prouidẽtia elegerat ad vindicandam populi Israelitici libertatem. Idẽ contingit in conflictu spirituali aduersus hostes animę, vt qui insolitis pœnitentijs ad imitationem sanctorum pugnam inire volunt, sine peculiari Dei auxilio, in grauissima incidant mala. Nam primò consuetis corporis viribus destituuntur, tum irruunt morbi varij, hinc, inquit S. Basilius, omnia pristina vir-

1. Mach. 2. 3.

virtutum exercitia deseruntur, & opus est ad illos curandos multis ministris. Verùm & postea incipiũt ab omni mortificationum genere abhorrere, vt nec leuissimas deinceps subire velint, alijsque autores sint, ne subeant: ac quod peius est, vt animaduertit S. Vincentius, fraude callidissimi dæmonis eò pertrahuntur, vt totos se dedant inquirendis corporis commodis in cibo, potu, somno, otio, alijsq; carnis voluptatibus, ac proinde nec longè absint à grauibus peccatis, in quæ tales sæpè turpiter relabũtur. Hęc verò omnia mala auerti possunt seruata discretionis regula, secundùm documenta & exempla Sanctorum.

De vita spirit. c. 3.

CAPVT V.

Quibus rebus impediri soleat exercitium mortificationis, ac primò quidem doctrina quorundam.

NOn satis est, explorata nobis esse media, quibus excitemur ad mortificationis exercitium, ac discretionem, qua illud temperemus, verùm etiam opus est notas nobis esse tentationes, quibus humani generis hostis illud impugnare consueuit. E quib⁹ vna est, doctrina quorundam authoritate & eruditionis fama præstantium vi-

virorum, qui, vt exercitati non sunt in mortificationis ludo, nec experti sunt nobilissimos eius fructus, etsi diserte eã non improbẽt, quod salua fide non possunt, tamen dicta quędã generalia vsurpant; quę malè intellecta non parũ multos à mortificationis studio deterrẽt, vt dum dicunt, Christiano homini ad salutem sufficere, si diuinis præceptis obsequatur Posse quemuis hominem indulgere corpori recreationes & alia cõmoda, quandoquidem licita sint, & legi diuinę non repugnẽt. Mortificationes, aliasq; pœnitẽtias externas, esse quidem bonas, sed non necessarias, exceptis ieiunijs Ecclesiæ, & pœnitentijs à Sacerdote in confessione iniunctis: Deũ præcipuè à nobis exigere cor nostrum, & virtutes animi. His, similibusq; dictis, quibus sana potest subiecta esse sententia, imperitis persuadent, parum prodesse externas istas pœnitẽtias & mortificationes; quæ conclusio vera nõ est, nec sana, sed falsa & perniciosa. Et quamuis ad intelligendam veritatem, fraudemq; illam auertẽdam satis esse possint, quę in prima parte dicta sunt de mortificationis fructibus, tamẽ ęquum est, vt pro quiete & solatio aliquorum respondeamus ad obiecta, & declaremus, quomodo intelligen-

genda sint illa dicta, vt de vero ac legitimo eorum sensu constet.

Quod enim ad primum attinet, fateor ad salutem fideli sufficere diuinorũ prę-ceptorum, Ecclesiæ, & Superiorum obseruationem; verùm addo, ad præstanda præcepta post naturæ nostræ corruptelam ex peccato secutã opus esse præsidio mortificationis. Nã cùm in homine remanserit non parua ad malum ꝓpcliuitas, caroq; capitalem inimicitiam gerat cum spiritu, non certè potest communibus fultus præsidijs omnes tentationes cum præceptis dictis pugnantes excutere, nisi auxilium aliquod petat à mortificationis exercitio, tũ ad perturbationes animi carnemq; domandam, tum ad obtinendam perseuerandi gratiã. Itaq; licèt mortificationes vltrò susceptæ necessariæ non sint ad salutem, sicut præcepta, tamen necessariæ sunt ceu media conuenientia & salutaria ad custodiẽdum præcepta, in eorumq; obseruantia persistendum. Ad alterum dictum respondemus, recreationes licitas posse sine nota culpæ vsurpari, cùm bono fine & scopo suscipiuntur, vel eorum necessitas aut vtilitas ad fructũ aliquẽ animi, & non tantum ad meram voluptatem aucupandam, vt latè superius di-

dictum est, dirigitur. Cum quo cõuenit quod crebrò dictum est, in mortificationibus externis non consistere perfectionem, & sanctitatem, sed eas esse instrumenta, & media quibus obtinetur vera sanctitas & perfectio.

Licèt alterum sine altero esse nõ possit. Sicut enim Deus in arborum fructibus, quas condidit, licèt solam medullã voluerit seruire sustentationi hominis, tamen medullam contexit cortice, propterea quod sine illa nec gigni nec cõseruari medulla possit: sic ad spiritalem hominis vitam sustentandam Deus oẽs condidit virtutes, in quib⁹ perfectionis medulla consistit, & tamen voluit illas tũ gigni, tũ conseruari per exercitiũ duræ mortificationis, tanquã per corticẽ.

Psal. 23.

His ergo armis debemus profligare dictas tẽtationes: & certò nobis persuadere, omnem doctrinã qua animus demulsus incipit in desiderio mortificationis lãguescere, & carnis blandimẽtis delitijsq; oblectari, debere esse suspectã, quia non est Christi sanctorũq; spiritui consentanea, vt S. Bernard. præclarè obseruauit: *Nascituru⁹*, inquit, *Dei filius, cuius in arbitrio erat, quodcunq; vellet eligere tempus, elegit quod molestius est, præsertim paruulo, & pauperis matris filio quæ vix pannos habe-*

Ser. 3. in nat.

beret ad inuoluendum, præsepe adreclinandũ. Non est tale iudicium mundi, aut iste fallitur, aut mundus errat. Sed diuinam falli impoßibile est sapiẽtiam. Quid enim Christus, vtiq; qui non fallitur, elegit quod carni molestius est? Id ergo melius, id vtilius, id potius eligendũ, & quisquis aliud doceat vel suadeat, ab eo tanquã à seductore cauendum. Hæc Bernardus. Et S. Cyprianus martyr, dũ hortatur fideles; ad exercitationem pœnitentiæ, mortificationumq; externarũ, vt ieiunij, ciliciorũ, humicubationis, suadet, vt omni studio fugiantur, qui huic doctrinæ resistũt, eò quod pernitiosior eorũ sit conatus, quàm tyrannorũ persecutio. Atq; hæc monita tradidêre hactenus sancti, eo quòd experientia didicissent, non solùm fideliũ saluti obesse, qui praua sua doctrina declarabant se apertos Ecclesiæ inimicos, sed etiã quosdã Ecclesiæ filios, qui vt minus amantes erant viuæ crucis Christi, qualis in mortificatione quotidiana cernitur, suis dictis alios à sanctissimo instituto mortificandi se, occultè retrahebant. *Ser. de lapsu.*

CAPVT VI.

De alio mortificationis impedimento, nempè nimia cura sanitatis conseruandæ.

INter discretionis regulas vna fuit, ne mortificationes vllæ fiant cum sa-

sanitatis, viriumq; naturalium notabili detrimento: verùm quia contingit nõnullos ab infesto humanæ salutis hoste, proprioq; amore & tepiditate deceptos, ex immoderata valetudinis conseruandæ cura cũ ingenti animæ suæ iactura, mortificationis exercitiũ negligere, operæpretiũ duxi, hic aliquas regulas doctrinæ SS cõformes, pro cauẽdo in alterã partẽ excessu ponere. Principio itaq; certũ est, quotiescunq; periti medici, vel alij homines prudẽtes, & spiritalibus rebus exercitati, in Domino iudicãt, seruũ aliquẽ Dei, si huic vel illi mortificationi operã det, de incolumitate corporis periclitaturum, laudabile esse illi prohibere talis mortificationis exercitium. Quanquã, q a natura æquo ꝑcliuior est in corporis cõmoda & delitias, alienior aũt ab omnib⁹ incõmodis & pœnis, facilè in fraudẽ à proprio iudicio induci potest, vt quod necessarium non est ad valetudinem, tamen iudicet esse; & quod non est admodum noxium, arbitretur esse: Eoq; facilius induci potest, si huic inclinationi inordinatæ præterea accedat pusillanimitas, ex cõpassione naturali; vel metu damni, quod aliàs expertus est immoderatis pœnitentijs, profecta: tunc enim procliuius iudicium proprium

prium excęcatur, & deceptio maior est.

Hinc verò fit, vt necessitatis sanitatisque prætextu tales anhelent ad lautiores cibos palatui ipsorum congruentes, fugiant autem omnia incommoda & pœnitentias, etiamsi id fiat cum damno animæ ipsorum, & proximi offendiculo. Deinde ita informēt medicos, vt potius præscribant quę eorum gustui, quā quæ reuera sanitati recuperandæ sunt accommodata. Qua de re sic loquitur B. Bernardus, in sermone de triplici genere bonorum: *Nihil corpori*, inquit, *vltra dandum, vel quærēdum est præter sanitatem. Sed hic fouea est, quæ nolo vos lateat Insidiatur enim voluptas sanitati, & tam subtili malignitate persequitur, vt vix eam quis vel possit cauere vel nouerit Inde est, quòd multi ad tam bestiales & rebelles impetus descenderūt, vel, vt dicam verius, ceciderunt, vt voluptatem præferāt sanitati, & illis ipsis sæpissimè volutentur, quæ sciunt difficiles & acutissimas subsequi passiones.* Et alibi proposita sentētia Christi: Qui voluerit animam suam saluam facere, perdet eā: *Hippocrates*, inquit, *& sequaces eius docēt animas saluas facere in hoc mundo: Christus & eius discipuli perdere. quemnam vos è duobus sequi magis. ū eligitis? At manifestum se facit, qui sic disputat: hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori vel sto-*

Matth. 16.

Bern ser. 30. in Cant.

stomacho nocet Profectò vnusquisque quod à magistro suo didicit, hoc in mediũ profert. Epicurus atq; Hippocrates, corporis alter voluptatem, alter bonam habitudinẽ præfert Meus magister vtriusq; rei contẽptum prædicat. Animæ in corpore vitã, quã summo studio iste vndesustẽtet, ille vnde & delectet inquirit, atq; inquirere docet Saluator monet & perdere. Et infra: *Quid verò prodest tẽperare à voluptatibus, & inuestigandis diuersitatib. complexionũ ciborumq; varietatibus exquirẽdis quotidianã expendere curam. Legumina, inquit, ventosa sunt, caseus stomachũ grauat, lac capiti nocet, potum aquæ non sustinet pectus, caules nutriunt melancholiã, choleram porri accendunt, pisces de stagno, aut de lutosa aqua meæ penit? cõplexioni non cõgruunt. Quale est hoc, vt in totis fluuijs, agris, hortis, cellarijsve vix reperiri possit, quod comedas? Puta, quæso, te monachũ esse, non medicũ, nec de cõplexione iudicãdum, sed de professione Parce, obsecro, primũ quidẽ quieti tuæ, parce deinde labori ministrãtium, parce grauamini domus, parce conscientiæ.* Hæc omnia B. Bernardus, qui his verbis non improbauit moderatam discretionem, qua cauemus eam abstinentiæ seueritatem, quam experientia didicerimus nobis ad sanitatem vehementer obesse, sed superuacaneam tantùm sollicitudinem quorundã, qui leui ex causa de qualitate

te ciborum queruntur cõtra illud Apo-
ſtoli: *Carnis curam ne feceritis in deſideriis.* *Rom. 13.*

Vt verò intelligatur, quæ cura licita ſit & neceſſaria, hoc eſt, quam ſeruus Dei conſeruãdæ vitæ ac valetudini tribuere poteſt, quæque ſuperflua & illicita, quã non poteſt, memoria recolẽdum eſt, qd ſuperius monuimus. etſi fas ſit cuiq; ſtudium aliquod ponere procurandis vitæ valetudiniq; neceſſarijs, tamen neminẽ ea lege aſtrictum, vt præſtantiora cõmodioraq; in quoque genere, ſiue veſtitus, ſiue victus, ſiue habitationis, deligere teneatur, ſed ea tantùm, quorum vſu nullum notabile damnum nouit vitæ vel incolumitati ſuę acceſſurum. Deinde & illud obſeruandũ eſt; hoc diſcrimen eſſe inter prudentiam carnis, quam B. Paulus ait eſſe inimicam Deo, mortemque culpæ & pœnæ æternæ conciliare, & ſapientiam ſpiritus, quæ effectrix eſt vitæ & veræ pacis: quòd illa prouideat homini commoda corporis, nullo ad animã habito reſpectu, hoc eſt, ſiue noceãt animæ, ſiue proſint: Qua prudẽtia vſi ſunt ſapientiſſimi quique gentilium, eorumque celeberrimi Medici, eaq; proh dolor multi quoque fideles nunc vtuntur, vero timore Dei deſtituti, quorum Deus venter eſt: hæc verò, nempè ſapientia ſpi-

In hoc tract. p 3. c. 2.

Rom. 8.

ſpiritus, quæ de cœlo venit, ita proſpicit homini de corporis cõmodis ad valetudinem tuendam neceſſarijs, vt tamẽ nullum detimentum afferat incolumitati animæ. Itaq; corpori oẽs illas lautitias & ſuperuacua cõmoda adimit, quæ impedire poſsũt, quò minus ſpiritus imperium in carnem retineat, vel quò minꝰ anima contẽplationibus, precibuſq; & alijs virtutũ exercitationibus vacare poſſit, modò inde nullum graue vel notabile damnum vitæ ſanitatiq; corporali inferatur, vti iam ſæpè dictum eſt.

In Pſal. 118. c. contraria, de Conſ. d. 5.

Sanctus Ambroſius certè non dubitat affirmare, medicinæ præcepta, quibus inhibentur ieiunia, orationes & meditationes pugnare cum præceptis diuinis, & qui talibus medicinis vtũtur, adimere ſibi ea, quæ animæ ſunt fructuoſa, vbi ſine dubio loquitur de medicinis, quibus nonnulli ſola prudẽtia carnis duce vtuntur, hoc eſt, tantam ſanitatis conſeruandæ curam gerunt, vt ſine magna neceſſitate animæ omnem mortificationis aliorumq; exercitiorũ ſpiritalium fructum adimant: quales ſunt illi, qui quoties paululum ſe malè affectos ſentiunt, etiam Eccleſiæ ieiunia præuaricantur, & diebus veritis ſibi eſum indulgent carnium.

Ex

Ex his demum omnibus supereſt, vt ſeruus Dei excerpat ſibi normam & formam, quam tenere debeat in tuēda corporis ſanitate ne in alterū tendat extremū, hoc eſt, vt ne ſinat ſe ob leues cauſas vel exigua incōmoda à ſancto mortificationis exercitio dimoueri. Nā vt ſcribit S. Bern. *Si ſanitati corporis ſollicita prouidenda eſt cuſtodia, puritati cordis tanto ſollicitior eſt impendenda, quantò pars iſta dignior eſſe cōuincitur.* Deinde, vt in hoc biuio animā mortificandi, & corpus tuendi, potius inclinet in prius, eò quòd æquo vehemētior ſit inclinatio carnis in ſua cōmoda: nam & Ariſtoteles, licèt gentilis, in ſuis Ethicis, monuit, vt cùm perdifficilè ſit attingere virtutis medium, debere hominem obſeruare, in quam partem extremi perſequendam procliuior ſit, eoq; animaduerſo, cōtendere in eius contrarium, & quod eo plus eſt addit, in hac re maximè fugiendam voluptatē. Deniq;, quo ſeruus Dei ab amoris proprij fraude liberior ſit & ſecurior, non fidat nimiū ſuo iudicio, cùm ferè, vbi de proprio negotio agitur, homines falli ſoleant, ſed primùm ſupplex à Deo diuinam lucem, cum deſiderio id faciendi, quod diuinæ eius maieſtati gratius iudicatum fuerit, poſtulet; tū omni puritate neceſſitatem

De triplici genere bonorum.

Lib. 2. c. 9.

ſuam Superiori, ſi habet, vel Patri ſpirituali exponat, eorũq; iudicio & conſilio acquieſcat, firma ſpe fret⁹, ſe hoc medio in diuinę volũtatis notitiã deuenturũ.

Adhæc ſeruus Dei hac in parte excludat oẽs inanes terrores infirmitatis & morborũ: nã, vt in alijs rebus, teſte Scriptura, *prouidentiæ hominum incertæ ſunt*, ita maximè in hac materia; q̃ enim homo exiſtimat valetudini ſuæ eſſe conueniẽs, ſæpenumerò noxium eſt: quod verò noxium id imprimis illi eſt ſalutare. Et experientiæ liber docet: quòd q̃ plus ęquo ſanitati tuendæ dediti ſunt, cũ mortificationis detrimento, nunquã ad optatã ſanitatẽ perueniant: contra, qui mediocrem curam tantùm, & moderationem, non neglectis cõſuetis mortificationis exercitijs, valetudini curandæ adhibẽt, veram tãdem ſanitatem obtineant. Imò exemplis multis probari poſſet, eos qui diligentiſſimi in curãda cuticula fuére, & nulla medicorum antidota neglexêre, breui vitam cum morte commutaſſe: contrà verò, ſanctiſſimos quoſq; viros, qui ſeueriſſimum abſtinentiæ colendæ inſtitutum arripuêre, nullis laboribus in perſoluendis diuinis precibus peperciſſe, & in decrepitam vſque ætatem vitam prorogauiſſe.

S. Pau-

S. Paulus eremita adoleſcentiam ſuã paucis dactylis aluerat, ſenectutem verò tantùm dimidiato pane, omnibusq; humanis commodis deſtitutus ætatem extraxit in annum decimum tertium ſupra centeſimum. *S. Hier in eius vita.*

S. Antonius humi cubans, & pauxillũ panis & aquæ ſub veſperam, ſumens de viribus corporis ad colẽdum Deum neceſſarijs nihil detraxit, & in centeſimũ quintum annum vitam produxit. *Athan. in eius vita.*

S. Hilarion in iuuentute paucis caricis & herbis vixit, extremam verò ætatẽ vno pane hordeaceo traduxit, ac tãdem tota vita in ſumma aſperitate acta, octogenarius animã Deo reddidit. His alijſq; innumeris ſanctis, qui omnia humanæ vitæ commoda neglexiſſe videntur, tamẽ Deus integram corporis incolumitatem ad præſtanda ſua nocturnis diurnisq; horis officia, & cum ea longiſſimã ætatem conceſſit; vt his exemplis declararet, quàm grata fuerit continua illa carnis caſtigatio & mortificatio; nosq; intelligeremus, tantũ abeſſe, vt mortificationis ſtudioſis Deus ſuo diuino auxilio deſit, vt etiam vtramq; & animi & corporis incolumitatẽ liberalius promoueat. Neq; id eò dico, quo nos curã conuenientem & neceſſariam ſanitati cõſer- *S Hieron. in eius vita.*

uandę detrahamus, aut indiſcretas mortificationes ad imitationem dictorũ SS. ſuſcipiamus, cùm eas antè improbaueri mus, ſed vt notatis his exemplis, vanos commẽtitiarum infirmitatum timores excutiam⁹, & deſertis vitioſis extremis, duce & magiſtra diſcretione, ad medium virtutis collimemus.

In hoc tract. p. 3. & 4.

CAPVT VII.

De alio mortificationis impedimento, nempè quorundam Sanctorum exemplis malè intellectis.

QVoniam tenebrarum princeps capitali odio proſequitur ſtudiũ ſanctæ mortificationis, quippe perquã ſua ſede & habitatione, quę eſt *terra ſuauiter viuẽtium*, pellitur: idcircò, ſicut aliâs ſacrarũ ſcripturarũ teſtimoniis, perperam detortis à Catholica fide homines abducere conatus eſt, ita nunc, exẽplis quorundã SS. malè intellectis, imperitos deterrere conatur à ſtudio mortificationis, atque experiẽtia docuit, quoſdam extitiſſe, qui exemplis SS. inordinatarum paſſionum regnũ defendere non dubitarint, vt ambitionem & cupiditatem alijs imperãdi exẽplo Apoſtolorum, qui aliquando inter ſe contenderunt, quis illorũ eſſet maior. Deinde S. Ioannis & Iacobi, qui primam ſedẽ in regno Chriſti affectârant:

Iob 28.

Matth. 11. Act. 23.

ira-

iracundiam verò, in verba contumelioſa erumpẽtem exemplo Apoſtoli Pauli, dicentis ad Pontificẽ Ananiam: *Percutiat te Deus paries dealbate.* Et Fauſtini ac Iouitæ, qui Imperatorẽ Adrianum appellârunt ſerpẽtem tortuoſum, & viperã crudeliſſimã. Et S. Agathæ virginis & martyris, quæ Quintianum, aliosq; tortores ſuos vocauit immanes tyrannos. Sic ad tuendum diſſenſionum ſtudiũ allegant exẽplum Pauli & Barnabæ, qui ſe mutuò ſeparârunt, ob contentionẽ ortã de aſſumẽdo in ſocium Marco. Dein S. Epiphanij & S. Chryſoſtomi, qui ob quæſtionẽ de condẽnandis Origenis libris non ſolùm à ſe mutuò diſceſſerunt, ſed etiã Epiphanius dixit Chryſoſtomo: Spero te non moriturum Epiſcopum, & hic illi, ſpero te non peruenturum ad tuã vrbẽ. Adhæc ad defendendam ſuperbiam, exemplum inculcant; Prophetę ſumma libertate increpantis regẽ Achab, & Eliſęi regem Iorã, ac S. Stephani Principes Sacerdotũ Deniq; ad retinendam pompã vanam & profanam, menſarumq; delitias producunt exẽplum S. Thomæ Cantuariẽſis Archiepiſcopi, qui multo cum famulorum comitatu in publicum, ſplẽdidoq; ornatu prodibat, & mẽſam multis opiparisq; ferculis inſtructã ſuis apponebat.

Ado in Mart. tyr. 15. Cal. Iul.

Act. 15.

Trip l. 8. c. 15.

3 Reg. 18.

4. Reg. 3.

Act. 7.

His similibusq; exemplis animi sui perturbationes, & immoderatos affectus, velut iustos & æquos palliant, & mortificationi oẽm aditum occludunt. Quanquam verò hoc argumẽtum admodum sit imbecille, & dilui facilè possit, tamen pro solatio & institutione rudiorum operæpretium facturi videmur, si respondeamus, declaremusq; neq; iam allata, neq; vlla alia Sanctorum exempla facere pro tutela & patrocinio istarũ inordinatarum animi passionum. Sanctorum enim vita prorsus cõsentit cum purissima eorum doctrina, & cum omnis perfectionis archetypo, nempè Christi Domini nostri vita. Quocirca in Sanctorũ historijs distinguẽdum est tempus, quo vixerunt, ab eo, quo non vixêre. Nam licèt multi à prima ætate fama sanctitatis fuêre celebres, vt S. Hilarion, S. Chrysostomus, S. Eduardus Cantuariensis Archiepiscopus, S. Malachias Archiepiscopus Hiberniæ, S. Clemens martyr & Episcopus Ancyranus, S. Maclouius, S. Bernardus, S. Thomas Aquinas, S. Bernardinus, S. Eduardus rex Angliæ, & S. Ludouicus rex Franciæ; & alij: nihilominus alij fuêre, qui in prima adolescentia vitam duxêre communem, postea autem potenti Dei manu tacti, in alios ho-

homines commutati sunt, & vitam egêre perfectissimam. Alij verò etiam primam ætatem consumpsêre in grauibus sceleribus, sed radijs diuini luminis exceptis, ita illustrati sunt, vt ostenderint ibi abundare sanctitatem, vbi ante abundârat malitia & peruersitas. Ac rursum alij extitêre qui omnem ætatem in infidelitatis tenebris vel in grauibus peccatis omni gratia destituti transegêre, & tamen ad Euangelii voces, aut conspectam Christianorum Martyrum in atrocissimis tormentis constantiam, resipuêre, & ad mortem pro Christi fide tolerandam se obtulere, ac sic nomẽ & mercedem sanctorum Martyrum breui temporis momento retulêre.

In his omnibus sanctis, nihil ad auctoritatem exempli trahi potest, ex rebus ante adeptam sanctitatem gestis, ac proindè quod de Apostolis obiectum est, nullius est ponderis, idcircò enim Christus Saluator ex infimo hominum statu, & rerum omnium ignaros elègit, vt quicquid postea eorum opera efficeret, non ipsorum, sed Christi virtuti, à quo missi erant, attribueretur. Poterat quidem Christus eos vno momento reddere perfectissimos, sed *Chrys. ho. 66. in Matth.*

maluit sensim vsq; ad Spiritus S. aduentum proficere, vt suorum lapsuum & defectuū memores, se magis submitterēt, totamq; sanctitatē & perfectionem suā sincerè altissimo transferiberent: deinde vt hoc exēplo omnes fideles maius solatium caperent, clariusque agnoscerent omnia bona sibi contigisse per Christū, & si imbecilles sint ac rudes, Deum sua gratia & benedictione illis non defuturum. Itaq; in Apostolis eos mores imitādos nobis proponere maximè debem⁹, quos post adeptum Spiritus S. lumen lōgè copiosissimum, demonstrarunt. defectus verò quos tēpore nouitiatus sui habuisse vidētur, nō imitari, sed corrigere, quēadmodum & ipsi in se correxerunt.

In S. Thomæ Cantuariensis exemplo non dissimilis ratio est, nam ille in sanctorum numerū, præcipuè ratione persecutionis & martyrij pro Ecclesiastica immunitate fortiter perpessi, relatus est: itaq; si quos nęuos ante illud habuit in auctoritatem exempli trahi nequeūt: certè quosdam & ipse paulò antè mortem, vt splēdidum habitum cum monastico, & lautam mensam cum vulgari, magnumq; seruitiorum numerum cum sex famulis, licèt primarius esset regni Archiepiscopus, cōmutauit, cilicij quoque

que continua asperitate, & quotidiana corporis vsq; ad sanguinem non semel repetita diuerberatione, & in perfrigidum profluētem demersione afflixit, vt hoc melius ad profundendum pro Christo sanguinem se compararet. Atq; hāc vitam duxit, postquam Deus eū potenti sua dextera in alterum virum, & verum athletam suum, posthabitis omnibus seculi vanitatibus, conuertit.

CAPVT VIII.

Quomodo intelligenda sint exempla quædam, quibus inest mysterium, vel quæ speciali Dei instinctu accidêre.

IN vitis SS. illud quoq; non prætermittendum est, nonnullis eorum factis dictisve inesse aliquod mysteriū & ideò non ad consuetam normam cōmunis vitæ SS. cæterorum, sed ad peculiarem diuinæ inspirationis prouidentięq; particularis regulā esse expendenda. Quò pertinet, quod S Paulus principi Sacerdotū dixit: nec enim fuit maledictio, vel contumelia, sed prophetia: plenus siquidē Spiritu S. inquit B Gregor. prædixit, qualis esset futurus. Nec enim dixit, *Percutiat Deus*, sed *Percutiet*. Prædicebat autem, vt annotauit Venerabilis Beda, Sacerdotium Israeliticum, & tum *Act.* 23. *Lib.* 7. *mor.* c. 22.

erat instar parietis dealbati, & apparebat quale non erat, prædicatione Euangelij funditùs euertendum. Deinde congruebat, vt dicit S. Chrysostomo. Paulum in illo congressu eam dicendi libertatem & autoritatem ostendere, vt gētiles, qui præsentes aderant, non parui facerent Euangelij prædicationem.

Dissensio Inter B. Paulum & Barnabā non orta est ex animorum perturbatione, sed ex magna S. Barnabæ pietate, iudicantis non esse à sua societate auellendum Marcum consobrinum propter defectum, in quem ex humano metu inciderat. S. Paulus verò sanctissimo iustitiæ zelo accensus ad maiorē Dei gloriā, ipsiusq; Marci documentum, & aliorū, putauit separationem faciēdam. Vbi diuina prouidentia factum est, vt Barnabas ob maius Ecclesiæ bonum iudicio B. Pauli non subscriberet, eo quod singulis cum comite suo digressis vberior fructus in conuersione animarum erat secuturus. Nec aliud opus est respōdere de Epiphanio & Chrysostomo: nā Epiphanius iudicabat condēnanda scripta Origenis, Chrysostomus verò arbitrabatur id in sua diœcesi non faciēdum, nisi antegresso examine. Vterq; autem grauib. mouebatur pro sua sententia rationib⁹.

In-

Interea Deus S. Epiphanio diuinitùs reuelat exiliũ, mortemq; S. Chrysostomi, & contra, S. Chrysostomo mortem S Epiphanij. Quas reuelationes verbis antè prolatis sibi mutuò patefecerũt, quod facere salua caritate potuerũt, & salua veritate fecerunt, quia vtrumque euenit.

Responsa à Prophetis facta impijs regibus Israel, hoc continent mysterium. Sancti corde sic inhęrebant cęlo, omnibusq; rebus mundi erant superiores, vt nullius reformidarent potentiã, nullos aucuparẽtur honores, vni peccato vitãdo intenti, & diuinæ promouendæ glorię Hoc cor volebat Deus detegi agẽdo cum tyrannis, eorumque scelera sancta quadã libertate mirabiliq; iustitię zelo coarguẽdo. Qua de re ita scribit B Gregorius. *Sãcti*, inquiens, *super se interius rapti, in alto animum figunt: & quæq; in hac vita patiuntur, quasi longè infra labentia, atq; à se aliena conspiciunt, atq;, vt ita dixerim, dum mente extra carnẽ fieri decertant, penè ipsa, quæ tolerant, ignorant. Vnde & nullis contra veritatem potestatib. parcunt, sed quos attolli per elationẽ cõspiciunt, per spiritum autoritatẽ premunt.* Hinc nata sunt omnia Prophetarum & Martyrum verba contra tyrannos prolata, nõ autem ex superbia, quia erant humillimi, non ex ira, qua mansue-

Lib. 7. mor. c 22.

suetissimi, non ex rancore, quia paratī erant vitam pro illis profundere, sed ex Dei inspiratione, qui opera illorum volebat superbos huius mundi reprehēdere, inuictumq; robur Sāctorum suorum patefacere, quo fulti, ne fœminæ quidē tenellæ atrocissima eorum tormenta, mortemque ipsam pertimescebant.

Quæret hoc loco aliquis, cùm verba huiusmodi geminum sensum habere queant, vt vel ex contemptu prolata putentur, quod est impatientiæ, vel elationis, vel ex zelo iustitiæ, quod est magni in Deū amoris: vnde cognosci possit ex bona radice profecta? Respondet eodem loco B. Greg. *Quòd zelo veritatis, non autem vitio elationis sancti viri ad verba tantæ altitudinis exiliant, ipsi patenter indicant, qui factis dictisque alijs & quanta humilitate polleant & erga eos, quos redarguunt, quanta caritate ferueant, manifestant. Quomodo enim Elias superbo regi Achab increpationis verba per tumorem intulit, qui ante eius currum humiliter cucurrit: Quomodo Eliseus Ioram filiū Achab ex arrogātia confudit, dicens: Quid mihi & tibi est? Vade ad Prophetas patris tui, & matris tuæ: quomodo videre Naaman ex elatione noluit, dū nec ianuam aduenienti aperuit, qui non solū se cōspici, sed teneri etiā à muliere permisit? de qua scriptū est. Cùm venisset ad virū Dei*

Cap 23.

3. Reg. 18.

4. Reg. 3. & 5.

Dei in montem, apprehendit pedes eius, & acceßit Giezi, vt amoueret eam. Ait vir Dei: Dimitte eam: anima enim eius in amaritudine eſt. Quomodo S. Stephanus proferre increpationem, dum vocaret duros & incircumciſos corde, per elationem potuit: qui pro eiſdem, quos increpauerat, ad deteriora creſcentibus, ſeq; lapidantibus flexis genibus orauit, dicēs: Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum? Idem fecêre martyres alij: nam pro carnificibus, tortoribusq; ſuis in ipſis cruciatib⁹ Deum precabantur, vnde & multos eorum conuerſos legimus. Quare liberiores eorum voces iactatę in reges & prę-ſides, non ex animi faſtu, ſed ex puro amore & zelo tuendę veritatis procedebant. Nam vt dicit Beat. Gregorius ibidem. *Superbia odium generat, humilitas amorem.* *Act. 7.* *l. 7. c. 23.*

Veniamus nūc ad alia exempla, quæ in vitis Sanctorum exſtant, non ab omnibus imitanda, vt quę ex ſingulari Spirit⁹ ſancti inſtinctu facta ſunt, vt quod quidā in vaſtiſſimas ſolitudines ſe abdiderint, ab omnium hominum conſuetudine diſiuncti, quod nudi in ſyluis oberrârint, ſolis herbarum radicib. victitârint, omni cibo potuque plures dies, hebdomadas, mēſes, integras Quadrageſimas abſtinuerint, ſtultos & qua-

si emotæ mentis, vt Simeon Salus, se finxerint, & alia id genus egerint. Hæc, inquam, miranda potius, quàm imitãda sunt. Imitanda siquidem nobis incumbunt ea exempla virtutum tãtùm, in quibus omnes Sancti vniformiter consenserunt. Hæc enim sola, pro regula certa & secura piorum morum, vitæq; sanctæ nobis Ecclesia proponit. Deprehendimus autem in Sanctorum historijs, quod communiter omnes amârint exercuerintque paupertatem, opes abiecerint, & defugerint dignitates, honores, & nominis existimationem, omnes mansuetissimi fuerint in tolerandis iniurijs, & inimicis beneficio & amore deuinciendis, quod admodum temperantes in cibo & potu fuerint, & magna ieiunia sustinuerint, commoda delitiasque carnis contempserint, cilicijs & flagris crebris, alijsq; asperitatibus eam perdomuerint, summum studium curamque in cohibendis sensibus, maximè autem frenanda per silentium, lingua posuerint, quod amantissimi diurnarum nocturnarumque precum, & contemplationum cœlestium, otij osores, laborum & tribulationum amatores, quod colloquia vana & inutilia detestati fuerint, summã autem

autem voluptatem ceperint ex collationibus rerum diuinarum, quod aliorum prosperis successib. ex animo gratulati fuerint, aduersis verò compassi, omnemque operam locârint in remouendis, vel certè mitigandis afflictorum ærumnis, quod libenter obsecuti fuerint maioribus, omnium pedibus se subiecerint, & ab omnibus hominibus contemni, & ludibrio haberi, salua Dei gloria, optârint. Hi mores, hæc exempla communia & ordinaria omnium Sanctorum fuêre: quæ si imitari conabimur, non dubium, quin imitaturi simus Christum illorum omnium magistrum, ducem, & antesignanum, participesque vna cum ipso Christo reddemur gloriæ, qua illi iam securissimè, & in omnem æternitatem perfruuntur.

CAPVT XI.

De nonnullis mediis, quibus vinci potest difficultas, quæ est in exercitio mortificationis.

MOrtificationis exercitiũ nulla ferè alia re impeditur, quam difficultate, & afflictione, quã ipsa mortificatio secum affert. Nam, cum virtus ipsa spinis difficultatum

tum circumsepta sit, sedemq; suam in loco sublimi collocârit, ad quam nisi multo labore & sudore peruenîri possit; mortificationis verò muneri incũbat, laborem, & quicquid aduersum est, deuorare, & quasi onus omnis difficultatis ad capessendũ virtutis culmẽ suis humeris perferre, idcircò in ipsa mortificatione magna est difficultas, & afflictio. Primò liquidum & certum est, hominem ritè mortificatum in actionib. virtutum nullum experiri laborem vel difficultatem, imò potius promptitudinem & suauitatem. Itaq; difficultatem, de qua loquimur, tantùm sentiunt, qui primum aggrediuntur hoc exercitium, donec diuina gratia adiuti, omnes naturæ malè inclinatæ repugnantias vicerint. Pro ea autem superanda media aliquot hic subijciemus. Primum est, magna animi submissione, & imbecillitatis confessione postulare in orationibus à Deo, voluntatem efficacem, viresq; se mortificandi, atque hęc petitio semper inter primarias repetatur. Quãuis verò homo imbecillem agnoscere se debeat in omni virtutum studio, maximè tamẽ debet in exercitatione mortificationis, eò quod ob insitam naturę corruptelã à nulla re magis abhorreat,

quàm

quàm quæ infligit aliquã pœnam. Pro magno quoq; beneficio & agnoscere & æstimare debet, quod sibi tam infirmo, & ad mala procliui voluntas animusq; cõcessus sit exercitium mortificationis tam vtile & pretiosum complectendi: ac proinde quoties desiderium mortificandi aliqua in re Deus menti iniecerit, continuò cum gratiarum actione opus ipsum aggredi, vt dona sua semper cumulet maioribus.

Aliud mediũ ad mortificationis stu- *Chrys. quod* dium prosequendum, & ad obtinendas *virtus à mi-* à Deo vires, est, initium facere à mino- *nimis inchoa-* ribus & facilioribus, cuiusmodi sunt, *anda.* oculos claudere ad res aspectu iucũdas, linguam continere à proprijs laudibus, de consuero potu ciboúe modicum detrahere, nonnihil æstus vel frigoris vltrò tolerare, aliaq; similia, quæ colligi possunt ex ijs, quæ diximus de mortificatione propriæ voluntatis, passionum & sensuum. Mouere autem plurimum *In 1 p. c. 4.* nos debet ad hoc studium non contemnendum, quod, vt superiùs ostendim⁹, mortificatio etiam in rebus paruis Deo sit gratissima. Deinde, quod omnis mortificatio propter Deum facta, licet exigua sit, iusto meritoria, tantoq; maioris meriti, quo promptiori voluntate, & a-

& alacriori facit, ita vt nonnunquam longè excedat mortificationem durissimam. Nam meriti essentialis magnitudo, cuius merces consistit in visione Dei, non operis magnitudini, & difficultati, sed actuali caritati, bonæq; voluntatis promptitudini, ac syncero desiderio Deo placendi, respõdet. Magnitudini verò operis, & difficultati, vt tradit S. Thomas, respondet præmium accidentale, quod consistit, non in Dei visione, sed in gaudio quodam, quod omnes beati in cœlo ex omnium creaturarum, bonorumq; operum, quæ ipsi alijq; iusti aliquando fecerunt, cõtemplatione hauriunt. Verum quidem est, ipsam operis magnitudinem & difficultatem argumento esse, illum qui id præstat, ampliore amore actuali, desiderioque Deo placendi præstare, & consequenter promereri augustius præmiũ essentiale: conatus siquidem tentandi magis ardua, promptioris quoque voluntatis solet esse indicium. Attamen diffitendum non est, sæpè tanta promptitudine, alacritate, & ardore animi minores mortificationes, aliaq; externa opera leuiora subiri, vt longè superent meritum difficiliorũ, duriorumq; operum: & verò tum certissimè id fit, quando

quando à seruo Dei illa minuta exercitia eo animo suscipiuntur, vt si occasio daretur, aut vires suppeterēt, aut facultatem à superioribus, quibus parere cogitur, obtineret, reuera etiam aggrederetur grauiora.

Vbi verò initium factum fuerit à paruis mortificationibus, Deus sua gratia continuò præsto erit, vt & voluntatem accendat, & vires suppeditet, atque occasiones offerat, maiora tentandi, vt benè docet Venerabilis Richardus Victorinus. Ac sanè dignum & iustum est, vt quoniam illud dæmonis institutum est, iustos antè in rebus leuibus, & paruis inducere ad lapsum, quo iam nutantes & debilitatos postea in grauiorem ruinam impellat; sic cōtrà nos omnem laborem impendamus in mortificandis, vincendisq; nobismetipsis in rebus minoribus, vt aditū præcludamus dæmoni, ne nos vincat in maiorib. Deusq; vberem gratiā largietur ad difficiliora etiam mortificationum genera suscipienda. Quare Cassianus agens de perturbationibus animi leuioribus, quibus nonnunquam monachi solitarij afficiuntur, vt dum succensent calamo, si litteras non exprimat, cultello, si malè secet, alijsque rebus creatis, si ad votum non

non seruiant, admonet eos, valdè conueniens esse huiusmodi inordinatos motus, licet sint de rebus leuib. refrænare & compescere: eo quod hoc vsu & consuetudine obtinetur, vt dum grauiores occasiones irę aliarumúe passionum, velut dum iniuria vel contumelia ab alijs afficimur, sese offerunt, facilè nos colligamus, & mortificandi nostri causa, diuina gratia opitulãte, grauiora æquo animo, & corde tranquillo perpetiamur.

CAPVT X.

De aliis mediis, quibus difficultas mortificationis vinci queat.

INter media, quæ ad amplectendum mortificationis studium permouere possunt, principem locum meritò sibi vendicat consideratio mysteriorũ vitæ & passionis Domini nostri Iesu Christi: in ijs siquidem tanquam in speculo se prodit ineffabilis volũtas & caritas, qua filius Dei se æterno Patri ad cruciatus & contumelias pro salute nostra perferendas obtulit: Apud Romanos, teste Valerio Maximo, mos receptus fuit, res præclarè ab Imperatorib. alijsq; belli ducibus gestas mãdare versibus, & cantare, vt adolescentes ad eas imi-

Lib. 3. c. 1.

imitandas inflammarentur. Sic decantata fuit fortitudo Horatij Coclitis, qui solus pro salute patriæ cum manifesto vitę discrimine aduersus Hetruscorum copias depugnauit. *L.3.c.3.* Sic robur Mutij Scęuolæ carmine celebratum, intrepidè in luculentum ignem manum inijcientis, vt Romam liberaret, & hosti terrorem incuteret. *Valer. l.5.c.6.* Sic audax & temerarium facinus Curtij, qui pro incolumitate populi armatus vnà cum equo se in vastū fori Romani hiatum præcipitem egit. His exemplis Romana iuuentus incitabatur ad ardua quæq; pro salute patriæ tentanda, vt immortalem inde aucuparentur apud homines gloriam. Publius Decius ea de causa, cū Latino bello Romanam aciem inclinatā videret, caput suum pro Reip. salute deuouit, ac concitato equo in medium hostium agmē irruit, factaque ingenti strage corruit. Cuius exemplo commotus filius, vt idem Valer. refert, deuotione simili æ- *Ibid.* què strenua pugna consentaneo exitu labentes perditasq; vrbis Romanę vires correxit. Si ergŏ vnius hominis exemplum tantum valuit ad accendendos alios, vt similia pericula vitę, ingentesq; labores adirent, quātò amplius mouere nos debet exemplum Christi, cū homo exem-

exemplo non præbeat vires ad imitandum imitatori suo, nec præmium largiatur pro afflictionis, quam tolerat merito. At Christi exemplum vtrumq; præstat, nam & gratiam subministrat ad imitandum, & labores suo nomine perpessos compensat æterna gloria.

Lib 3 ep. vl. ad Menes. *Quis non libenter & promptè*, inquit B. Cyprianus, *calicem salutis accipiat? quis nō appetat gaudibundus & lætus, in quo aliquid & ipse Domino suo retribuat? quis non pretiosam in conspectu Dei, & fortiter & constanter mortem excipiat, complacituru eius oculis qui nos in congressione nominis sui desuper spectans volentes comprobat, adiuuat dimicantes, vincentes coronat, retributione pietatis paternæ remunerās in nobis, quicquid ipse præstitit, & honorans, quod ipse perfecit?* 1. Mach. 6. Elephanti, vt est in diuina scriptura, cōspectu sanguinis animantur ad pugnā: quin ergò animetur Christianus ad pugnam ineundam contra se suasque passiones conspecto pretioso sanguine filij Dei pro se effusi? Certè exēplo Christi lōgè promptius sancti martyres diristimis se obiecêre supplicijs, quā vnquam Curtiorum, Deciorumúe exemplo Romani: Hi enim ex mera temeritate, & nimia famæ, & existimationis cupiditate manus violentas sibi intu-

lêre,

lêre, & repentinum sibi procurauêre interitum, at martyres Christiani magna pace & hilaritate animi ad cruciatus diuturnos, acerbissimasque pœnas se obtulêre, nõ pro sua, sed Christi gloria. Phileas Episcopus sanctus, agens de martyribus, quos suis ipse oculis conspexerat sanguinem pro Christo profundere. Glorioſi, inquit, martyres mortem pro Christo oppetiêre, excluso omni metu: & tamen tam atrocia erant tormenta, vt verbis exprimi non queant, nec facilè quisquam credet tam dira fuïsse, nisi qui præsens viderit. Verum quid eos permouere poterat, vt tãta supplicia sustinerent cũ gaudio? Respondet: quia oculos mentis continuò in Christum Dominum intentos habebant, qui cùm esset Deus, factus fuerit homo, & humiliârit se vsq; ad mortem crucis. Hoc Christi exemplũ, quod sanctos martyres commouit ad subeundũ martyrium, mouit & cæteros Dei seruos ad assumendas voluntarias pœnas, & affectus suos mortificandos, ac nos quoq; meritò mouere debet, vt cũ illis conformes fuerimus in passione, simus etiã socij in gloria & fœlicitate æterna. *Euſl 8.c.10*

Iam verò & alia consideratione seruus Dei ad persequẽdum mortificationis studium non parum incitari potest:

si nempè animo reputet, quanta homines huius sæculi incommoda sustineãt pro caducis, & temporalibus fortunæ bonis. Quid non facit famulus in gratiam sui Principis, vt fauorem illi⁹ beneuolentiamq; conciliet, exiguumque salarium, quod minimũ cum vita terminatur, obtineat: Quos non labores tolerat noctu diuq; aperto capite ad nutum expectans, si quid imperare velit? quoties excipere aurib. debet scommata, grauissimasq; iniurias, quoties intẽpestiuas suscipere profectiones, cœlo ęstuoso, gelido, pluuio, cum iactura sanitatis & vitæ suæ, omniumq; quæ annis multis incredibili sudore coaceruauit? Quas non molestias patitur agricola, vt frumẽti aliquid cumulet ad sustentandam familiam? Multos menses frigoribus hibernis, solisque ardoribus vtitur, solum proscindit, arat, seminat, occat; frumenta vbi maturuêre metit; in fasces colligit, in horreum inuehit, excutit, purgat, deniq; sollicitus est, ne casu aliquo fortuito totius anni labores pereant. Hoc exemplo B. Iacobus in Epistola sua hortatus est fideles ad perferendas forti animo huius vitæ afflictiones & molestias. Iam quid non patiuntur nautę in mari, quid mercatores

Cap. 5.

suas

ſuas merces cum ſummo diſcrimine deportantes ad extremas Indias, aliasq; regiones remotas ? Quot noctes humi ſub dio trāſigunt, niuibus & imbribus, grauibusq; cœli iniurijs ? quàm malè conditis veſcuntur cibis, quàm putida aqua ſitim leuant ? quot agitantur terrorib. Quoties pyratarū, latronum, naufragij, aliaq; diſcrimina ſubeunt ? Has ęrumnas & calamitates, ſi homines ſuſtinent pro viliſſimis hui⁹ mundi bonis, quæ vno momēto inſtar florum campi euaneſcunt, & marceſcunt, ad paſcendū corpus mortale, quod cras in puluerē redigetur: quantò æquius corporis paſſionumq; ſuarum mortificationem aliquam ſuſtinere debent, vel aliquando ſempiternis fruantur regni cœleſtis bonis, ad paſcēdum animam ſuam, quæ nunquam morietur ?

Quid verò iam dicemus de quibuſdam cæcis huius mundi amatorib. qui vt importunæ cupiditati faciāt ſatis, diriſſima quæq; perferunt ? iniuriā quis paſſus eſt, quid non molitur, vt vindicet ? lorica ferrea ſe onerat, nocte ſomnū capere nequit, cibum nulla cū voluptate capit, irruit in apertū diſcrimē carceris, tormētorum, & mortis. Alius, vt turpi & fœdo amori pareat, facultates oēs dilapidat, noctes totas vigilat, ſtultis vnius vaniſſimæ mulieris

iussis obtēperat, manifestis honoris & vitæ periculis se obijcit. Hæc si seruus Dei sedulò perpēdat, quomodo non animabitur ad faciendū pro Dei amore, quod isti faciunt amore hominū, & rerū terrenarū? quomodo non libētiùs dura perferet ad præstandā voluntatē Dei id consulentis, quā suis cupiditatib. obsecundet ad perficiendā voluntatē diaboli? cur non faciet pro vita, quod illi faciūt pro morte? Qua ratione negabit se posse aliquid tolerare pro pace, & gaudio spirituali animę, gloriaq; cœlesti, cùm illi eadem tolerent pro condemnatione & cruciatib. æternis.

CAPVT XI.

De aliis mediis, quibus difficultas mortificationis vincitur.

SVnt alia tria media ad superandam mortificationis difficultatē non parum idonea, nēpè odium sui, misericordia in proximos, & amor in Deū; in quorum mediorū tractatione nō omnia, sed id tātùm, quod ad nostrū institutum attinet, persequemur. Primum. n. seruus Dei dum considerat, & in mentē reuocat anteactæ vitæ lapsus, eorūq; radices cordi suo inhærentes, sancto quodā odio exardescit in culpā, eiusq; fontē. Et quāuis non ignoret impulsore dæmone omnia facta, ac proximos sępè peccādi occasionē præ-

præbuisse, tamē se solum culpabilē facit & reprehendit, eò quod diuina adiuuāte gratia potuerit, si voluisset, oēs tentationes discutere, ac proinde primariā lapsuū suorum causā nullā aliam esse agnoscit, nisi propriā voluntatē ac vt alij auctores illi delinquēdi fuissent, se non esse illorū, sed sui ipsi⁹ tātum iudicē constitutū, quare nec iurè reprehēdere posse, nisi seipsū. Similiter si qui ministeria vel officia illi deferre detrectent, vt cognati pietatē, famuli vel liberi obedientiā, proximi caritatē & iustitiā, imò iniuria palàm afficiāt & inde grauiter perturbetur, doleat, contristetur, succensēat, sibi soli culpā mæroris, impatiētiæ, iracundiæ, & turbationis, non alijs adscribit. Probè. n. nouit sibi patientiæ virtutē, voce diuina cōmendatā, nec vllū tēpus esse, quo diuina opitulāte gratia eam habere non possit, ac proinde si ea careat, sua negligentia & incuria accidisse. Ex hoc autē sancto odio, quo seruus Dei lapsus suos, prauasq; inclinationes detestatur, atque ex iusto illo iudicio, quo contra se, nō alios profert sententiā, nascitur ingens desideriū, atq; anim⁹ extirpandi prauas illas inclinationes, quæ causā labendi dedêre, & vindicādi noxas, quas in se redarguit, ac proinde etiam se mortificandi. Id quod significauit Apost.

2.Cor. 7.& ibid. Anſel. in altera epiſt. ad Corinth. his verbis. *Ecce enim hoc ipsū, ſecundū Deū contriſtari vos, quātā in verbis operatur ſollicitudinem: ſed defenſionē, ſed indignationē, ſed timorē, ſed deſideriū, ſed æmulationē, ſed vindictā in omnib.* Quod, inquit B. Anſelmus, intelligēdum eſt de indignatione ſancta, qua homo propter delicta ſibi indignatur, & de mortificationis pœna, qua in ſe illa caſtigat.

Aliud mediū pro virib. ad expugnandā mortificationis aſperitatē neceſſarijs nobis ſuppeditāt opera miſericordiæ exhibita proximis, vt dum famelicis cibus, nudis veſtitus, ægris ſolatiū, incarceratis auxiliū, viduis & orphanis patrocinium cōtra oppreſſionē potentiū ſubminiſtratur, inter cætera n. præmia, quæ Deus in diuinis literis promiſit, hæc propter Deū facientib. vnū eſt, quod diuino ſuo auxilio protectur⁹ ſit illos, ne facilè aut dęmonis tētationib. aut perturbationib. animi ſuccumbāt. Sic. n. habet Eccleſiaſt. *Eleemoſyna viri, quaſi ſacculus cū ipſo, & per gratiam hominis quaſi pupillā conſeruabit.* Quorū verborum ſenſus eſt, ſicut homo magnā curā gerit oculorum ſuorū, eò quod magni eos facit: ſic Deus peculiari cura tuetur gratiā eorum, qui erogāt eleemoſynā in pauperes. Et infra addit. *Eleemoſyna ſuper ſcutū potentis, & ſuper lanceā aduerſus inimicū tuum*

6.17.& 29.

tuum pugnabit, quasi diceret: Sicut homo fortis scuto & lancea defendit infirmũ & debilẽ; sic eleemosyna à Deo impetrat, vt nullꝰ hostium visibilium vel inuisibiliũ homini misericordi nocere queat. Hanc vim eleemosynę operumq; misericordię & ipse Dominus apud S. Lucã patefecit: nam cum reprehendisset Scribas & pharisæos, quod nimium operæ locarẽt in abluendis manib. & vasis, è quib. cibum potumúe capiebant, animæ expurgationem negligerẽt, à vitijs & flagitijs, mox remedium suggerit. *Date*, inquiens, *eleemosynã*, *& omnia mũda erunt vobis*. Operibus. n. misericordæ Deum sibi conciliare poterãt, vt daret gratiã pœnitentiã agendi, & donum iustificationis, quo peccata eorum omnia expiarẽtur, obtinẽdi. Et quoniam Christus hic loquitur de perfecta mũditia, quæ est nõ solùm à peccatis lethalibꝰ, sed etiam venialib. & passionibꝰ, prorsus sequitur, eleemosynæ beneficio quoque à nobis obtineri donũ mortificandi: quandoquidẽ via ordinaria non nisi per mortificationem carnis perueniatur ad perfectam puritatem cordis. *Luc. 11.*

Neq; verò tantũ corporalia misericordiæ opera, sed spiritualia etiã eandẽ vim sibi vẽdicant, vt rudes informare in doctrina Christiana, alijsq; rebus ad salutẽ

pertinentib. consiliū animæ salutare postulantib. subministrare, mœstos & afflictos cōsolari, peccātes corrigere, animos discordiū conciliare, verbis exēplisq; ad meliorē frugē improbos reuocare, incitare ad confessionē sacramentalē, & sacrā cōmunionē, seriamq; vitæ superioris emēdationē; ad cōciones piasq; exhortationes audiēdas, quib. ad cultū diuinum accēdātur: monere, vt patienter maleuolorum iracundorumq; hominum mores sustineant, vt pro omnib. hominib. Deum orent, pro iniustis quidē, vt ex peccatis emergāt & cōuertantur; pro iustis verò, vt in virtute, Deiq; cultu indies proficiant. Quāuis autē opera misericordiæ, quibus proximi corporis necessitatib⁹ succurritur magnā vim & efficacitatē habeant ad auxilia obtinēda pro mortificationis exercitio, tamen ea, quib. anima immediatè adiuuatur, habet lōgè maiorē. Nā vt docet S. Thō. in omnib. reb. creatis nihil est excellētius animæ salute, quæ cōsistit in clara Dei visione. Itaq; qui promouet hominē ad salutē illā, maiore beneficio illū afficit, q̄ si vel infirmum sanaret, vel pauperem opibus locupletaret, vel etiā mortuum ad vitam reuocaret. Vnde B. Chrysost. agēs de eo qui proximum à lapsu in peccatum seruârat. Hęc, inquit, eleemosyna,

Lib. 1 contra gent. c. 55.

Orat. 4. in Iudæ. 5.

na, nempè animæ facta, longè præstātior est eleemosyna facta corpori: immò, qd eo amplius est, anteferenda est toti huic corporeo mundo. Homo enim toto hoc mundo præstantior est, cùm illius causa oēs mundi partes, cœlum, elemēta, quæq; in ijs continentur, condita sint. Itaq; qui laborat in hominis alicuius peccatoris cō uersione, prę̄stātius opus aggreditur, quā qui immensum auri pondus in sinū pauperum effundit. Sic loquitur Chrys. Vnde colligit B. Laurentius Iustinianus Patriarcha Venetus, exponēs, quàm stricta ratio in extremi iudicij die exigēda sit de operibus misericordiæ corporalibus, addit multò strictiorem accuratioremq; reddēdā de spiritualibus, ad salutem animę̄ pertinentibus; sicut enim nobiliori remuneratione digniæ sunt si fiant: sic, maiori castigatione quando iustitia vel caritas postulat exhibenda, prætermittantur. Sed & ipse B. Chrysost. alibi docet nos per opera misericordiæ spiritualia, longè maiora à Deo dona & charismata posse consequi, quàm per corporalia: vt si animam vnam extrahimus ex peccatis, nempè ob operis prę̄stantiam, multò efficaciora à Deo impetranda auxilia veram pœnitentiam de vitæ anteactæ noxis agendi, ac deinceps gratia Dei accepta in virtutum studio indies

Lib. de humil.

Ora. con. Iud.

dies acceſſione facienda.

Poſtremum medium, quod dicebamus prodeſſe ad leniendā mortificationis difficultatem, eſt amor Dei: nam, vt loquitur S. Auguſt. verus amor amaritudinem nō ſentit, ſed dulcedinem in eo quod facit, p illo quem amat, laborem autē non ſentit. Refert B. Theodoretus, ſanctas fœminas duas Maranam & Cirā, quas ipſe Epiſcop⁹ inuiſerat, licèt quondā locupletiſſimæ fuiſſent, & illecebris mundi enutritæ, tamen poſtquam diuini amoris igne accendi cœpêre, tam duram aſperamque egiſſe pœnitentiam, vt dona Dei in illis magis admiranda fuerint. Nam corpora ſua cilicio contecta tanto ferri pōdere grauarāt, quantum vix robuſtus homo ferre poſſet, ingentia frigora, ſolisq; ardores perferebant, parùm comedebant, & ieiunia in aliquod dies extrahebāt, arctiſſimè in 40. vſq; annum incluſæ, neminem erant allocutæ, niſi neceſſitas aliud poſtulaſſet. Enumeratis autē hiſce mortificationibus addit: Tanto amore in Deum flagrant, dum aſſiduè ſui ſponſi cœleſtis bonitatem pulchritudinemq; contemplantur, vt tormēta & labores iam dictos, pro tormentis nō habeant, ſed pro materia incredibiliū cordis voluptatum. Poterat hoc loco & aliud adiungi non ignobile mediū, Diffidentiæ

Lib. 13. conf.

In hiſt. relig.

ſui

sui, suarumque virium, sed de eo copiosius alibi egimus.

CAPVT XII.

Epilogus & anacephaleosis totius materiæ de mortificationis fructibus, & declaratio quanta sit hominis mortificati felicitas.

VIx exprimi potest verbis, ad quantam felicitatem homo in hac vita pertingat, qui sedulò & seriò operã mortificationi dedit. Quid enim præstabilius homini cõtingere potest, quàm vt dum in hac carne mortali degit, viuat spiritu? dum in mũdo versatur, non secũdùm mũdi spiritum viuat, sed secundùm Dei spiritũ? Hoc caput & summa est virtutum omnium, exercitiorumque spiritalium, ab Apost. Paulo crebrò commẽdatorum. Ad Galat. dicit: *Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis* Et rursum dicit: *Si spiritu viuimus, spiritu & ambulemus*. Ambulare spiritu, est in virtutibus progressũ facere, ac in bonorũ operum exercitatione, nõ ductum sequi inclinationum, passionumq; naturalium, sed spiritus diuini lumẽ, roburq; fidei & Christi gratiam. Vnusquisq; enim in ijs operib⁹ exercere se debet, quæ cõgruunt cum vita, quam profitetur: cũ ergo homo Christianus per baptismum sit renatus, & per pœnitentiam Gal. 5.

reuocatus ad vitam spiritualem, tenetur etiam operari conuenienter tali vitæ, in omnibus diuinæ voluntati legiq; à Spiritu S. cordi nostro impressæ obsequendo; quod faciet, si omnia opera sua pura rectaq; intẽtione faciat, ad maiorem s. Dei gloriam, si in viam cœli semper cum maiori ardore & fructu spirituali decurrere conetur, ac deniq; in studium mortificationis sui continuò sit intentus. Quẽadmodum enim homo moriendo peccato, per pœnitentiam obtinet vitã gratiæ; sic prauis inclinationibus moriẽdo per mortificationem obtinet gratiæ incrementũ.

Cuiq; autem inclinationi, quam homo mortificat, respondet vnus gradus nouæ vitę spiritus, roburq; crescit secundùm operationem illi congruẽtem. Sicut enim vitis, quæ radices viuas egit in terra, idcircò amputatur, vt in plures pãpinos se diffundat, pulchrioremq; & vberiorẽ fructũ ferat: sic iustus, dũ viuit vita gratię, idcircò mortificationis falce cupiditates inordinatas amputat, vt fructus & gratiores in oculis Dei, & vberiores aliquando producat, Quoq; vita interna iusti mortificationis oprea amplius augescit, latiusq; se diffundit in opera bona facta cũ spiritu, hoc in oẽm ęternitatem glorioſior erit & cumulationibus felicitatis donis abundabit, vitæ nẽpè Christi simillima. Hæc do-

ctrina & inſtitutio eſt B.Pauli Apoſtoli: ſic n.loquiſur in ep.ad Col. *Si conſurrexiſtis cũ Chriſto, quæ ſurſum ſunt quærite, vbi Chriſtus eſt in dextra Dei ſedens: quæ ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram*, q.d Cùm vobis ſuppetat vita gratiæ, ſecũdùm quã ſpiritualiter eſtis reſuſcitati, præſtate opera illi vitę cõgruentia, amplectendo cœleſtia, deſerẽdo terrena, nec ſinite vos duci affectib⁹ huius mũdi, ſed ſpiritu Chriſti in cęlo regnãtis. Deindè mox Apoſt. quibus medijs iſta vita obtineatur, eiuſq; fructus, ſubiũgit: *Mortui.n.eſtis, & vita veſtra eſt abſcõdita cũ Chriſto in Deo. Cùm aũt Chriſtus apparuerit, vita veſtra, & vos apparebitis cũ ipſo in gloria* Senſus eſt, Mortui eſtis peccato, quia horretis illud: & mundo, eiuſq; põpis, quia illas contẽnitis, & cupiditatib. terrenis, quia eas mortificaſtis. vnde conſequẽs eſt, vos agere vitã ſpiritualem, quæ occulta latet in intimis cordis penetralibus, ſecundũ mundanorũ iudiciũ, ſicut ſecundũ eorundẽ iudiciũ iã latet vita Chriſti in cœlo regnantis, & ad dexteram patris conſidentis. Quando aũt Chriſtus ad vniuerſale iudicium ventur⁹ eſt, & toti mũdo ſe ſpectãdum præbitur⁹, tũc etiã vita veſtra iã amatoribus mũdi ignota patefiet toti mundo, quia in ſocietate Chriſti eritis glorioſiſſimi, & quaſi cũ eo renati. O felix mortificatio, quæ tã nobilẽ fructum tum in altera vita habet, Coloſſ. 3.

beatitudinis animæ & corporis sempiternæ, tũ in præsenti vitæ spiritalis, qua anima viuit per gratiã, & viuũt bona omnia cũ spiritu vitæ perfecta. Atq; hinc oẽs alij diuini mortificationis fructꝰ à nobis declarati dimanant; vt, quod per illã magna parte naturam nostrã sanemus, lucẽ quãdam rerum diuinarũ cognoscendarũ accipiamus, solatium item & gaudium spirituale in tribulationib & ærũnis, expugnationẽ carnis sub spiritu, & cõtra passiones tentationesq; victoriã, facilitatẽ & suauitatẽ in bonis operibus, efficaciã ad purè contẽplandum, robur cõtra humanos terrores, ac pacẽ & serenitatẽ spiritualẽ. Hac homo satisfacit pro peccatis præteritis, & liberat se à futuris, in quæ labi poterat. Hac irã refrenat, cõcupiscentiã extinguit, & verũ imitatorẽ Christi se efficit. Illa bonũ exẽplum prębet proximo, fit mãsuetꝰ, benignꝰ, & moribus suauis, nã, vt benè notauit Lud. Blosius, seruus Dei mortificatꝰ est similis botro vitis maturo, pulchro, & ad gustatum suaui; nõ mortificatus verò botro immaturo, duro & acerbo. Deniq; hoc sancto mortificationis exercitio homo obtinet culmen perfectionis virtutũ, & velut homo perfectus & omni virtute instructus vtilissimus est Christi Ecclesię, oculisq; Dei gratissimus, vt dicit ven. Beda.

In inst. spir. c. 2.

Caut. c. 32.

FINIS.

Coll. S. J. Paderb.


Th
2855
UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN